Acta Colloquij Montis Belligartensis:

Quod habitum est, Anno Christi 1586. Fauente Deo Opt. Max.


PRAESIDE,

ILLVSTRISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO FRIDERICO, COMITE VVIRTEMBERGICO ET MOMPELGARTENSI, &c.

INTER CLARISSIMOS VIROS, D. IACOBVM ANDREAE, Præpositum & Cancellarium Academiæ Tubingensis: & D. THEODORVM BEZAM, Professorem & Pastorem Geneuensem,

AVTHORITATE PRAEDICTI PRINCIPIS FRIDERICI, &c. nunc Anno Christi 1587. publicata.

HAEC ACTA CANDIDE ET BONA FIDE CONSIGNATA, vanissimos de hoc Colloquio sparsos rumores, inprimis verè Epistolam quandam, vanitatibus & calumnijs refertam, & typis excusam, abundè refutabunt.



CVM PRIVILEGIO.

TVBINGAE,
PER GEORGIVM GRVPPENBACHIVM,

ANNO M. D. LXXXVII.



FRIDERICVS Dei Gratia Comes Vvirtembergicvs et Mompelgartensis, &c.

CHRISTIANO LECTORI, VEritatis cœlestis studioso, Salutem.

DEO OPTIMO MAXIMO GRATVM OFFIcium, & sua persona dignum præstiterunt olim Christiani Imperatores, & nostro seculo multi pij Electores, Principes & Ordines Imperij, dum magna cum solicitudine, indefesso studio (neque laboribus, neque sumptibus parcentes) in id incubuerunt, vt Religionis controuersiæ, in Ecclesia Christi exortæ, vel quàm primum sopirentur, vel legitimis rationibus prorsus è medio tollerentur. Eum autem, in suo pio conatu scopum sibi propositum habebant, vt & erran-

tes in viam reducti, animarum suarum exitium effugerent: & suauissimus veritatis cælestis consensus & concentus in Ecclesia Christi, ad laudem Dei Omnipotentis, restitueretur, & passim in Ecclesijs audiretur.

Eodem prorsus consilio, atque ad eundem finem, Nos mense Martio, Anni proximè elapsi, clarissimos Theologos D. Iacobum Andreæ, Præpositum & Cancellarium Academiæ Tubingensis, & D. Theodorum Bezam, Professorem & Pastorem Geneuensem, Mompelgartum in arcem nostram euocauimus: vt ibi in nostra præsentia de articulis inter ipsos controuersis, placidè conferrent atque colloquerentur. Quod sanè haudquaquam à nobis ea de causa institutum fuit, vt de Confessionis nostræ veritate demum certi aliquid apud nos constitueremus: quippe qui iam dudum vnâ cum Imperij Electoribus, cæterisque Principibus & Ordinibus, synceræ Euangelicæ doctrinæ subscripsimus, atq; veritati cælesti testimo-

nium publicum dedimus: à quo, diuina adiuti gratia, nunquam recedemus: ſed illud potius ad omnem poſteritatem extare, & ratum firmumque eſſe volumus. Rogauerant autem nos demiſsè & obnixè Galli exules, qui à Pontificia religione diſceßionem fecerunt, vt Colloquium inter clarißimos illos Theologos inſtitueremus: propterea, quòd magnam ſpem conceperant, fore, vt in articulis controuerſis, in quibus Gallicæ Eccleſiæ à noſtris dißident, pia concordia conſtitueretur: atque per hoc ſalutare remedium Gallicæ & aliæ quædam exteræ Eccleſiæ cum noſtris meliùs coaleſcerent.

Vt autem antea ex commiſeratione pia Gallis exulibus hoſpitium in vrbe noſtra Mompelgarto, conceßimus: memores dicti illius Prophetici: Egenos vagosq́ induc in domum tuam: Et illius Apoſtolici: Hoſpitalitatis nolite obliuiſci: ita Colloquium (ipſis adeò demiſsè & obnixè petentibus) denegare noluimus: ne quid prætermittere videremur, quod vel ad Eſa. 58. Heb. 13.

 Eccle-

Ecclesiæ Christi tranquillitatem, vel ad ipsorum salutem æternam facere posset.

Cùm autem Theologi, quorum suprà mentionem fecimus, in arce nostra conuenissent, vnâ cum ijs, quorum nomina in Actis suo loco subscripta leguntur: admisimus ad eam Collocutionem non modò Consiliarios & aulicos nostros, verùm etiã Gallos exules, quotquot adesse cuperent, et qui Latinæ linguæ non ignari essent. Neq; verò Nos ab illo Colloquio, vel ad horæ momentum abesse voluimus: neq; in re tanta, aliorum negociorum Politicorum interea rationem habendam duximus, vt huic vni rei expeditiùs vacare possemus. Is autem Colloquij processus fuit institutus & obseruatus, vt nostræ partis Theologi de singulis Articulis cõtrouersis, primùm Theses suas aduersæ parti traderent: & ab ea responsum scriptum vicißim acciperent: quibus contrarijs scriptis publicè coram omnibus præsentibus clarè recitatis, deinde de eo Articulo (de quo Theses et Responsum

ſponſum tractabant) D. Jacobus Andreæ, & D. Theodorus Beza, placidè collocuti ſunt. Articuli, de quibus agebatur, hi erant: I. De Cœna Domini. II. De Perſona Chriſti. III. De Imaginibus, templis & ſimilibus rebus. IIII. De Baptiſmo. V. De Prædeſtinatione. Certò enim nobis conſtabat, quòd de his Articulis, inter noſtros & Gallicos Doctores non eſſet conſenſus.

Etſi autem interdum in eiuſmodi Colloquijs publici & iurati Notarij, qui ſingula vtriuſq; partis dicta excipiant, conſtitui ſolent: tamen initio huius Colloquij, ab vtraq; parte iudicatū & in eo conuentum eſt, Notarijs vtendū non eſſe: ne tempus extraheretur, ſi ad pennam loquendum eſſet: & ne ſermo tardior, ad excipiendum accommodatus, quaſi in multas particulas diſtractus, minùs commodè, & à collocutoribus, & ab auditoribus intelligeretur. Hoc .n. in hoc Colloquio quæſiuimus, vt vtraq; pars, familiariter conferendo, alteri ſuam ſententiàm

quàm

quàm simplicißimè aperiret atq; exponeret: Ita quidem, vt aduersa pars nostrorum mentem in singulis controuersis capitibus plenè perciperet: & vicißim suam sententiam ita copiosè & abundè declararet, vt posthac conqueri nō posset (vt hactenus sæpe) quòd neque satis vnquam audita, neque rectè intellecta esset.

Jnterim tamen singulis præsentibus liberũ fuit, ea quæ vellent, annotare. Et quia non dubitabamus iam ab initio huius Colloquij, quin multi absentes eiusdem Acta magno desiderio essent expetituri: quibusdam ex nostris id negocij dedimus, vt singula, quæ ab vtraque parte dicebantur, quanta possent celeritate, dexteritate, diligentia & fide summa exciperent, atq; in chartas conijcerent, ne quicquam, quod scitu necessarium esset, in Actis, si aliquando publicarentur, desideraretur: sed vt pars vtraque fateri cogeretur, Acta illius colloquij bona fide fuisse collecta.

Neque verò nos piguit, nostra etiam manu ea an-

nu ea annotare, quæ ab aduersa parte contra piam, simplicem, & synceram doctrinam, in Christiana nostra Catechesi comprehensam, dicebãtur, atque pertinaciter asserebantur. Qualia erant: Quòd nullam aliam habeamus in sacra Fol. 67. 1
Cœna Domini præsentiam corporis & sanguinis Christi, nisi eam, quam suo tempore Abraham in veteri Testamento habuerit: cùm quidem tunc Filius Dei nondum esset incarnatus, & caro atque sanguis eius nondum existerent. Quòd humanæ Christi naturæ, propria diuini- Fol 222. 2
tatis infinita nulla ratione communicari poßint: itaque humanitati Christi assumptæ realiter neque omnipotentiam, neque omniscientiam, neque omnipræsentiam, neque adorationem cõ- Fol. 346. 348. 358.
petere: quamuis cum Filio Dei personaliter sit vnita: sed humanæ naturæ in Christo tantùm Fol. 247.
finita & creata dona esse communicata. Quòd Fol. 479. 3.
innumerabiles pueri baptizentur, qui tamen nunquam regenerentur: Ideoq; de infante baptizato certò dici non posse, quòd sit renatus: ta-

Fol. 484. *metsi de ea re benè sit sperandum. Quòd Chri-*
Fol. 547. *stus non pro totius mundi peccatis sit mortuus:*
sed tantùm pro electis: cæteros occulto & æter-
Fol. 463. *no Dei decreto perire. Quòd Dauid etiam in*
ipso adulterio, Spiritum sanctum & fidem retinuerit, &c. Hæc & similia Nos ipsi penna excepimus. Postea verò, omnibus annotatis & consignationibus nostrorum in vnum collatis, mandauimus, vt (quanta omnino fieri posset diligèntia & fide) in vnum corpus redigerentur: vt & disputationis contextus constaret: et oratio non esset hiulca: neue quicquam, quod ad substantiam totius Colloquij pertineret, desideraretur.

Et cùm intelligeremus, studiosæ iuuentuti gratũ atq; vtile futurũ, si ad marginem scriptorũ illorũ, quæ aduersa pars in hoc Colloquio exhibuit, castigationes annotarentur, quæ breuiter errores, & errorũ causas, quasi digito monstrarent: libenter, vt id fieret, concessimus: tametsi ijdem errores etiam in nostrorũ responsis

copio-

copiosè refutentur. Etenim hac in re habendā rationem duximus ALVMNORVM celebris illius Academiæ, cuius Maiores & Agnati nostri fundatores extiterunt, omni certè laude dignißimi: in qua Vniuersitate inclyta Nos olim Rectorem egimus: ibiq; peculiares alumnos (in vsum Ecclesiarum & Scholarum nostrarum) liberaliter fouemus. Horum aliorumque Theologiæ studiosorum vtilitas, quā ex editione Colloquij à Nobis instituti percipient, maioris æstimanda fuit, quàm calūniatorum malitia: quibus (iuxta Theognidis sententiam) placet illud: CALVMNIARE AVDACTER: semper aliquid hærebit: quorum improborū hominum calumnias contemnendas iudicauimus, vt quàm plurimis prodesse possemus. Publicè enim testamur, in horum Actorum collectione, nihil omnino, vel insertum, vel ademptum esse, in quo CARDO CONTROVERSIARVM vertebatur. Nihil enim in hoc toto negocio, vel fauori, vel odio, huius vel illius partis, datum est.

Etsi autem initiò, non eo consilio suprà commemoratos duos clarissimos Theologos, ad colloquium euocauimus, vt illius colloquij Acta publicarentur: qua de causa etiam publicos & iuratos Notarios (vt suprà diximus) nō adhibendos putauimus: quippe qui haec Acta (pacis & tranquillitatis maioris causa) intra priuatos quasi parietes delitescere posse existimabamus: tamen necessitas mutare nos consilium nostrum coëgit: ne silentium nostrum gloriae nominis diuini & saluti Ecclesiae fraudi esset. Statim enim post finitum Colloquium longè latéq; sparsi sunt varij, vani & iactabundi rumores: (qui partim sermonibus, partim literis ad nos allati sunt) quòd videlicet ab aduersa parte, pia nostra confessio (quae tamen immoto Dei verbo nititur) in illo Colloquio confutata, deuicta, & explosa esset: quodq; eius defensores cōfusionem & ignominiam inde domum reportassent. Et quamuis istas vanissimas gloriationes contemnere poteramus: quòd sciremus (experientia edocti)

edocti) aduersæ parti, vanitates etiam crassas spargere, nimis iucundum, minimeq́ insolitum esse: tamen cùm etiam de Colloquio Mompelgartensi Epistola quædam typis euulgata in lucem prodierit, figmentis & vanitatibus tota referta: & quidem sub fictitio authoris & loci nomine: (quod legibus & statutis Romani Imperij prohibitum esse omnibus constat) necesse fuit, veritatem, et personæ nostræ dignitatem, contra iniurias illius lucifugi & improbi hominis, qui nobis ipsis mendaci sua relatione non pepercit, asserere, editione Actorum Colloquij: vt hac ratione illius vanitas manifestè redargueretur. Et sanè aduersa pars, si publicationem prædictæ Epistolæ prohibere nõ potuisset, certè ne illa inter suos latiùs spargeretur, & publicè in ijs locis vendendo & emendo distraheretur, cauere, idq́ue famosum scriptum supprimere meritò debuisset: si illi pia concordia & Ecclesiarum tranquillitas cordi esset. Sed aduersa pars conniuendo ad tam impudens figmẽ-

 tum,

tum, paſsim diſſeminatum, hoc ipſo ſuum cum vaniſsimo illo nugatore & calumniatore conſenſum ſatis prodidit: iuxta vetus dictum: Qui tacet, conſentire videtur.

Nobis igitur vaniſsima illa Epiſtola, & alia quoque ab aduerſa parte hinc inde ſcripta, & occaſionem præbuerunt, & neceſsitatem impoſuerunt, vt Colloquij Acta, verè & bona fide conſignata, in lucem daremus, & Eccleſiæ Chriſti cognoſcenda proponeremus: vt & pia noſtræ partis cauſa calumnijs poſthac minùs grauaretur, & perſona noſtra ab iniuria iſtorũ calumniatorum vindicaretur. Cumque veritas confeſsionis noſtræ luculenter in Actis illis denuò demonſtretur: hoc ipſo vera & Deo grata pax aduerſarijs noſtris offertur: quæ conſtitui facilè poterit, ſi illa veritatem cœleſtem, in verbo Dei propoſitam & expreſſam, vnanimi cõſenſu nobiſcum amplecti voluerit: id quod ex animo optamus, Deumq́ vt fiat, precamur. Vt enim concertationibus (præſertim in religionis

nis

nis negocio) minimè delectamur : ita editione Colloquij, noua dissidia serere, aut maioribus animorum distractionibus causam præbere, animus nobis non fuit.

Quòd etiam author illius Epistolæ famosæ nos insimulat, quasi IVDICIS *& quidem* FAVORABILIS *partes in Colloquio sæpius iam cõmemorato nobis sumpserimus : ea etiam in re luculentam nobis iniuriam facit.*

Etenim, Dei beneficio, ex frequenti sacrarũ literarum & Historicorum monumentorũ lectione iamdudum didicimus, vnũ & solũ Christum (vnicum illum nostrum Magistrum, quem audiendum Pater cœlestis mandauit) sententiâ suâ in scriptis Propheticis & Apostolicis expressa, omnes religionis cõtrouersias, etiam antequã exorirẽtur, dijudicasse. Et probè nouimus, magnũ illum (nomine & re) Constantinum Episcopis in Niceno Concilio congregatis grauiter iniunxisse, vt hostili inter se certamine deposito, præsentium quæstionum solutionem,

Mat. 23.
Matth. 17.

tionem, ex codice Dei, antiquorum Prophetarum sanctionibus, Euangelicis, ac Apostolicis libris sumerent. Id cùm à nostra parte, in asserenda prima & incorrupta Augustana pia Confeßione, fieri, eiusdemque veritatis defensione obseruari auribus nostris audiremus: plurimum nobis gratulati atque in fide & conscientia nostra confirmati et delectati sumus. Contrà verò doluimus, cùm animaduerteremus, aduersam partem, inuicta illa & clarißima sacrarum literarū testimonia, quibus meritò erudiri, & in viam reuocari debebat, temerè vel eludere, vel humana aliqua glossa peruertere, neque veritati cœlesti, apud se locum dare: quæ sanè pertinacia perniciosißima animum nostrum vehementer perturbauit.

Grauiter etiam, Nos, & iniustè, author suprà dictæ Epistolæ in eo læsit, quòd audacter confingere ausus est: Nos post habitum Colloquium Gallis exulibus potestatem fecisse, vt vnâ cum ciuibus nostris, sub libera protestatione,

tione, quòd Confeßionem suam Gallicam retinere vellent, communicare, atque sanctam Domini Cœnam sumere possent: id quod ante Colloquium (vt nugator ille maliciosè confingit) ipsis permittere noluerimus: indeq; colligendum censet, quòd aduersæ partis Confeßioni æquiores facti fuerimus. In eam igitur suspicionem coram Ecclesia Christi, nos adducere hoc figmento conatur, quasi ad doctrinam aduersæ partis inclinare, atque ad eam aliquam acceßionem facere incœperimus: in quo toto commento author illius Epistolæ vanißimus est. Ea enim, per Dei gratiam, sacrarum rerum cognitione præditi sumus, vt sciamus, sacram Domini Cœnam, inter alios fines, etiam hunc vsum habere, vt sit religionis, quam quisque profitetur, nota atque Symbolum. Qui enim cum Ecclesia aliqua in huius Sacramenti sumptione communicant, hoc ipso publicè profitentur, quòd eiusdem Ecclesiæ doctrinam amplectantur, & contrariam reijciant, seq; ab alijs separent: veluti si quis

cum Pontificijs sub vna (vt vocant) specie communicat, ostendit, se Pontificiam religionem approbare: qui verò cum Lutheranis (vt appellant) Cœnam Domini sub vtraque specie sumunt, testantur, se puram Euangelij doctrinam profiteri, & contrariam abijcere: Itaque sumptione Cœnæ Dominicæ nequaquam ludendum, aut quiduis simulandum esse, à quo animus abhorreat, semper iudicauimus. Quare Gallos exules, quotiescunq; cum nostris communicare cupiuerunt: (petiuerunt autem idipsum sæpius, licet à nemine essent rogati:) semper illos, ad Confeßionem nostram, tam post, quàm ante Colloquium, remisimus, admonentes eos, vt tum communicarent, si Confeßionem nostram syncerè amplecterentur. Ut autem sub libera protestatione (retinendi Confeßionem suam Gallicam) Cœnam Domini cum nostris sumerent, nunquam illis permittere voluimus, etsi illud obnixè & demißè peterent: de qua re in Appendice (quæ Actis Colloquij

quij annectetur) copiosiùs tractabitur. Facilè enim intelligebamus, talem permißionem piæ nostræ Confeßioni, non parum derogaturam, & synceræ religioni fraudi futuram: nosque in eam suspicionem venturos, quasi alteri etiam Confeßioni vel patrocinaremur, vel certè occultè faueremus.

Et quidem ea in re Christianos Imperatores imitati sumus, qui Arrianis, petentibus in communionem Orthodoxorum recipi, non priùs postulatum suum concesserunt, quàm illi Orthodoxorum doctrinam approbarent: tametsi ne ista quidem pia vigilantia cauere potuerint, quin multi ore, & calamo aliud profiterentur, quàm corde premebant. Sic igitur Gallos exules, petentes cum nostris communionem, ad Confeßionis nostræ lectionem, & approbationem remisimus: Vt interim eos grauiter & clementer admoneremus, ne quid dubitante conscientia facerent: fore enim aliàs,

vt per illam hæsitationem, conscientiæ suæ malè consulerent, & corpus atque sanguinem Domini indignè & ad iudicium sumerent, vtque Sacramentum illud salutare ad vitam atque salutem institutum, in mortem & condemnationem ipsis cederet. Itaque in Natiuitatis Christi festo (ante habitum Colloquium) à Domini Cœna abstinuerunt. Postea verò Paschatis festiuitate, quæ Colloquium subsecuta est, vnâ cum nostris ciuibus communicarunt: idem etiam sequente Pentecostis festo ab ipsis factum est. Vnde colligimus, plærosque ex audito Colloquio tantùm profecisse, vt intelligerent, nostram de Cœna Domini sententiam firmis & immotis verbis Christi niti: atque in ijs conscientiam hominis pij tutò acquiescere posse.

Quòd verò, nobis peregrè absentibus, quidam Gallorum exulum coram aliquibus Ministris Ecclesiæ Mompelgartensis protestationem fecerunt, se videlicet, sub Confeßionis suæ Gallicæ opinione communicaturos: postea

verò

verò digreßis Ministris (qui protestationi contradixerunt) Galli quidem etiam super sua protestatione Instrumentum, per Notarium publicum erexerunt: id nos non modò improbamus, verùm etiam annihilamus, nullumq́ue valorem habere volumus: de qua re publicè protestamur. Id enim Instrumentum & veræ pietati, & nostris decretis, aliquoties super eo negocio datis, prorsus repugnat, nobisq́ue & Ministris nostrarum Ecclesiarum inscijs erectum est. Et Ministri nostri Euangelici, officium suum fecerunt, quòd (instructi nostris decretis) Gallos ad communionem Cœnæ Dominicæ admittere noluerunt, nisi Confeßionem nostram approbarent, & Confeßionis suæ Gallicæ commoda explicatione, ad nostram piam sententiam accederent.

Legationem in Galliam pro exulibus illis (rogati à magnis Viris) suscepimus: non quòd ipsorum errores, quos in religionis negocio ha-

 bent,

bent, approbaremus: sed quòd illis condolebamus, qui propterea patrijs sedibus pulsi, in exilio vagantur, quòd Pontificis Romani tyrannidem in Ecclesia, multiplicemq; Idolomaniam Pontificiam auersantur: His reditum in patriam, & securitatem atque tranquillitatem impetrare conati sumus: eorum autem errores fouere aut propagare, nunquam in animum nostrum induximus. Commiseratione verò moti, officium pietatis, intercedendo apud potentissimum Galliarum Regem, miseris exulibus præstare voluimus: prorsus eodē animo, quo agnatus noster Dux Christophorus Vuirtembergensis, piæ et felicis memoriæ, olim Francofurti ad Mœnum habitantibus exulibus Gallis liberalem eleemosynam dedit: adiuncta hac protestatione: se eam eleemosynam dare, non ipsorum religioni, sed inopiæ.

Precamur autem Deum æternum, Patrem Domini nostri Jesu Christi, vt per Spiritum

san-

ſanctum eum fructum Mompelgartenſe Colloquium proferat, vt ij, qui adhuc ſunt ſanabiles, neq; gloriolam ſuam animæ ſaluti præferunt, approbatione & Confeßione veritatis cœleſtis, ad nos accedant, & ſic pia atque dudum optata pax & concordia inter noſtras et Gallicas Eccleſias conſtituatur: & vt ij, qui doctrinam piam amplectuntur atq; profitentur, conſtanter in ea vſque ad vitæ finem per gratiam Dei, perſeuerent, Amen. Scriptum Mompelgarti in Arce noſtra, II. die Feb. Anno à nato Seruatore noſtro Ieſu Chriſto,

1587.






ECCE AGNVS DEI QVI TOLLIT
PECCA
MVNDI.
IOHAN. I.



DE OCCASIONE COLLOQVII MOMPELGARTENSIS.



NNO Domini 1586. die 13. Ianuarij, cùm serenissimi Domini, D. Henrici Regis Nauarreni Legatus, N. Baro de Cleroan Stutgardiam venisset, & D. Iacobum Andreæ quoque adesse cognouisset: misso ad ipsum nuncio viro Nobili, eum ad Colloquium familiare vocauit. Habere enim se, de quibus cuperet cum ipso conferre. Eius voluntati cùm satisfaceret D. Iacobus: de rebus Gallicis pauca quædam cum ipso contulit, interprete vsus fratre, Barone Malroy, quòd D. Iacobus Gallicam linguam non intelligeret, neque Baro de Cleroan latinè expeditè loqueretur.

Colloquium Baronis de Cleroan cum D. Iacobo Andreæ de Colloquio instituendo.

Postquā verò D. Iacobus testatus esset, se de rebus Gallicis, quod ad Politica (præsertim motus in regno Galliæ excitatos) attinet, sibi iudicium non sumere, quæ ad Iurisconsultos, & ipsorum iudicium pertinerent: ab ipsius autē professione aliena essent: D. Baro instabat, in veteri Testamento, etiam Sacerdotes ab Israelitis consultos fuisse. Cui D. Iacobus: quò minùs ipse exemplo summi Sacerdotis responderet, vnū sibi deesse, videlicet pectorale: in quo duodecim gemmis nomina 12. tribuū Israelitarum inscripta fuerint: quo indutus summus Pontifex sic Deo ordināte, populo interroganti responderit. Sibi autem dictum esse, aiebat D. Iacobus: Quis me constituit Iudicem inter te

D. Iacobus de negocijs politicis cur sibi iudiciū non sumat.

Exod. 28.

Rationale summi Sacerdotis.

Luc 2.

ter te & fratrem tuum? Cui responso cùm subridens Baro de Cleroan, acquiesceret: de rebus Theologicis, inprimis verò de certamine disserere incepit, quod inter Ecclesias Germanicas, Augustanā Confessionem profitentes, & Gallicas Ecclesias, quas ipse reformatas appellabat, hoc est, quæ iugum & Tyrannidem Pontificiam abiecerant, magno cum scandalo plurimorum, & præsentissimo Regni Galliæ, totiusque Ecclesiæ damno, multis nunc annis durauerit. De quo cuperet cum D. Iacobo colloqui.

Opinio Baronis de Cleroan, de dissensione nostra.

Sibi enim videri, Disputationem circa vnam duntaxat partem doctrinæ Christianæ, inter vtriusq; partis Theologos, videlicet, De Cœna Domini, versari: In cæteris verò articulis fidei & confessionis, vt ipse quidem opinetur, per omnia pium consensum esse.

Consilium Baronis de Cleroan, de concordia instituenda.

Sibi igitur (quod tamen pace D. Iacobi diceret) hanc viā commodissimā & expeditissimam ad piam pacem, & firmā concordiam faciendam videri: si ab vtraque parte nihil prorsus de verbis Christi ampliùs disputaretur: Sed quoniam Christus dixit: Accipite, manducate: hoc est corpus meū, &c. Accipite & bibite: hic est sanguis meus noui Testamenti: simplice fide hæc Christi verba complectenda: modum autem præsentiæ, omnipotentiæ & sapientiæ diuinæ commendari oportere, qui verax, omnipotens & sapientissimus sit. Ideoque facilè præstare possit, quod promisit, vt maximè captum ingenij, & intelligentiæ humanæ (sicut alia innumera Dei opera) excedat.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Responsum D. Iacobi.

Cui D. Iacobus respondit: Expeditissimā sanè rationem hanc, & viam ad piam concordiam, non modò constituendam, esse: sed eandem quoque, iam inde ab

de ab exorta illa infelici cõtrouersia, à nostris semper propositam fuisse. Eam si ingressi fuissent Zvvingliani: hoc certamen, aut nunquam exortum, aut facilimè denuò sopiri potuisse. Siquidem Lutherus, & qui cum illo sentiunt, hanc fidei simplicitatem in omnibus suis scriptis & concionibus vrserint, vt videlicet verba Testamenti Christi simpliciter intelligamus, sicut ipsa verba sonãt: & simpliciter credamus, quòd verè nobis in dispensatione panis & vini consecrati corpus & sanguis Christi distribuantur, & ore (sic enim in Cœna manducare præcep) ab omnibus in Cœna vescentibus percipiantur. Modum autem pręsentiæ sanguinis & corporis Christi, (cùm non sit naturalis; aut Physicus, sed cœlestis & diuinus, neque etiam manducatio Capernaitica fiat) DEO, eiusque omnipotentiæ commendandum esse.

Expedita via ad Concordiam in controuersia de Cœna Domini.

Doctrina Lutheri de Cœna Domini.

Verùm, hanc doctrinam de Sacramentali manducatione corporis Christi in sacra Cœna, Zvvinglianos & Caluinianos, quos sic vocant, in hunc vsque diem tanquam Capernaiticam lanienam & cyclopicam κρεοφαγίαν καὶ ἀνθρωποφαγίαν Christi damnasse, & pertinaciter contendisse: Verba Christi non intelligenda esse, quemadmodum sonant, sed simplicem hanc, quam nos constanter doceamus, fidem, horribilem Idololatriam esse, omnibusq; Christianis fugiendam.

Lutheri doctrina de Cœna Domini quomodo à Zvvinglianis & Caluinianis damnata.

Pręterea, non de vno hoc duntaxat articulo inter Caluin. & nostros, sed de alijs etiam quàm plurimis controuersiam esse, qui non minoris momenti sint: videlicet, de persona Christi, in qua oẽs articuli symboli Apost. de filij Dei incarnatione, de natiuitate, de

Certamen inter Caluin. & August. Confes. doctores, in multis articulis religionis Christianæ.

passione, de morte, de resurrectione, de ascensione, de sessione ad dexteram Dei, inuoluantur: Item, de ipsius omnipotentia: de eius infinita & non mensurata scientia & sapientia: de eiusdem præsentia in administratione omnium creaturarum: de eius religiosa adoratione & inuocatione in omnibus tribulationibus: de Baptismo: de Prędestinatione electorum ad vitam æternam, & alijs; quos errores illorum explicationes subinde magno numero gignant. De quibus omnibus, nisi pius quoque consensus statuatur: frustra de concordia in vno duntaxat articulo (de Cœna Domini) facienda laboratum iri.

Ad quæ Baro de Cleroan respondit, hæc sibi priùs inaudita fuisse, plerisque etiam in Gallijs ignota. Se enim hactenus, quemadmodum etiam alios quàm plurimos Gallos, in ea opinione fuisse: de Cœna Domini solùm inter illorum & nostras Ecclesias, dissensionem esse.

Consilium Baronis de Colloquio inter D. Iacobum, & D. Bezam instituendo.

De his cùm inter Baronem de Cleroan, & D. Iacobū collocutio breuis facta esset, D. Baro Doctori Iacobo dixit: An nō inter ipsum & D. Bezam familiare colloquium institui possit? Ad quam rem, vel Argentotatum, vel Mompelgartū commodissimum locū fore, in quo cōuenire, & placidè de hoc negotio cōferre queant. Cui D. Iacobus respondit: Quod ad suam personam attineret, se semper promptū & paratum fore. Et sperare se, vt maximè consensus, & concordia non constitueretur: non contemnendum tamen fructū inde expectandum esse: videlicet, vt sublatis mutuis accusationibus, quæ cuiusq; partis perpetua & constans sententia, eiusq; fundamenta propria

Quis fructus ex Colloquio sperandus.

pria essent, tanquam in breui tabella depicta, omnibus demonstrari queat.

Vtrinque enim partes litigantes conqueri, multa eis falsò tribui, quæ in ipsorum scriptis nõ reperiantur. Verbi gratiâ: D. Beza cũ suis, Ecclesias Germaniæ, Augustanæ Confessionis, non modò in Gallia, sed per vniuersum Christianum quoq; orbẽ, publicis scriptis accusat, quòd Cyclopicam & Capernaiticam mãducationem corporis Christi in Cœna Domini, doceant: in qua corpus Christi dentib. atteratur, per guttur in ventrem traijciatur, in ventriculo digeratur, & saluo honore, per secessum eijciatur.

Ecclesiæ Augustanæ Confessionis quomodo à Beza accusentur.

Hoc persuasi sunt Galli de nostris Ecclesijs, qui D. Bezam audiunt, & ei fidem habent. Qui hoc vno duntaxat potissimùm nomine, se à Cœna nostra Dominica abhorrere, apertè testantur.

Cur Galli ab Ecclesijs in Germania reformatis abhorreant.

Cùm autem nihil horum vel Luthero, vel nostris in mentem vnquam venerit; nec ex vllis nostrorum scriptis vnica proferri litera possit, qua id D. Beza, aut alij eiusdem opinionis assertores demonstrare queant: quin potiùs hãc ipsam Capernaiticam manducationẽ omni tẽpore apertissimis verbis damnauerint, gradũ ad concordiam vtriusq; partis ingenua negatione Capernaiticæ manducationis non contemnendum factum esse, omnes fateri oportet. Sic quoq; D. Beza cum suis fratribus ostendere posset, si suam suorumque opinionem nostri non assequerentur, se non rectè intelligi: sed contra ipsorum voluntatem ipsis tribui, quod minimè tueri velint.

Capernaitica manducatio carnis Christi à Luthero semper damnata.

In alijs verò, si neutra pars de sua, vel sententia, vel opinione aliquid remittere, aut cedere posset: remo-

tis illis accusationibus falsis, & posito vero controuersiæ statu, vtriusq; doctrinæ fundamenta breuiter signata subijcerentur. Ex quib. omnes pij, etiam mediocriter intelligentes, facilè iudicare possent, vtra pars expresso Dei verbo: an verò humanâ glossâ suam doctrinam cõfirmaret. Idem quoq; in reliquis Articulis cõtrouersis fieri posse, vt collatione placidè facta, vel nobis, quos Lutheranos vocant, assentiri cogerentur, quos sic appellant, Zvvingliani & Caluiniani: aut tàm absurda & impia asserere, à quib. piæ mentes toto pectore abhorrerent; quæ sua absurditate, & impietate se ita cõfutarent, vt nulla alia prolixiore refutatione opus esse, omnes intelligerent.

Hæc cùm ad eum modum inter Baronem de Cleroan, & D. Iacobum tractata essent: omnis deinceps sermo de conuentu, & colloquio inter D. Iacobum, & D. Bezam instituendo fuit.

Colloquium Baronis de Cleroan cum D. Osiandro de Colloquio inter D. Bezam, & D. Iacobum instituendo.

Qua de re cùm D. Baro de Cleroan etiam cum D. Luca Osiandro, in Aula Principis Vvirtembergensis collocutus esset: eundem diligenter rogauit, quantum in ipso esset, hunc Theologorum D. Bezæ, & D. Iacobi conuentum promoueret. Se enim curaturum, vt D. Beza quoque compareat, & pacis & veritatis se studiosum declaret.

Petitio Gallorum apud Illustriss. Principem Fridericum Vvirtembergensem, &c. de Colloquio instituendo.

Paucis deinceps interiectis septimanis, quum D. Iacobo ignotũ esset, quid Baro de Cleroan interim effecisset: Illust. Princeps Fridericus, Comes Vvirtẽbergensis, & Mompelgartẽsis, à Gallis propter Religionẽ Mõpelgarti exulãtibus, aliquoties solicitatur, si qua ratione fieri possit, vt Colloquiũ inter D. Bezam, & D. Iacobum instituer etur. Quorũ petitioni

tamen

tamẽ Princeps Fridericus aſſentiri noluit, niſi de volũtate ipſius Bezæ cõſtet, & D. Beza idẽ literis petat.

Quod cùm factum eſſet, Fridericus Comes ad Illuſtriſſ. Principem Ludouicum Ducem Vvirtembergenſem, cognatũ ſuum ſcribit, ac petit, vt D. Iacobus Mompelgartum, ad petitam cum D. Beza placidam collationẽ mittatur. Ad quam 13. dies Martij dicta erat. Idem quoq; binis literis ad ipſum Doctorem Iacobum ſcriptis, clementer poſtulauit, ne Colloquium cum D. Beza detrectare velit, quod tanto ſtudio à Gallis expetatur.

Illuſtriſſ. Princeps, Comes Fridericus à Duce Ludouico petit D. Iacobum ad Colloquium mitti.

D. Iacobus binis literis Illuſtriſſ. Principis Comitis Friderici ad Colloquium vocatus.

Quum igitur Princeps Ludouicus non ægrè aſſentiretur, & cognato ſuo Friderico Comiti gratificari cuperet: D. Iacobo, D. Lucam Oſiandrum Theologum, & Politicos Conſiliarios duos, nobilitate generis & eruditione præſtantes viros, Ioannem Vvolffgangum ab Anvveil, & D. Fridericũ Schutz, I V. Doctorem adiungit.

Comites itineris D. Iacobi Andreæ.

Poſtquam autem Vvirtembergici Theologi & Politici, 14. Martij Mompelgartum peruenerant: à Gallis exulibus, à Barone Beluoes, & Barone Veſin, & multis nobilibus, viris doctis, in Arce humaniſſimè excipiuntur, & ſalutantur.

D. Iacobus cum Legatis Vvirtembergicis à Gallis humaniſſimè exceptus.

Abſente verò adhuc D. Beza cum ſuis, Theologi Vvirtembergici interea, de ſingulis cõtrouerſis Articulis, quorũ numero quinque potiſſimùm erant, de Cœna Domini: de perſona Chriſti: de Prædeſtinatione: de Baptiſmo: & de tẽplis Pontificijs reformãdis, &c. breuiſſimas, & perſpiſcuas Theſes cõſcripſerunt. Et vt collocutio magis expedita eſſet, in ſingulis articulis ab initio Theſes poſitæ ſunt, quib. breuiter

Theſes de controuerſis Articulis à Theologis Vvirtembergenſibus conſcriptæ.

1. ter ostēditur, de qua re nulla controuersia sit, aut vnquam inter vtramque partem fuerit. Qua ratione multæ nō necessariæ disputationes rescindi possint.

2. Deinde, status controuersiæ verus & proprius positus est, de qua re potissimùm in singulis articulis controuertatur, & vtrinque pugnetur.

3. Tertiò, fundamenta assertionis & confessionis Ecclesiarum Augustanæ Confessionis in libro Concordiæ comprehensa subijciuntur, ex verbo DOMINI petita: quibus suam doctrinam eius Doctores & Pastores propugnant.

4. Quartò, doctrina aduersariorum, & eorum dogmata recitantur, & reijciuntur, quæ cum expresso Dei verbo pugnant.

Comites itineris D. Bezæ.

Quibus perfectis & absolutis, postquam D. Beza cum Theologis, Abrahamo Musculo Bernensis, & Antonio Faio Geneuensis Ecclesiæ ministris: Petro etiā Hiebnero Græcæ linguæ in Gymnasio Bernensi Professore publico, Claudio Alberio D. Professore Philosophiæ in Academia Lausannensi: & politicis, Samuele Mayero Reipub. Bernensis Senatore, Antonio Marisio Geneuensi Senatore, (quos secū adduxerat) 20. Martij Mompelgartum peruenisset: ab Illust. Principe Friderico in arcem vocati, statim Theologos Vvirtembergenses salutare cupiuerunt. Quod cū Vvirtembergensib. significatū esset: eandem humanitatem ipsis quoq; declarare voluerunt.

Primus congressus Theologorum in arce Mompelgartensi.

Primo ergo hoc cōgressu facto: cùm de sua voluntate testificatus esset D. Beza, se ad collationem hāc placidam, animum docilem, veritatis & concordiæ studiosum attulisse: Vvirtembergici Theologi suam quoque

quoque viciſſim voluntatem illis declarârunt, ſeque non verbis multa polliceri, ſed ipſo facto in collatione inſtituta comprobaturos, animum veritatis, & piç ſanctæq; concordiæ ſtudioſum, ipſis nunquam defuiſſe, aut vnquam defuturum.

Sequenti die, qui erat 21. Martij, Illuſt: Princeps Comes Fridericus rogatus à Gallis fuit, (qui Mompelgarti hoc tempore propter Religionem exules commorantur) vt illis quoque Colloquio intereſſe liceret. Quod Celſitudo ipſius clementer ita conceſſit, vt quibus Latina lingua nota eſſet, ne ab eo excluderentur. Galli exules petunt ſe ad Colloquium quoque admitti.

COLLATIO DE COENA DOMINI, INCHOA-TA XXI. MARTII.



HORA igitur ſeptima, cùm Illuſt: Princeps, Comes Fridericus in locum Colloquio deſtinatum, vnâ cũ Conſiliarijs & Nobilibus ſuis aulicis veniſſet: Theologi quoq; vtriuſq; partis, & ſimul magno numero Galli exules adeſſent, duabus menſis poſitis, & parùm à ſe inuicẽ remotis, priorẽ Illuſt: Princeps Fridericus cũ Theologis & Legatis politicis Vvirtẽbergicis ſuprà nominatis (quibus Concionatorem ſuũ Aulicum M. Gaſparum Lutz adiunxit) occupat. In altera verò D. Beza cũ Geneuenſibus, & Bernenſibus Theologis, Philoſophiæ, & linguæ Græcæ Profeſſoribus, & ipſis ab vtraque Repub. adiunctis politicis collocati ſunt. Conſeſſus Collocutorũ in Colloquio.

Omnibus igitur ad Colloquium inchoandum paratis: Princeps Fridericus per Cancellarium suũ oratione sequente Theologis de felici aduentu solenniter gratulatur, & eosdem ad studium pacis & veritatis clementer hortatur.

CANCELLARII MOMPEL-gartensis, D. Hectoris Vogelmanni, Oratio.

Gratulatio Illust: Principis, Comitis Friderici.

POsteaquam Illustriss. Princeps, Dominus Fridericus, Comes Vuirtembergicus, & Montisbelgardensis, &c. Princeps meus Clementißimus, annis superioribus per inclytæ nobilitatis Gallicanæ clarißimos quosdã viros, non semel admonitus fuerat, vt illis, de quibusdam Articulis controuersis in negocio Religionis, collationis instituendæ hoc in oppido, et ipsius Celsitudinis curia daretur locus: opportunitatẽ siquidem propter idioma Gallicum, et Imperij Maiestatem, quibus hîc frui liceret, fore commodißimam. Quorum etiam petitioni hactenus moderni quoq; Domini exules sæpi-

ſæpiùs inſtiterunt. Princeps itaq; meus Clementiſsimus, pro ſibi innato cãdore, vt graue illorũ exilium, et conſcientiam (quorum vices piè Chriſtianeq; cõdolet) quodammodo conſolaretur: deſiderio, et votis ipſorum deeſſe noluit. Negocio itaque tam arduo, quàm ſalutari, ad Celſitudinis ipſius cognatum, Illuſtriſſ: D. Ducem Vuirtembergicum Ludouicum, &c. delato, omnem tandẽ rem eò deduxit, vt ipſius Celſitudo quoque pro ſuo erga Religionem Chriſtianam pio affectu aſſenſerit, et Reuerendiſsimos ſuos Theologos, pacis & concordiæ ſtudioſos, cum Politicis quibuſdam nobilibus hûc tranſmiſerit: id quod à vobis quoq; factitatum eſſe apparet. Quorum omnium aduentui Clementiſsimus meus Princeps ex animo congratulatur, & ſummis à Deo Opt. Max. precibus flagitat, vt per gratiam præſidis Spiritus ſui ſancti, omnia ad ipſius

nominis gloriam, & Reipublicæ salutarem concordiam à vobis vnanimiter sententiæ dicantur. Sic itaque bono initio inchoata res, vt optato quoq; peragatur exitu: postulat Clementissimus meus Princeps, vt pro tua singulari humanitate, Reuerende D. Beza, animum tuum, & tuorum Symmistarum aperias. Idem quoque facturi sunt Illustrissimi D. Ducis Ludouici, &c. Theologi: & persuasum habeas, ipsius Celsitudinem totis viribus elaboraturam, vt nuncupatis votis, desiderio omnium adprimè & quoad fieri potest, salua veritate, satisfiat.

Posteaquam hæc à Cancellario recitata sunt; D. Beza D. Iacobo honorem detulit, vt ille prior ad ea responderet. Quia verò D. Beza peculiariter Oratione Cancellarij compellatus fuit: D. Iacobus D. Bezam rogat & hortatur, vt ad postulationem Illustriss: Principis Friderici respondeat, & animum suum de processu Colloquij aperiat.

D. BEZA.

D. BEZA.

PRimùm igitur Illustriss. Principi, Comiti Friderico pro pio voto, & clementissima voluntate gratias egit D. Beza: cuius pietate hæc collatio ad petitionem Gallorum instituta sit. Quod verò ad processum Colloquij attinet: optaret, omnia in scriptis peragi. Posse enim in collatione instituta, alicui vocem inconsideratam excidere: quod in scriptis caueri queat, vbi omnia accuratè expendantur, & singula magis circumspectè scribantur. Præfatio Bezæ. Beza optaret scriptis collationem institui.

Placere autem rationem, quæ per Principem, Comitem Fridericum, illi statim, post aduentum eius, ex sententia Theologorum Vvirtembergensium pridiè significata fuerit: videlicet, vt primùm de controuersis articulis breuissimæ Theses proponantur, in quibus præmittatur, de quibus in singulis articulis, inter ipsos Theologos disputantes conueniat. Deinde status cõtrouersiæ disertè, perspicuè, & breuiter ponatur, vt auditores intelligant, de qua re disceptetur. De processu Colloquij consensus D. Bezæ.

Tertiò vtriusq; partis sententiæ Fundamenta ex solo Dei verbo assignentur, quibus qualibet pars suam doctrinam in controuersis articulis confirmet.

Postremò dogmata recitentur, quæ cum Scriptura sacra, vel ex hac, vel altera parte pugnare videantur.

Nec transitus in collatione instituta ex vno Articulo in alterum fiat: sed tantisper de vno duntaxat colloquantur Theologi, donec in eo vel consensus pius constituatur: aut quibus in rebus vna pars alteri cedere non possit, apertè ostendatur.

D. IACOBVS.

D. Iacobus, cùm ipsi quoque dicendi locus datus esset, primùm Deo æterno, patri Domini nostri Iesu Christi gra- Summa responsi D. Iacobi Andreæ, ad orationem Bezæ de processu Colloquij.

sti gratias egit pro hoc conuentu instituto: eumq; rogauit, vt sua gratia adesse, & vtriusque partis corda suo sancto Spiritu gubernare, & singulorum cogitationes & sermones, ad nominis sui gloriam, & Ecclesiæ salutem dirigere velit.

Gratias quoque Illustriss. Principi, Comiti Friderico egit, quòd ipsius pietate, & clementissima voluntate, ad propagationem veritatis doctrinæ cœlestis, piamq́ue ac Deo gratam concordiam cõstituendam, hoc Colloquium susceptum esset. Et cùm in eo promouendo nullis sumptibus pepercerit: Deum largissimum remuneratorem fore, dixit.

Quod verò ad processum Colloquij attinet: probari sibi propositam rationem, testatus est. De qua ipsi quoque Theologi Vvirtembergici cogitauerint: nec meliorem videri, qua omnia compendio peragi, & expediri queant. Normam autem, & regulam dijudicandi omnes controuersias vnicam & solam esse verbum Dei, ostendit: quod ad dirimenda omnia certamina in Ecclesia sufficiat, suiq; ipsius optimus sit interpres, cui omnia subijciantur.

Norma & regula iudicij, verbum Dei.

Vt autem scriptis duntaxat agatur: sibi minimè consultum videri. Si enim hæc colloquendi ratio ineunda fuisset: potuisse vtramque partem, & sumptibus parcere, & molestijs quàm plurimis subleuari, quæ in itinere eundo, & redeundo sustinendæ fuerint, hac præsertim aëris inclementia.

D. Iacobus vrget Colloquium.

Deinde, exoptatum finem non fuissent consecuti auditores, dixit. Qui cùm iam pridem vtriusque partis scripta legerint: non tamen semper in illis se expedire potuerint. Optasse ergo, & desiderasse eos familiarem illam collationem, in qua viuo sermone (qui nescio quid latentis energiæ habet) suam sententiam ad interrogata alterius partis, singuli disertè, & perspicuè explicent. Quod D. Bezæ minimè graue, aut molestum futurum speret. Neque esse, vt quidquam insidiarum, aut captionum hic metuendum sit. Candidè enim, & syncerè, ad inquirendam veritatem omnia actum iri: & vtrique parti integrum semper fore, si quid minus circumspectè dictum sit, vel retractare, vel suam sententiam magis perspicuè explicare.

Quia verò initium controuersiæ, quæ inter Ecclesias Gallicanas, & Augustanæ Confessionis Germanas, nunc multis annis durauit, in Articulo de Cœna Domini factum sit, ex qua deinceps aliæ quoque ortæ sint: videri sibi consultum, vt collationis quoque placidæ exordium ab eodem articulo fiat.

Colloquium cur à Cœna Domini inchoandum.

De quo vt magis expedita collatio esset, D. Iacobus Theses paucas scripto comprehensas D. Bezæ exhibuit, & vt eas cum suis Collegis non modò diligenter expenderet, sed etiam quid in singulis desiderarent, breui scripto ipsi quoque complecti, & suam de Cœna Domini sententiam explicatam Vuirtembergensibus Theologis tradere vellent, rogauit. Quibus vtrinque perlectis, deinceps ad familiarem collationem in præsentia Illust. Principis, & reliquorum auditorum procederetur.

THESES THEOLOGORVM VVIRTEMBERGENSIVM de Cœna Domini.

I.

XTRA controuersiam est, omnes fideles spiritualiter manducare carnem filij hominis, & bibere eius sanguinem: secundum illud Christi dictum: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis, Ioan.6. Hæc spiritualis manducatio fit per fidem, etiam extra vsum Cœnæ Dominicę: & semper salutaris est. Sic enim Christus ait: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, Ioan. 6. Cùm manducatio in Cœna Domini interdũ sit perniciosa, & ad iudicium cedat. Itaque constat, hanc ab illa diuersam esse: tametsi ad salutem Sacramenti Cœnæ Dominicæ perceptionem, spiritualis manducatio sit necessaria.

Ioan. 6.

Discrimen inter manducationem carnis Christi Ioan. 6. & sacramentalem.

Neque

II.

Manducatio carnis Christi Capernaitica damnata.

Neque vnquam cum Capernaitis sensimus, neque sentiemus: qui putabant, carnem Christi dentibus laniandam, & manducandam eo modo, quo carnes bouinæ, aut aliæ comeduntur. Quare nihil opus est de Capernaitica laniena aut manducatione disputare.

III.

Transsubstantiatio Papistica damnata.

Neque transsubstantiationem Pontificiorum recipimus, qui fingunt, panem in sacra Cœna Domini conuerti in substantiam corporis Christi, & vinum transmutari in sanguinem Christi: sed fatemur, quòd in sacra Cœna verum panem edamus, & verum vinum bibamus, nulla intercedente transsubstantiatione.

IV.

Præsentia corporis & sanguinis Christi non localis.

Neque Physicam & localem, corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna præsentiam, aut inclusionem statuimus.

V.

Status Controuersiæ.

In controuersiam autem venit: An in sacra Cœna verum corpus, & verus sanguis Domini nostri Iesu Christi verè & substantialiter sint præsentia: atque cum pane, & vino distribuantur, & ore sumantur, ab omnibus illis, qui Sacramento vtuntur, siue digni, siue indigni, boni aut mali, fideles aut infideles: ita tamen, vt fideles in Cœna Domini consolationem, & vitam percipiant: infideles autem eam ad iudicium sumant. In hac quæstione, nos affirmatiuam sententiam amplectimur & defendimus.

VI.

De particulis IN, SVB, CVM pane, &c.

De vocabulis: substantialiter, corporaliter, realiter, oraliter, essentialiter, &c.

Per vocabula: In, Cum, Sub pane: nihil aliud intelligimus nisi hoc: quòd ij, qui in Cœna Dominica panem illum comedunt, & vinum bibunt, simul etiam sumant reuera corpus & sanguinem Christi. Sic etiam vocabula substantialiter, corporaliter, realiter, essentialiter, oraliter, nihil aliud nobis, nisi veram corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna, præsentiam & manducationem significant.

VII.

Huius nostræ fidei fundamenta hæc sunt: Primùm quidem verba

verba Christi, Dei & hominis, qui in sacræ Cœnæ Dominicæ institutione (panem discipulis suis porrigens) dixit: Edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Et calicem vini exhibens, dixit: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur. Et Paulus de hoc Sacramento loquens, ait: Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne COMMVNICATIO sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nónne participatio corporis Christi est? In hoc primo fundamento verborum Testamenti Christi, etiam sequentia comprehenduntur.

Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 10.

VIII.

Secundum est: quòd Christus, qui Deus est, mentiri nescit, Tit. 1, & quòd in ore eius non inuentus est dolus, 1. Pet. 2.

IX.

Tertium est: quòd Christus est Deus & homo, in vna inseparabili persona. Quare ei nihil est impossibile. Quæ enim impossibilia sunt apud homines: possibilia sunt apud Deum, inquit Christus, Luc. 18. Et Angelus Gabriel inquit: Non erit impossibile apud Deum omne verbum, Luc. 1. Et de Homine Christo inquit Ioannes: Sciebat Iesus, quòd omnia dedit ei pater in manus, Ioan. 13. Et Scriptura testatur: Christum filium hominis collocatum esse ad dexteram Dei: quæ est infinita Dei potentia: & datam esse illi omnem potestatem in cœlo & in terra, Matth. 28. Itaque Christus omnia, quæ promisit, præstare potest. Cùm igitur verbis Testamenti sui promiserit, quòd VELIT nobis corpus suum manducandum, & sanguinem suum bibendũ dare: & omnia quæ promisit, præstare POSSIT; certissimum est, quòd in sacra Cœna cum pane corpus Christi edamus, & cum vino sanguinem eius bibamus.

Ephes. 1. Heb. 1. Psal. 110.

X.

Modus autem, QVOMODO in sacra Cœna cum pane & vino, digni & indigni sumant corpus & sanguinem DOMINI: in sacris literis non exprimitur. Quare de MODO tantùm hoc dicere possumus: eum esse supernaturalem, & rationi

De modo præsentię & manducationis corporis Christi, non disputandum.

humanæ incomprehensibilem]: ideoq́ue de eo non disputandum. Deus enim plures rationes & modos (pro sua immensa sapientia, & Omnipotentia) inuenire potest, quibus efficiat, vt corpus & sanguis Christi alicubi sint, & vescentibus exhibeantur, quàm duntaxat Physicum & naturalem modum, quem sola humana ratio intelligit. Itaque in hoc diuino Mysterio rationem nostram captiuam ducimus, & simplici fide verbis Christi (Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus) sana & tranquilla conscientia innitimur.

SEQVENTIA DOGMATA cum Scriptura sacra pugnare iudicamus.

I.

QVòd verba Testamenti Iesu Christi non simpliciter vel κατὰ τὸ ῥητὸν, vt sonant, intelligenda sint. Ea enim obscura esse: ideoq́ue verum eorum sensum ex aliis Scripturę locis petendum.

II.

Quòd in sacra Cœna tantùm panis & vinum ore accipiantur: Corpus verò Christi spiritualiter duntaxat, *FIDE* nimirum, sumatur. Fide enim in cœlum ascendendum, vt ibi corporis & sanguinis Christi participes fiamus: quia Christi corpus post ascensum in cœlos, ante nouissimum diem nusquam nisi in cœlo sit.

III.

Deum enim ne vniuersa quidem sua Omnipotentia efficere posse, vt corpus Christi, vno eodemq́ue tempore, in pluribus quàm vno tantùm loco, sit præsens.

IV.

Itaque nobis in Sacramento Eucharistiæ corpus Christi non magis in terris præsens esse, quàm olim Abrahæ fuerit.

In

V.

In sacra Cœna duntaxat virtutem, operationem, & meritum absentis corporis & sanguinis Christi dispensari.

VI.

Quòd inter indignè manducantes, & iudicium (è Cœnæ Domini perceptione) sibi sumentes, numerentur etiam ij, qui aliqua fidei imbecillitate, aut alijs infirmitatibus laborant: cùm tamen veram fidem habeant.

VII.

Quòd quidam (non sine horribili blasphemia) affirmant: ex manducatione sacramentali sequi, corpus Christi in ventriculum traijci, & ibi concoqui, vel non concoqui: indeq́ue tandem adeò vel excerni, vel non excerni: & si quæ sunt similia, auditu horrenda, & Christianis hominibus indigna, vel dicta, vel scripta.

Theodor. Beza in volumine 2. Theolog: tractationum, Pag. 450.

D. BEZA.

CVm ita Theologis Vvirtembergicis videatur: sibi quoq; propositam colloquendi rationem non improbari: ideo repugnare nolle, aiebat.

Dimissis ergò auditoribus, D. Beza eodem die cum suis fratribus Theses de Cœna Domini exhibitas legit, expendit, suamq; sententiam cùm de Cœna Domini, tum etiam de Thesibus, scriptis comprehensam, Theologis Vvirtembergicis sequente die ante prandium exhibuit: de quibus hora Pomeridiana prima eiusdem diei familiaris & placida collatio instituta est.

Scriptum D. Bezæ; in quo ipsius & Collegarum eius Confessio de Cœna Domini, continetur,

SVMMA NOSTRÆ, de Cœna Domini, doctrinæ.

Protestatio D. Bezæ, & fratrum eius, de Colloquio instituto.



REVERENDI *viri, quibus cum nunc est nobis agendũ, inprimis hoc testamur; nos qui ex voluntate Illustrißimi Principis Friderici, Comitis Vvirtembergensis & Mompelgartensis, ex Ecclesiæ Bernensis & Geneuensis consensu, ad hanc collationem venimus; hæc omnia, vt priuatas personas agere, nullo prorsus vllius Ecclesiæ vel pastoris cuiusquam* [a] *præiudicio.*

ANNOTATIONES *marginales refutatoriæ D. Iacobi Andreæ.*

a. Quamuis & nos Ecclesijs nostris nihil præiudicamus: doctrinæ tamen nostræ nos minimè incertos, aut dubios esse testamur, vt quæ aperto & expresso Dei verbo nititur.

Deinde hæc, quæ sequuntur, vobis proponimus: vt cùm breuem totius nostræ, de Cœna Domini, doctrinæ summam habueritis, tantò facilius ea cum vestro scripto comparata, in quibus conueniamus, aut dissentiamus, vtrinq; animaduerti poßit.

I.

DE SIGNIS.

Quid Sacramenta Bezæ significent.

b. Æquiuocatio vocabuli (SACRAMENTI) latibulum erroris, quod in Ecclesijs nostris semper duas res complectitur, terrenam, & cœlestem, sacramentaliter & realiter coniunctas.

Signa, siue symbola, siue [b] *sacramenta, cũ angustiore significatione hæc vox accipitur, appellamus in hoc argumẽto res in sensus externos incurrentes; ex Domini institutione et mandato à cõmuni & naturali vsu rebus spiritualibus et sacris*

ſacris nobis ſignificandis, deſtinatas. Cuiuſmodi ſunt panis & vinum in Cœna Domini, vnâ cum ritibus à Christo in eorum recta adminiſtratione præſcriptis.

Hanc autem [c] *ſignificationem ſacramentalem dicimus minimè nudam eſſe rerum ſignificatarum externam repræſentationem, qua mens tantùm admoneatur ad id concipiendum, quod ſenſibus obijcitur; qualis eſt imaginum & picturarum vſus vulgaris: ſed quod ad Deum attinet, ſemper cum ea coniunctam eſſe ipſam rerum ſignificatarum veram animis noſtris oblatam præbitionem.*

c: Chriſtus non ad ſignificationem: ſed ad exhibitionem rerum ſpiritualium, externa organa ordinauit.

Fundamentum huius Theſeos.

In hac re [d] *conſentire nos per omnia arbitramur; eo vno excepto, quòd ſoli Menti præberi res ſignificatas docemus, quas vos exiſtimatis ori quoque ſumendas exhiberi. Qua de re dicendum erit in altera quæſtione, in qua videlicet agimus de ſignorum & rerum ſignificatarum exhibitione.*

d: Nullus hic conſenſus eſt, ſed aperta diſſenſio. Nam ad exhibitionem, non ad ſignificationem rerum ſpiritualium externa elementa in ſacramentis deſtinata ſunt.

II.

DE REBVS SACRAMENTA-
liter ſignificatis.

PAne illo, corpus illud Chriſti pro nobis traditum; vino illo, ſanguinem illum pro nobis effuſum; panis illius fractione, & ſanguinis illius fuſione, diros illos pro nobis tum in corpore, tum in anima, à Chriſto toleratos cruciatus: exteriore eorundem ſymbolorum traditione, interiorem ac ſpiritualem mentibus noſtris à Chriſto factā præbitionem: deniq; eorundem ſymbolorum ſumptione externa, ſpiritualem eiuſdem Chriſti per fidem receptionem ſacramētaliter, verè tamen (ſicuti diximus) ex ipſius Chriſti [e] *ordinatione ſignificari, docemus.*

e: Ex diuina ordinatione, non ſignificationis, ſed cōmunicationis cauſa, panis & vinum adhibentur.

Fundamentum secundæ Theseos.

Cùm Dominus, non tantùm quibus signis vtendum sit in his Mysteriys, ostenderit: sed etiam faciendum præceperit, quod fecit: docemus, non tantùm panem, & vinum, sed etiam illorum administrandorum [f] *ritus diligenter obseruandos esse: quòd sua significatione, & ea quidem minimè vana, non careant.*

f: Ritus in Sacramentis obseruandi sunt, quos Christus seruandos præcepit.

III.

DE SIGNORVM ET RERVM SI-gnificatarum coniunctione, seu copulatione sacramentali.

CVm [g] *Sacramenta angustiore (vt dictum est) significatione sint signa: sacramentalem coniunctionem ponimus in mutua signorum, & rerum significatarum relatione & habitudine: qua fit, vt res illæ in sensus incurrentes, ex Christi ordinatione, à communi & naturali suo vsu, ad res sacras nobis & significandas, & re ipsa diuinitus præstandas, adhibeantur.*

g: Externa elementa non sunt Sacramenta: sed pars tantùm Sacramentorum. Ideo insidiæ sub varia acceptione vocabuli (Sacramēti) diligenter obseruandæ, & cauendæ sunt.

Fundamentum huius Theseos.

I.

Primum fundamentum huius Theseos est, [h] *veritas corporis Christi, verè circumscripti et localis tum ante, tum post glorificationem: quæ veritas stare non potest, si alia ratione dicatur adesse pani, Christi corpus, quàm illa relatiua habitudine. Itaque quot testimoniys illa veritas corporis Christi confirmatur, (sunt autem penè innumerabilia) totidem testimoniys realis consubstantiatio conuellitur.*

h: Veritas corporis Christi circumscripti & localis, cum presentia eiusdem corporis Christi reali in Sacramento nō pugnat; quoniam Physica, & localis non est, sed sacramentalis.

Secun-

Secundum: Quot locis confirmatur vera [i] *& Physica corporis Christi discessio à terris in cælos, & eiusdem de cælis reuersio, extremo demum illo die futura, tot locis refutatur illud ipsum dogma, his ex diametro repugnans.* 2.

i: Sic quoque Physica discessio corporis Christi à terris, cum sacramentali præsentia non pugnat.

Tertium: Expreßè dicit Paulus 2. Cor. 5. Nos nũc [k] *peregrè abesse à Domino: & vt sit cum Christo, cupit dissolui: iubensq́; nos superna quærere, non temerè addit, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens: quod superuacaneum esset, si adhuc in terris nobiscum versaretur.* 3.

k: Peregrinatio corporalis seu terrena à Christo, non pugnat cum sacramentali præsentia, & coniunctione cum corpore Christi; quæ non est terrena, sed cœlestis & supernaturalis.

Itidem (vt alia innumera testimonia prætereamus) testatur Christus expreßis verbis: se ire ad parandum locum, vbi suos est recepturus. Ioan. 14. Ioan. 3.

Ex quo efficiuntur duo: [l] *Vnum, abysse ipsum in certum locum, cùm hunc mundum desereret. Alterum, qui sunt in mundo, non esse cum Christo, id est, non esse eo in loco, vbi nunc est caro Christi: sed exeuntes è mundo, in eum locum recipi, vbi iam Christus est, id est, in Paradysum: sicut ipse explicat, latronem illum compellans, Luc. 23.*

l: Putat Beza cum suis, nos non aliter cum Christo, neque Christum aliter nobiscum esse posse, nisi fiat id localiter, & Physica præsentia; quod fundamentum est totius huius erroris de cœna Domini.

Quartum: Affirmamus perpetuum hunc fuisse veteris Ecclesiæ [m] *consensum de vera essentiæ carnis Christi, ex quo in cælos ascendit, à nobis absentia: & perpetua eiusdem essentiæ carnis Christi, nunc in cælis, non in terris positæ, circumscriptione organica & localitate: quæ cum alia sacramentali coniunctione, quàm cum illa* [n] *σχετικὴ & relatiua cohærere non magis poßunt, quàm simul stare contradictoria.* 4.

m: Non esse hunc veteris & purioris Ecclesiæ consensum; in solida refutatione Consensus Orthodoxi demonstratum est.

n: Coniunctio corporis Christi cum signis in terris, non est σχετικὴ & relatiua: sed realis, cœlestis, diuina, & supernaturalis.

DE SI-

IV.
DE SIGNORVM ET RERVM SIGNIficatarum, in Cœna Domini ritè administrata, perceptione.

(o) Vocabuli (Sacramenti) æquiuocatio, erroris latibulum est: quod purioris Ecclesiæ doctoribus duas res significat, terrenam & cœlestem: sicut vocabulum quoque εὐχαριστίας, apud Irenæum & alios scriptores Ecclesiasticos.

CVm [o] Sacramenta (hoc vocabulo latiore notatione accepto) duabus rebus constant; vna videlicet terrena, altera cœlesti: docemus, rem terrenam id est, panem & vinum, terrenis instrumentis, manu scilicet, & ore percipi: & similiter ritus Sacramentales, corporeis itidem instrumentis peragi. Rem autem cœlestem, id est, quidquid per illa sacramentaliter significatur, sicuti soli Menti subijcitur, sic sola Mente per fidem apprehendi.

Fundamentum huius Theseos.

(p) Christus in verbis Testamenti, corpus suũ ore manducari iussit; nulla mentis, aut fidei mentione facta.

(q) Chrysostomns testatur, Christum per corporalia, spiritualia dispensare, cùm panem exhibens dicit: Accipite, manducate, Hoc est corpus meum. Ita etiam, per corporale organum, hoc est, ore accipere iussit. Analogia ergò optimè quadrat: quòd sicut CVM pane datur corpus Christi; ita ORE percipitur.

(r) Corporalem esse modũ perceptionis, ex verbis Christi demonstratur, accipite, manducate; quod ore fit: non dicit, Credite.

(s) Nequaquam figurata mãducatio corporis Christi in Cœna Domini est: sed vera, & realis, quæ in mysterio fit: ideo Metonymia hic locum non habet.

Etsi [p] corpus Christi, quod in Cœna sumendum præbetur, est verum corpus organicum; tamen analogia poscit, vt qualis est alimonia, & eius finis; talis sit illius alimoniæ percipiendæ modus. Atqui rei sacramentaliter significatæ, id est, carnis & sanguinis ipsius Christi, alimonia & finis sunt spirituales, [q] id est, ad spiritualem coniunctionem cum Christo, & vitam æternam ex illo hauriendam spectant. Spiritualem ergo earundem rerum percipiendarum [r] modum esse necesse est; & animæ instrumento proprio, id est, fide, tàm in verbo simplici, quàm in Sacramentis peragi. Deinde terrena signorum terrenorum sumptio, pignus est alterius, nempè spiritualis illius; ac proinde voces comedendi & bibendi, sicuti propriè de signorum sumptione, [s] SIC FIGVRATE de rebus significatis dicuntur Sacramentali METONYMIA; qua, quod signis competit, rei significatæ attribuitur.

Vtraque

Vtraque[t] *ergo ſumptio ore peragi nec poteſt, nec debet. Quia aut vtraque res eſſet hac ratione pignus tertiæ alicuius rei, toto genere diuerſæ; aut earum altera eſſet ſuipſius ſignum & pignus: ſiue ſimul ſignum, & res ſignificata: ſiue pignus, & res ipſa, cuius pignus eſſet: quod vtrunque eſt abſurdiſſimum. Quamobrem etiam in hoc ipſo argumento, ab Irenæo res illa cœleſtis appellatur, & à terrena diſtinguitur.*

Secundo,[u] *ſi ſubſtantia ipſius corporis Chriſti perciperetur: maneret quoque ipſa ſaltem in pijs & fidelibus: qui proinde fierent ſubſtantialia membra Chriſti: vnde conſequeretur aliud abſurdiſſimum, Eccleſiam videlicet non eſſe myſticum corpus CHRISTI, ſed corpus quoddam ex ſubſtantia ipſius corporis Chriſti, & piorum omnium corporibus re ipſa & eſſentialiter conflatum.*

Tertiò,[x] *Cùm caro illa Chriſti vinculum ſit, quo pij omnes in vnicum corpus myſticum coaleſcunt: neceſſariò efficeretur, non eſſe ſeparatas ſubſtantias, ſiue perſonas piorum: ſed ſicut cum capite Chriſto: ita inter ſe ſuis re ipſa eſſentijs, & perſonis cohærere. Contrà verò cùm ſpiritualis ſit, & tamen veriſſima & arctiſſima illa fidelium membrorum inter ſe connexio, adeò quidem, vt vnum cor, & vna anima eſſe dicantur: conſequitur, ſpiritualiter quoque illa per fidem cum ſuo capite*[y] *coniungi. Qui cùm propterea ſicut vnum corpus,*[z] *nempe Myſticum: ita etiam vnus ſpiritus eſſe dicuntur, & per ſpiritum Chriſtus in eis habitare.*

Quartò: Merè[a] *ſpiritualem eſſe et fidei inſtrumento peragi, Chriſti Dei & Hominis coniunctionē cum Eccleſia ſponſa ſua: liquet ex eius coniugij quaſi liberis, qui fructus iuſtitiæ ap-*

t. Vtraque ſumptio ore fieri poteſt, quamuis diuerſa earum ſit ratio. Sicut Maria Deum & hominem vno partu peperit: quamuis alia ratione Deum, alia hominem. Ideo abſurda, quæ inde colliguntur, nequaquam ſequuntur: Cùm corporis Chriſti Myſtica ſit manducatio, in Phyſica manducatione ſacrati panis in Sacramento.

u. Si Phyſica corporis Chriſti in cœna Domini eſſet manducatio; ſequerentur illa abſurda. Sed quia eſt cœleſtis, & ſupernaturalis, adeoque modus planè ſpiritualis; ideo conſequentia hæc nulla eſt. Et ſicut Eccleſia cum Chriſto myſticum corpus eſt: ita etiam hæc perceptio in myſterio fit.

x. Membra Chriſti, ratione ſubſtantiarum ſuarum, quo ad ſe, manent ſeparatæ perſonæ; quæ tamen nihilominus cum Chriſto myſticè, hoc eſt, realiter, non σχετικῶς, aut relatiuè; ſed verè in hoc myſterio, modo ſupernaturali coniunguntur.

y. Coniunctio autem illa non eſt σχετικὴ aut relatiua; ſed realis, non ſignificatiua, ſed exhibitiua. 1. Cor 6.

z. Hanc coniunctionem διάστημα locorum non tollit; cùm coram Deo, & apud Deum, neq; locus neq; tempus ſit.

a Hæc ſpiritualis autem cōiunctio per organa fit corporalia & externa: qua res ſpirituales cum rebus externis coniunguntur.

tiæ appellantur. Qualis enim est prolis conditio: talem etiam oportet esse, tum conceptionem, tum generationem, tum etiam ipsum coniugij modum.

V.

DE COENAE DOMINI effectis.

a. Etsi cœna Domini propter panem & vinum nō est instituta; tamen visum est Christo, cum pane & vino corpus & sanguinem suum sacramentaliter coniungere; & in cœna Domini vescentibus distribuere: sicut expressa eius verba sonant: Accipite, Manducate, Hoc est corpus meum, &c.

COEnam Domini, [a] *non propter panem et vinum, sed ad hominum salutem constat esse institutam. Propriũ igitur illius effectum est, dignè, id est, cum pœnitentia et fide ad illam accedentium salus, per confirmationẽ spiritualis ipsorum cum Christo consociationis: qua nimirùm fit, vt quemadmodum in corpore naturali animato membra cum capite naturaliter cohærentia, sensum & motum inde percipiunt: ita ipsi Christo spiritualiter copulati, dona omnia spiritualia, regeneratorum propria, ac tandem etiam vitam ipsam æternam, à Christo capite in cohærentia membra emanantem, magis & magis adipiscantur. Cuius etiam propterea sigillatim quidem membra, coniunctim verò mysticum corpus appellantur: aucto propterea etiã in illis charitatis dono per S. sanctum: quoniam separata alia ab alijs membra, neq; corpus vnum efficere, neque vnius eiusdemq; capitis corpus vnum esse possunt. Alterum aũt effectum est, indignè, id est, vel cum ignorantia huius Mysterij, vel cum mera incredulitate & impœnitentia accedentium condemnatio:* [b] *non ab ipsa cœna sed ab indigno ipsius vsu κτ̀ συμβεβηκός emanans.*

b. Christus in cœna sua tam efficaciter iudicium operatur in indignis, quàm vitam & consolationem in dignis conuiuis. Quia non solùm odor vitæ ad vitam, sed etiam odor mortis ad mortem est, 2. Cor. 2.

VI.

DE SALVTARIVM COENAE effectorum causis.

c. Quamuis per S. Spiritum Christus agat; non tamen in cœna Domini dictum est:

CAusas in hoc Mysterio concurrẽtes sic distinguimus, vt [c] *Spiritus quidem sancti infinita & ineffabili potentia in soli-*

in solidum acceptam feramus illam nostri cum CHRISTO consociationem: quam Paulus propterea Mysterium magnũ vocat, Ephes. 5. omnia autem illa cœlestia dona, de quibus diximus, ac tandem etiam æternam illam, tum corporis tum animæ vitam, ab vno CHRISTO Deo & Homine pro nobis crucifixo, et tandem supra res omnes in illa carne euecto, in nos emanare credamus, ex Dei patris Omnipotentis ordinatione.

Accipite, Manducate, Hoc est Spiritus sanctus. Nequaquam ergo caro Christi hac efficacia spolianda, & soli Spiritui sancto tribuenda, cuius participatione caro viuificat.

Instrumentales verò causas, ipsius Dei respectu, constituimus, partim Pastorem, Dei nomine & mandato agentem quod agit: partim verba institutionis: partim symbola, & sacramentales ritus. Nostri verò respectu [d] fidem, nobis ex Dei dono insitam. Istis autem instrumentis sic vti Deum docemus, vt tamen illis [e] nullam vim intrinsecam efficientem insinuet: sed duntaxat, quòd ipse vnus intus agat, nobis per ea testificetur, nempe spiritualem illam Christi nobiscum consociationem, & quæcunque inde nanciscimur.

d. Sacramentalis perceptio corporis & sanguinis Christi, non fit fide tantum, sed ore quoque corporis; quia dicit: Accipite, Manducate; non dicit, accipite, & credite.

e. Sublata hac intrinseca vi sacramentali; substantia sacramenti dissoluitur. Non enim testificatur tantùm: sed operatur, & vim illam exercet Christus in vsu huius Sacramenti.

[f] Has duas posteriores Theses, nulla probatione apud vos indigere arbitramur.

f. Maximè opus erat; quia Sacramenta sua vi spirituali spoliant.

Mompelgarti, 22. Mart. Anno 1586.

Theodorus Beza, Geneuensis Ecclesiæ Minister.
Abrahamus Musculus, Bernensis Ecclesiæ Minister.
Anthonius Faius, Ecclesiæ Geneuensis Minister.
Petrus Huebnerus, Græcæ linguæ, in Gymnasio Bernensi Professor.
Claudius Alberius, D. & Professor Philosophiæ in Academia Lausannensi.

Vide Mapp

RESPONSIONES ad Theses Theologorum Uuirtembergensium.

Ad I.

IPsius Christi [g] *NVLLAM ALIAM statuimus perceptionem, siue in simplici verbo, vt Ioan. 6. siue in Sacramentis, vt in institutione Cœnæ Domini: nisi* [h] *spiritualem, id est, eam, quæ Spiritus sancti virtute, & fidei instrumento peragitur. Eam tamen, quæ est simplicis verbi, à sacramentali differre agnoscimus externa quidem forma,* [i] *sed non re ipsa quæ significatur et præbetur, neque eius perceptione. Nam in verbo simplici Deus per aures tantùm nobiscum agit: in Sacramentis verò adhibet etiam alia, in reliquos sensus incurrentia. Vnde fit, vt nisi accedentium indignitas obstiterit Sacramentorum efficaciæ: vehementior & expressior sit Sacramentalis, quàm merè et nudè spiritualis per simplex verbum, communicatio.*

g. Hoc apertè pugnat cum verbis Testamenti Christi, qui de oris perceptione loquitur, cùm inquit; Accipite, MANDVCATE, Hoc est corpus meum. Præterea manducatio corporis Christi, quæ fit ore, ad confirmationem manducationis per fidem factæ instituta est.

h. Spiritualis dicitur, quia modus eius spiritualis: qui etiam sine fide ad iudicium fieri potest, quando manducantes indignè, corpus Domini non dijudicant, 1. Cor. 11.

i. Non solùm externa forma: sed etiam re ipsa differunt, quia singularis est modus ille manducationis in Sacramento.

Ad II.

Etsi [k] *essentialis corporis Christi esus, & eiusdem sanguinis potus, statuatur* [l] *eo differre à vulgari edendi & bibendi modo, quòd ille quidem inuisibiliter, iste verò visibiliter fiat: tamen nos quidem* [m] *non videmus, quînam vnus & idē non sit edendi modus, quantum ad rem ipsam: Non autem, quod ad illam circumstantiam visibilitatis vel inuisibilitatis attinet, si statuatur, ipsam corporis & sanguinis Domini substantiam, ore corporis comedi & bibi.*

k. Nos sacramentalem manducationem esse dicimus.

l. Non hoc solùm modo differunt, sed quòd per omnia spiritualis sit ratio corporis Domini, in hoc mysterio: quæ cum Capernaitarū crassis cogitationibus apertè pugnat.

m. Non quæritur, quid vos videre, vel non videre possitis: sed num hæc cum verbo & voluntate Christi pugnent.

Ad III.

Ad III.

Assentimur.

Ad IV.

Ipsius corporis & sanguinis Christi, quantumuis glorificati substantiam, [n] *non videmus posse re ipsa cum pane & vino, præsentem statui, aliter quàm* [o] *physica & locali circumscriptione. Quia glorificatio, vt rectè ait Augustinus, ex perpetuo totius Ecclesiæ consensu, corpori Christi immortalitatem dedit, naturam non abstulit.*

Ad V.

Nos verò negatiuam tuemur: nec tamen negamus verum illud corpus, & verum illum sanguinem Domini nostri Iesu Christi, verè quibusuis accedentibus in Cœnæ actione legitima [p] *præberi:* [q] *sed mente, non corpore: nec ore, sed fide percipienda. Vnde fit, vt indignè accedentes, & fidei instrumento carentes, quanquam* [r] *integrum Sacramentum illis quoque præbeatur: nihilominus tamen sola signa percipiant, & ita quidem,* [s] *vt rei fiant corporis & sanguinis DOMINI: non quæ sumpserint, sed quæ contempserint.*

Ad VI.

Veteres quidem, scimus, illis etiam formulis vsos: at non vt substantia rerum significatarum, [t] *IN, SVB, vel CVM ipsis signis* [u] *eodem loco adesse statueretur: sed vt re ipsa fidei accedentium præberi tàm verè corpus ipsum & sanguinẽ Domini intelligeretur, quàm verè verba institutionis pollicentur, & externa symbola sensib. accedentium testi-*

n: Non quæritur, quid vos videre, aut non videre possitis: sed quid Christus dicat, & iubeat: Accipite, Manducate: Hoc est corpus meum.

o: Nihil ergo cõtra nostram doctrinam pugnat: qui minimè asserimus, corpus Christi physica locatione in cœna Domini adesse.

p: Præstigiæ verborum, & æquiuocatio in vocabulo præberi: quod propriè præsentiam rei in apertis verbis præsupponit.

q: Cõtra Christus: qui nulla fidei mentione facta, dixit: Accipite, Manducate, Hoc est corpus meum.

r: Integrum Sacramentum non præbetur ei, qui partem eius, eamque minimam, videlicet, externa tantùm signa accipit.

s: Manducando, non negligendo, aut contemnendo accipiunt iudicium: 1. Cor. 11.

t: Iniquè ergo nobis illas obijciunt aduersarij, tanquam à nobis excogitatas: cùm orthodoxa vetustas illis vsa sit.

u: Possunt duo eodem loco adesse, quorum alterum tamen non physicè, aut localiter adsit: sicut Deus ipse, & sancti eodem loco adsunt: ille illocaliter, hi localiter. Vobis autem eodem loco adesse, & localiter adesse, æquipollentia sunt: quod falsum est.

testificantur. Quia tamen has formulas videmus [x] *aliò iam pertrahi, nempè ad Realem illam* [y] *consubstantiationem: iccirco illas vt periculosas, & minùs cõmodas refugimus. Hæc autem vocabula:* SVBSTANTIALITER, CORPORALITER, ESSENTIALITER, [z] *si ad res ipsas, quæ præbentur, referantur: recto sensu vsurpari agnoscimus: non autem si ad sacramentalem coniunctionem siue ad præsentiæ modum accommodentur.* [a] *Realiter, etiam pro reuera & non simulatè, rectè dici fatemur:* [b] *nec tamen temerè illis vocibus vtendum existimamus.* [c] *Oraliter autem, vt & sensu falsum, & forma barbarum: sicut & illud Papisticum* [d] *(sensualiter) penitus repudiamus.*

x: Non aliò, quàm ad veram & realem præsentiam trahuntur à nobis, quam illi sub his particulis tradiderunt.
y: Non est consubstantiatio, sed sacramentalis & supernaturalis præsentia.
z: Nos non ad modum præsentiæ: sed ad res ipsas referimus, quòd vere adsint.
a: Idem asserimus.
b: Cur? Nisi quoniam vestro errori repugnant.
c: Oraliter, vt vestra opinione barbarum: sensu tamen verum, pium, & verbo Christi consentaneum, Manducate: quod ore fieri iussit.
d: Papistæ, quantumuis crassi, illud sensualiter non asseruerunt.

Ad VII.

Absit [e] *à nobis, vt verbis institutionis Cœnæ Domini non acquiescamus: tantùm illa ad Analogiam, & normam totius fidei Christianæ, in Apostolico Symbolo fideliter comprehensæ, necessariò, vt & cæteros, sine vlla exceptione, locos Scripturæ, exigenda esse asserimus.* [f] *Quod si fiat: existimamus illam signorum & corporis & sanguinis Christi consubstantiationem, ab illa χέσει, quam posuimus, diuersam, non modò non probari: sed etiam manifestè, & necessariò euerti.* [g] *Calix certè benedictionis communicatio sanguinis Christi, & panis quem frangimus communicatio corporis Christi, sine Tropo dici non potest.*

e: Cùm sine glossa verba Christi non recipiatis; manifestum est, quod in illis non acquiescatis.
f: Nullam cõsubstantiationem nos ponere, suprà diximus. Relatiuam, tanquam nihil efficientem, repudiamus.
g: Tropum in verbis Pauli, tanquam Sacramenti euacuationem aperte damnamus.

Ad VIII.

Credimus & prædicamus verum esse, quod dicitur: sed [h] *ad id malè, de quo agitur, applicari affirmamus.*

h: Vos ita sentire non est mirandum; cùm Tigurini pastores nobiscum de cœna Domini recusent disputare, quamdiu Omnipotentiam pro fundamento fidei nostræ in hoc Mysterio, vnà cum verbis cœnæ Domini ponimus.

Ad IX.

Christo [i] *Deo & homini, nihil esse impossibile, & ipsi profitemur: sed ita, vt huius dicti interpretatio, & quod inde colligitur, ad fidei normam examinetur. Affirmamus ergo* [k] *primùm, istam Omnipotentiam vnicã esse, non aũt duplicem, quarũ vna sit increata, Deitati propria, et in nullam rem creatã transferenda: altera creata, quæ sit qualitas in Christi humanitatẽ infusa. Nec minus falsum & absurdum esse dicimus, plures numero Omnipotẽtias, quàm plures numero Omnipotentes, id est, Deos cõstituere.* [l] *Est igitur non Christi humanitas in sese Omnipotens:* [m] *sed Christus homo in* λόγῳ *est Omnipotẽs: sicut Humanitas illa non est Deitas, sed homo ille est Deus* λόγος. [n] *Deinde Deũ ipsum ita dicimus esse Omnipotẽtem, quod ad potestatẽ per se consideratã attinet, vt tamen ea nõ possit* ACTV, *quæ non facere decreuit: aut ijs, quæ decreuit, cõtraria sunt. Ratio eius rei est, non quòd non sit Omnipotens: sed quia posse mutare voluntatem, ac proinde mutari, nõ esset potentiæ, sed infirmitatis, & eius, qui mentiri posset.* [o] *In his autem numeramus, corporis Christi immutabilem circũscriptionem & localitatẽ: quia Deus cõstituit, vt quod semel assumpsit, nunquam aboleat: quod fieret, si vel ante, vel post glorificationẽ, simul pluribus, nedũ omnib. locis, corporis Christi substãtia esse posset.* [p] *Tertiò negamus cõsequi, vt vbiq; sit ipsius Essentia, qui imperiũ in omnes res creatas accepit.* [q] *Aliud est .n. de quopiam explicare quid possit, quàm quid sit in sese: cùm in creaturis sine vlla prorsus exceptione aliud sit posse, quàm esse. His aũt positis, nihilominus verũ illud corpus, (quod nunc in cœlis est, & non alibi) in Cœna Domini ritè administrata, nobis, qui nũc in terris sumus, & nõ alibi, verissimè & efficacissimè per fidẽ sumendum, ad animæ & cor-*

i: Deum absolutè, & simpliciter omnipotentem esse, non concedunt.

k: Verbum vnum monstrari in nostrorum scriptis non potest, quòd creatam Omnipotentiam vnquam docuerint. Est enim vna Omnipotentia, eaque æterna, & infinita: sed in Christo duplex eius ratio.

l: Humanitas Christi IN SE, hoc est, per se, proprietate suæ naturæ nõ est Omnipotens: sed participatione personali Diuinæ Naturæ.

m: Homo in λόγῳ est Omnipotens: ambigua oratio, de qua suo loco plura.

n: Negatur Deus absolutè Omnipotens.

o: Negant salua proprietate corporis Christi Deum sua Omnipotentia efficere posse, vt simul & semel sit in pluribus locis. Quod est apertè Omnipotentiam Dei negare.

p: Phantasia humana de imperio Christi super omnes cœlestes & terrestres creaturas, sine vera & reali præsentia eius.

q: In Deo posse esse, & esse, idem sunt: cuius virtutis caro Christi particeps facta est.

& corporis salutem, r ineffabili illa Spiritus sancti virtute præberi affirmamus. Et hac ratione Christi Dei & Hominis s inexplicabilem illam vim multò expreßiùs à nobis poni existimamus, quàm ab ijs, qui existimant, non posse nos ipsi CHRISTO consociari, t nisi & ipse in terris sua essentia adsit, pani & vino inseparabiliter adhærens.

r: Hæc virtus cùm sit infinita, humanam naturam eius participem factam esse negant. Ideò Spiritui sancto soli attribuunt, quod Christus suæ carni tribuit.

s: Huius virtutis participatione carnem Christi prorsus spoliant: Quomodo ergò hæc vis ei tribuitur?

t: Hoc de physica & locali presentia asserit Beza, quam nemo docet: ideò suum proprium figmentum oppugnat.

Ad X.

u Modum, quo res significata ex diuina ordinatione cum signis coniungitur, ipsa signorum appellatio explicat, & ostendit esse Relatiuum ex Dei pacto: x quod & in ipsis contractibus humanis & ordinarijs locum habet. Modum autem perceptionis rei significatæ, siue quî fieri poßit, vt corpus illud in cælo manens, nobis in terra positis, y instrumentalis causæ, nempe fidei interuentu communicetur, adeò efficaciter, vt vitam æternam inde hausturi simus, & spiritualia tot beneficia iam nunc percipiamus: verè mysterium magnum esse, cùm Apostolo profitemur, ac proinde credendum, & adorandum, non perscrutandum. At enim si verum est, re ipsa carnis & sanguinis Christi essentiam, cum pane & vino in terris adesse, & ab omnibus accedentibus, quamuis inuisibiliter, tamen eâdem & vnica orali sumptione percipi: z non videmus, quînam modus iste dici poßit inscrutabilis, cùm merè sit naturalis, & tum signis, tum significatis communis.

u: Modus relatus hic est phantasia humana, ad tegēdum errorem excogitata. Nulla enim hic relatio: sed spiritualium per corporalia vera & realis exhibitio instituta est.

x: Ingens discrimen inter ciuiles contractus, & Sacramenta Euangelica.

y: Maiorem potentiam fidei, quàm Christo tribuunt: quòd illa ad Christum in cœlum ascendere: hic verò per suam Diuinam virtutem participatam in terris adesse non poßit.

z: Imò manifestum est, quia non fit physico & naturali modo.

AD DOGMATA, QVÆ Domini Collocutores cum S. Scriptura pugnare iudicant.

Ad I.

[a] *Nos contrà existimamus, verba institutionis Domini, vt & omnium, sine vlla exceptione, Scripturæ locorũ interpretationem ad normam fidei in symbolo Apostolico comprehensæ, vt suprà dictum est, reuocari, & ex collatione Scripturarum explicari debere:* [b] *neque κατὰ τὸ ῥητὸν accipi, salua fidei analogia, posse: vel propterea obscuram censeri debere Cœnæ Dominicæ institutionem, quòd tropus in ea inesse dicatur.*

a. Obscura loca indigent tali illustratione. Sed verba cœnæ Domini sunt aperta, & clara.

b. Simpliciter falsum est, sicut collatio sequens docet.

Ad II.

[c] *Satis videmur nos probasse, quod hic improbatur.*

c. Nihil omninò probatum esse, ex verbis Christi demonstratum est.

Ad III.

[d] *Quinam non desinat Deus esse Omnipotens, etiamsi efficere non posit, vt Christi corpus vno eodemq́; tempore pluribus locis essentialiter præsens sit, aut vt alibi nunc sit, quàm in cœlis: diximus ad 9. Thesin.*

d. Aperta negatio omnipotentię Dei: Quia apud Deum non est impossibile VLLVM VERBVM, hoc est, vlla res, Luc. 1.

Ad IV.

Christum Deum & Hominem, vt qui Mediator alioqui esse nõ potuerit, fatemur quidem [e] *actu non fuisse hominem ante realem incarnationem: sed tamen fidei Abrahami,*

e. Alia præsentia Christi hominis tempore Abrahæ: & alia eiusdem præsentia in N. Testamento post incarnationem factam.

quæ dicitur [f] ὑπόςασις: rerum quæ non sunt) non illusoria opinione, [g] sed verè & efficaciter, vt cæteris sanctis patribus, præsentem fuisse docemus. Vidit enim Abraham diem illum Domini: nec [h] alius fuit numero Christus venturus, quod ad fidem patrum attinet, quàm nobis Christus, qui venit. Vnde meritò Augustinus asseruit: veterum Sacramenta, [i] re paria fuisse nostris, signis autem diuersa.

f. Paulus non dicit, quòd fides sit ὑπόςασις rerum quæ non sunt, Heb. 11. sed rerum sperandarum, & non apparentium.

g. Beneficiorum Christi patres fuerunt participes: sed Christum secundum humanitatem præsentem non habuerunt, quem venturum crediderunt.

h. Fuit sanè idem Christus: sed non vtrisque pari ratione præsens.

Tract. 20. in Ioan.

i. Respectu finis & virtutis: sed non præsentia Christi secundum humanitatem pari.

Ad V.

Tantum abest vt Christi virtutem, & beneficia in COENA DOMINI ab ipsiusmet Christi communicatione separemus, vt contrà in verbo quoque simplici & in Baptismo, hæc vtraq; inseparabiliter coniungi, & Menti [k] per fidem sumenda præberi, asseramus.

k. Christus non MENTI solùm: sed ori corporis suam carnem & sanguinem sumenda in Sacramenta offert & præbet, siue quis verè credat, vel non credat.

Ad VI.

Nunquam nobis in mentem venit, vt perfectam fidem in quoquam statueremus: cùm hæc perfectio stare cum carnis reliquijs nequeat: tantum abest, vt veram fidem à perfecta non distinguamus, aut à Cœna arceamus ista fidei imbecillitate laborantes: quam potiùs idcircò institutam esse dicimus, vt in fide confirmemur, & augeamur. [l]

l. Cur igitur duo genera indignorum facitis: & credentes verè etiam iudicium sumere asseritis?

Ad VII.

Facilè credimus, neque Transsubstantiationis, neq; consubstantiationis defensoribus in mentē venisse, vt hæc portenta affirmarent: sed videre nos non posse fatemur, quinam

nam hac, quantumuis absurda, falsa, & blasphema necessariò non consequantur oralem illam manducationem: [m] *nisi constituere malint, Christi carnis & sanguinis substantiam, vbi dentes & palatum traiecerint, euanescere. Quod tamen bona omnium pace dictum volumus.*

m. Horrendum auditu; si corpus Christi cum pane ore accipiatur, idem etiam per secessum excerni.


Mompelgarti, 22. Mart. Anno 1586.

Theodorus Beza, Geneuensis Ecclesiæ Minister.
Abrahamus Musculus, Bernensis Ecclesiæ Minister.
Anthonius Faius, Ecclesiæ Geneuensis Minister.
Petrus Huebnerus, Græcæ linguæ, in Gymnasio Bernensi Professor.
Claudius Alberius, D. & Professor Philosophiæ in Academia Lausannensi.

HORA POMERIDIANA secunda, die Martij XXII.

POstquam Theologi Vuirtembergici duo nunc commemorata ſcripta legiſſent, & examinaſſent, præſente Illuſtriſſimo Principe, Comite Friderico, cum delectis Aulicis, Eccleſiæ quoque Mompelgartenſis miniſtris, & Gallis exulibus quàm plurimis admiſſis: D. Iacobus pio voto collocutionis initium fecit.

D. Iacobi votum.



N NOMINE Domini, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, Amen: Quem toto pectore oramus, vt collocutionem inſtitutam ſuo ſancto Spiritu gubernare, & ad nominis ſui gloriam, piamq́ue & ſalutarem pacem Eccleſiarum dirigere velit, Amen. Reuerende & doctiſsime Domine Beza, duo ſcripta veſtra de Cœna Domini paulò ante prandium nobis exhibita, ex parte noſtra legimus, relegimus, & in timore Domini diligenter examinauimus. Ad quæ breuiter & perſpicuè reſpondebimus, quantum quidem fieri poteſt. Et ſibi certò perſuadeant Domini: nobis nihil aliud, quàm gloriam Dei, veritatem verbi diuini, piamq́ue pacem, & concordiam Eccleſiarum, tanquam inſtitutæ collationis placidæ, ſcopum vnicum propoſitum eſſe. Quo nomine Ieſum Chriſtum ſaluatorem vnicum, cordium ſcrutatorem, teſtem ſuper animas noſtras, inuocamus. Quòd ſi verò alicubi, vel breuiores, vel obſcuriores in ſermone interdum fuiſſe videbimur: moneri cupimus: lenitatem ſpiritus nobiſcum allatam, & promiſſam, Spiritu ſancto nos gubernante, re ipſa declarabimus, & retinere ſtudebimus. Idem non ſolùm à T. D. nobis quoque pollicemur, ſed etiam amicè oramus.

Teſtificatio D. Iacobi, de ſua & Collegæ voluntate.

Scopus diſputationis inſtitutæ.

Ad

Ad duo ergo vestra scripta de Cœna Domini exhibita quod attinet: etsi quàm plurima continent: ea tamen omnia duobus potissimùm capitibus comprehendi posse arbitramur. Quorum prius est de vera & reali præsentia corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi in sacra Cœna Domini. Alterum verò de eorundem vera, & sacramentali perceptione, manducatione, & bibitione, vt sic loquamur. De quibus cùm ab initio actum fuerit: facilè erit quoque deinceps ad omnia ea respondere, quæ in hoc articulo controuersa videbuntur. Vbi etiam omnibus de vero statu controuersiæ in hoc articulo constabit. Dabimus autem operam, quantum quidem fieri potest, ne quicquam silentio prætcrijsse videamur, ad quod respondendum erat, in vtroque vestro scripto annotatum.

Duo principalia capita in controuersia de cœna Domini.

Primùm omnium autem coram Deo æterno, & patre Domini nostri Iesu Christi, coram Illustrissimo Principe, ac Domino, Domino Friderico, Comite VVirtembergico, & Mompelgartensi, Domino nostro clementissimo, cuius Celsitudo post Deum Opt. Max. præsidem huius collationis agit, & coram auditoribus omnibus testatũ volumus: à nobis, & in Ecclesijs nostris vnanimi consensu constanter de Cœna Domini doceri: quòd ne quidem ad latum pilum à verbis Testamenti Iesu Christi sit recedendum, cùm videlicet panem discipulis suis exhibens, dixit: Accipite, manducate, HOC EST CORPVS MEVM, QVOD PRO VOBIS DATVR: & calicem porrigens, dixit: Accipite, bibite ex hoc omnes: HIC EST SANGVIS MEVS NOVI TESTAMENTI, QVI PRO VOBIS, ET PRO MVLTIS EFFVNDITVR, IN REMISSIONEM PECCATORVM. Quibus verbis docemus, simplicem fidem habendam, neque ad examen rationis humanæ reuocanda esse, quippe quæ hoc mysterium comprehendere non potest: sed captiuum ducendum intellectum nostrum in obsequium Christi, & simplicem sententiam, quemadmodum ipsa verba sonant, retinendam,

Confessio VVirtembergensium, de præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna Domini.

nendam, & modum Christo committendum, quomodo id fiat, aut fieri posſit.

A literali & ſimplici ſententia verborum Cœnæ Domini, cur non recedendum.

Cùm enim Chriſtus ſit ipſa veritas, quæ mentiri non poteſt: & non modò omnipotens, ſed ipſa quoque omnipotentia, vt præſtare queat, quod expreſsis verbis promittit: docemus, pios & fideles nullam cauſam habere, cur à literali, & ſimplici ſententia & fide horum verborum recedant, aut alium ſenſum quærant, quàm quem ipſa verba nobis apertè monſtrant.

Cùm igitur dixerit: *HOC EST CORPVS MEVM:* Item, *HIC EST SANGVIS MEVS NOVI TESTAMENTI*, &c. Primùm auditores noſtros docemus, quòd his verbis apertis & ſimpliciſsimis fidem habentes, minimè dubitare debeant, & corpus & ſanguinem Chriſti in hoc ſacro conuiuio verè & realiter adeſſe, adeoque cum pane & vino diſtribui: & ab omnibus etiam verè & realiter percipi, qui Cœna Domini vtuntur, ſiue digni ſint, ſiue indigni. A dignis quidem & verè fidelibus, ad vitam: ab indignis verò & impœnitentibus, ad iudicium, vel temporale duntaxat, ſi pœnitentiam egerint: aut æternum, ſi in infidelitate ſua & impœnitentia permanſerint.

Confeſſio Vvirtembergenſium Theologorum de mãducatione Sacramentali corporis, & ſanguinis Chriſti in cœna Domini.

Manducare quid in Verbis Teſtamenti Chriſti ſignificet.

Deinde cùm & Chriſtus inquit, *MANDVCATE:* docemus quoque auditores noſtros, quòd verbum (*MANDVCATE*) non ſignificet idem quod credite, quemadmodum Ioannis ſexto capite, in verbis Chriſti Metaphoricè pro credere ſumitur, cùm inquit Chriſtus: niſi *MANDVCAVERITIS* carnem filij hominis: Item, qui *MANDVCAT CARNEM MEAM:* manet in me, & ego in illo, &c. Sed manducare in verbis Teſtamenti Chriſti, ſignificat *ORE ACCIPERE*, quod Chriſtus exhibuit.

Cùm igitur Chriſtus non dixerit, accipite & manducate, hoc eſt panis: accipite, bibite, hoc eſt vinum: ſed dixerit: *HOC EST CORPVS MEVM: HIC EST SANGVIS MEVS:* credimus, & docemus, quòd cum illo pane & vino

(ſecur

(secundum verba institutionis huius Sacramenti apertissima) quoque dederit corpus & sanguinem suum: quod etiam discipuli ipsius mandato obtemperantes, ORE acceperunt.

Et cùm non sit alia huius Sacramenti ratio in Ecclesia nostra, quàm quæ fuit in prima Cœna, à Christo & Apostolis eius celebrata: idem etiam de Cœna Domini omnibus temporibus in toto terrarum orbe celebrata affirmamus.

Sacramenti Cœnæ omnibus temporibus & locis eadem semper ratio.

Aperte autem primùm omnium in Thesibus nostris testati sumus, Capernaiticam manducationem, & Cyclopicam lanienam carnis Christi in Cœna Domini, nequaquam à nobis doceri, aut in Ecclesijs nostris vnquam traditam esse: quam etiam semper damnauimus, & nunc quoque apertè damnamus.

Capernaitica & Cyclopica manducatio carnis Christi damnata.

Quemadmodum etiam de manducatione quæ per fidem fit, & ab aduersarijs nostris spiritualis appellatur, nulla vnquam inter nos controuersia fuit: quæ nihil aliud est, quàm credere, quòd corpus Christi sit pro nobis traditum, & sanguis eius pro peccatis nostris effusus.

De manducatione spirituali nulla controuersia vnquam fuit.

Hæc est de Cœna Domini, de vera & reali præsentia corporis & sanguinis Christi, & de sacramentali manducatione, ingenua & aperta nostra confessio, & assertio: quæ præsentia corporis & sanguinis Domini nostri IESV CHRISTI, & sacramentalis manducatio in veteri Testamento non fuit.

Etsi enim Patres veteris Testamenti quoque veram carnem, & realem sanguinem in suis Sacramentis habuerunt: non tamen caro & sanguis CHRISTI realis, sed figura duntaxat, typus & vmbra carnis & sanguinis Christi fuerunt, quæ carnem Christi & sanguinem solùm figurabant, significabant, & adumbrabant. Quemadmodum dicta Scripturæ apertè testantur, Hebr. 10. Lex vmbram habuit futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum Item, quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi, Coloss. 2.

Discrimen inter præsentiam & manducationem corporis & sanguinis Christi, in V. & N. Testamenti Sacramentis.

Sic

Sanguis Sacramentorum Veteris Testamenti vmbra & typus Christi.

Sic Exod. 24. legimus, quòd Moses sanguine vitulorum oblatorum, post recitatum volumen fæderis, aspersit populum, dicens: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus super cunctis sermonibus istis. Hic sanguis fuit verus, substantialis, & naturalis sanguis vitulorum: sed symbolicus, significatiuus, & figuratiuus tantùm respectu Christi venturi, & filij Dei incarnandi, in quem promissum & venturum illi crediderunt: nos in exhibitum credimus.

Exod. 24.

Sanguis Sacramenti N. Testamenti non est typicus, sed verus, & realis sanguis Christi.

In Testamento autem suo inquit Christus: *HIC EST SANGVIS MEVS:* & addit, *NOVI TESTAMENTI:* ad notandum discrimen inter sacramenta V. & N. Testamenti. Non enim ait Christus: Hoc vinum significat sanguinem meum: aut est signum vel figura sanguinis mei, meum sanguinem significans, figurans, aut adumbrans: sed ait, *EST, EST, EST* sanguis *MEVS NOVI TESTAMENTI.*

Si enim sanguinem suum duntaxat significare, aut figurare voluisset: potuisset etiam Moses dicere: Hic est sanguis Iesu Christi, veri illius agni, qui peccata mundi tollit, quippe quem figurat & significat. Sed Christus his vocabulis, *MEVS, ET NOVI TESTAMENTI,* discrimen Sacramentorum V. & N. Testamenti ostendere voluit, vt sciamus in Sacramentis veteris Testamenti, per sanguinem realem vitulorum, sanguinem Christi realem duntaxat adumbratum fuisse, & figuratum: in Sacramento autem Eucharistiæ realiter adesse, distribui, & percipi corpus & sanguinem Christi.

Discrimen Sacramentorum V. & N. Testamenti.

Figuræ & vmbræ in N. Testamento sublatæ.

Coloss. 2.

In Nouo enim Testamento, omnes figuræ, omnes vmbræ sunt sublatæ: in quarum locum succesit corpus, sicut Apostolus testatur, quod est Christus Filius Dei incarnatus, secundum carnem exhibitus, & præsens, sicut scriptum est: Lex per Mosen data est, veritas autem per Iesum Christum. Hebr. 10. Lex vmbram futurorum bonorum habebat.

Quantum igitur discrimen est inter vmbram & corpus, inter figuram & rem figuratam: tantum etiam discrimen est, inter Sacramenta V. & N. Testamenti. Quoniam in Sacramentis

mentis veteris Testamenti duntaxat fuit vmbra Christi secundum carnem: per quam tamen non minus beneficia Mediatoris populo suo conferebat Dominus, quæ sua morte nobis promeriturus erat, quàm per Sacramenta noui Testamenti, quæ continent corpus, hoc est, Christum secundum humanitatem seu carnem nunc existentem, & qui vera sua carne in vsu Sacramentorum noui Testamenti verè & realiter præsens, eadem beneficia fidelibus suis confert.

Quod igitur ad primum caput controuersiæ in hoc articulo, videlicet de vera, & reali pręsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna Domini, attinet: cùm aduersa pars apertè scribat: Corpus Christi tam pręsens Abrahę fuisse, quàm nobis in Sacramento Eucharistiæ pręsens est: omnibus auditoribus iudicandum relinquo, quomodo hęc opinio cum verbis Testamenti Christi consentiat.

Confessio Bezæ de præsentia Christi in omnibus Sacramentis.
Beza in placido responso ad argumenta Brentij pag. 27.

Etenim omnibus manifestum est, corpus Christi tempore Abrahę nondum extitisse, aut natum fuisse. Quomodo igitur tam pręsens Abrahę esse potuit, cùm nondum esset, quàm pręsens nunc nobis est, postquam reuera existit, quod tum non erat? Et paulò antè dictum est, quòd lex duntaxat vmbram habuerit, non corpus aut veritatem.

Habuerunt quidem Patres vmbram, imaginem, & figuram Christum significantem & adumbrantem: Item, eadem quoque beneficia Christi per mortem eius impetrata, quę nos habemus, videlicet gratiam Dei, remissionem peccatorum, propter Christum immolandum, & spem certam vitę æternę consequendę.

Quemadmodum etiam, quo ad alias aliquot causas & circumstantias, illorum Sacramenta multa cum Sacramentis nostris communia habuerunt, videlicet, quantum ad causam efficientem principalem, & finem Sacramentorum attinet: sed materià & formà differebant plurimùm, sicut paulò pòst explicabitur. Ingens igitur discrimen est inter hæc beneficia, & corpus Christi, quod nobis hęc beneficia promeruit

Hoc corpus verba Testamenti Christi nobis expresse & diligenter commendant & exhibent, cùm inquit: Accipite, Manducate, Hoc est CORPVS MEVM, quod pro vobis traditur. Corpus inquam Christi, non vmbra, figura aut signum corporis Christi: quę plurimùm inter se differunt.

Nam sanguis vitulorum non fuit pro peccatis mundi effusus: sed sanguis Christi, cuius figura & vmbra fuit sanguis taurorum. Sanguis enim Christi pro nostris peccatis effusus est: hunc sanguinem Christus se nobis in hoc Sacramento exhibere, apertis & minimè obscuris verbis testatur.

Confessio Vvirtembergensium Theologorum de modo pręsentiæ corporis Christi in cœna Domini.

Quod verò ad modum huius pręsentię sacramentalis corporis & sanguinis Christi attinet: semper docuimus, scripsimus, & apertè testati sumus, quòd non sit Physicus, naturalis, carnalis, aut localis, quemadmodum Christus hominibus in terris conuersatus est.

Carnales cogitationes de corpore Christi in pane.

Nihil enim aliud quàm carnales cogitationes sunt de hoc mysterio, quando sibi homines simplices imaginantur corpusculum aliquod contractis membris in hostia oblata latitare: sed dicimus modum huius pręsentię esse supernaturalem, cœlestem, quem neque sensus, neque ratio hominis comprehendat, aut comprehendere possit in hac vita, sed relinquendum esse infinitę sapientiæ Dei, qui nouit modum, & pro sua infinita potentia etiam pręstare potest, quod in Testamento suo promisit, qui omnipotens, & verax est, & mentiri & fallere non potest.

Pia & sancta confessio Chrysostomi de cœna Domini. Hom. 60. ad populum Antiochenū.

Inprimis verò omnibus pijs & fidelibus verba Chrysostomi commendatissima esse debent, quæ in homilia ad populum Antiochenum de Cœna Domini extant: In omnibus Deo pareamus, NEQVE CONTRADICAMVS, licet COGITATIONIBVS nostris aduersari videatur & oculis, QVOD DICITVR: sed sit & cogitationibus, & visu DIGNIOR ipsius SERMO. Sic & in MYSTERIIS agamus: nec SOLVM PRAE OCVLIS posita respiciamus, sed IPSIVS VER-

VERBA CONTINEAMVS. Ipsius enim sermo infallibilis: sensus autem noster *SEDVCI FACILIS:* ille nunquam decidet, hic autem vt plurimum *ERRAT.* Quoniam igitur verbum dicit: *HOC EST CORPVS MEVM: ET PAREAMVS, ET CREDAMVS,* & intellectualibus ipsum oculis intueamur. Nihil enim sensibile nobis tradidit Christus, sed res quidem sensibiles, omnes autem intelligibiles. Itidem & in Baptismate: per rem nempe sensibilem, aquam, donum confertur: intelligibile verò quod perficitur, generatio, & renouatio. Si enim incorporeus esses, nuda & incorporea tibi dedisset ipsa dona: sed quoniam anima corpori inserta est, *IN* sensilibus, intelligibilia *TIBI* præbet. Quot nunc dicunt: vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta calceamenta? *ECCE EVM VIDES, IPSVM TANGIS, IPSVM MANDVCAS:* & tu quidem vestimenta videre cupis: ipse verò tibi concedit, non tantùm videre, sed & *MANDVCARE ET TANGERE, ET INTRA TE SVSCIPERE.* Et paulò pòst: Nec parua pœna proponitur indignè sumentibus. Considera quantùm aduersus proditorem indignaris, contra eos qui Christum crucifixerunt. Itaque considera, ne *TV QVOQVE SIS REVS CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI.* Illi sanctissimum corpus iugularunt: *TV VERO POLLVTA SVSCIPIS ANIMA POST TOT BENEFICIA.* Nec enim satis fuit, homo fieri, colaphis cædi: verùm & semetipsum *NOBIS COMMISCET ET NON FIDE TANTVM, VERVM ET RE IPSA, NOS EFFICIT SVVM CORPVS.* Hactenus Chrysostomi verba.

N B.

Cur Deus spiritualia dona per corporalia in Sacramentis dispenset.

N B.

N B.

Hæc augustissima verba si sequeremur pariter omnes, iam omnis controuersia de hoc articulo penitus sublata esset. Quod quidem ex parte nostra facimus, & auditores nostros sedulo ac diligenter monemus, vt idem faciant: Qua ratione saluti suæ rectissimè & securissimè consulant.

THEODORVS BEZA.



A PRECIBVS similiter exorsus est, vt Deus suo sancto Spiritu collationi adesse, & eandem ad sui nominis gloriam, & Ecclesiæ salutarem concordiã gubernare & dirigere velit. Quemadmodum se Ecclesiæ affuturum promisit, & missurum spiritum veritatis: ita, inquit Beza, mihi quoq; eum largiatur, quem propter rei magnitudinem, & meam infirmitatem video mihi necessarium esse.

Testificatio Theodori Bezæ, de sua voluntate.

Testari autem possumus per animas nostras, nos afferre animum cognoscendæ veritatis cupidum, nosq́; fore dociles, si meliora doceamur. Video tamen nos dissentire, cùm tamen Spiritus sanctus à se non dissentiat. Sed id nouum non est: imò si aliter fieret, id nouum esset. Etenim non omnes quod vident, rectè dijudicant. Superest ergo, vt rursus Dominum precer, vt nobis oculos aperiat: vt intelligatur, vtra pars erret.

Repetitio breuis capitum Confessionis D. Iacobi.

Iam vt rem aggrediar, Reuerende domine Doctor, multa simul argumenta complexus es, quæ omnia profecta sunt ex simplici interpretatione verborum institutionis Christi: ex qua eruisti confirmationem Doctrinæ vestræ in hac controuersia, quam in reali præsentia corporis & sanguinis Christi constituisti: in quorum perceptione digni & indigni concurrant. Et sanè nos quoque præsentiam corporis Christi in sacra Cœna, & eius veram manducationem minimè negamus.

Inde delapsus es ad comparationem V. & N. Testamenti, & eorundem Sacramentorum: & videor mihi sententiã vestram

vestram assecutus, videlicet, veteres vmbram tantùm habuisse cum beneficijs: Ipsum autem Iesum Christum non habuisse. Ex quo sequatur, quòd etiam in Sacramentis suis vmbrā tantùm habuerint, non ipsum Christum præsentem.

Ego verò libentissimè peterem, vt Syllogisticè ageremus: & quandoquidem multa argumenta congessisti, sigillatim singula ordine explicaremus. Sic enim meliùs apparerent omnia, & faciliùs perciperentur. Nec ignoras pro tua sapientia, quamuis aliud sit esse λογικὸν, & aliud esse Theologum: tamen etiam in Theologia λόγον habere locum, modò principia & confirmationes ex Theologia sacra petantur.

Beza petit Syllogisticè agi.

Videtur autem tua sententia esse: Verba Christi in sacra Cœna intelligenda esse, sicut sonant. Hæc tua opinio est, & eius confirmatio: Dixit DOMINVS: Hoc est corpus meum. Ergo sic simpliciter intelligendum est, sicut verba sonant. Id autem non videtur sequi.

Repetitio Argumēti D. Iacobi.

Sunt enim multæ tales, et similes orationes in sacra Scriptura: quas si simpliciter intelligeremus, multa manifesta & aperta absurda sequerentur. Exemplum: Christus inquit Ioan. 14. Pater maior me est. Hæc verba Patres aliter intellexerunt, & interpretati sunt, quàm Arriani: qui eam sententiam simpliciter, sicut verba sonant, accipiebant: & inde probare conabantur, Christum non verum Deum, sed duntaxat hominem esse, & creaturam Deo subiectam.

Responsio D. Bezæ ad Argumentum D. Iacobi.

Ioan. 14. Pater maior me est.

Sic nouisti quomodo Scriptura de Deo loquatur: Os Domini locutū est: itē, oculus Domini videt. Quæ cùm secundum literam intelligerēt ἀνθρωπομορφῖται hæretici, Deum corporeum esse suâ substantiâ diuinitatis falsò asseruerunt. Nego igitur, quando ad hunc modum argumentaris: Dixit Dominus: Hoc est corpus meum. Ergo ita simpliciter est intelligendum.

D. IACOBVS.

Excusatio prolixitatis in edenda confessione de Cœna Domini.

Quòd in exordio Colloquij paulò prolixior fui: peto mihi ab auditoribus veniam dari. Factum enim est, vt omnibus de vera sententia & confessione nostra in hac controuersia optimè constaret: & de quibus deinceps disputabitur, eò facilius percipere queant. Quandoquidem autem in formam argumentationis petit D. Beza redigi mea argumenta: faciam quod petit. Sic igitur argumentor: In omnibus Testamentis, propria & germana significatio verborum diligenter attendenda, & retinenda est. Ergo multò magis hoc in Testamento Christi faciendũ, & propria & germana sententia verborum Christi attendenda & retinenda est, quòd longè præstantiora beneficia in eo contineantur, & legata sint Ecclesiæ.

Cur propria & germana significatio verborum Testamẽti Christi retinenda.

Antecedens probatur. Aliâs enim nulla esset certitudo Testamentorum, & testificationis extremæ voluntatis Testatoris: quemadmodum & legatorum quoque, quid, & quantum cuilibet cedat, si tanta obscuritas esset verborum Testamenti, vt ex verbis Testatoris voluntas eius non cognosci aut demonstrari posset, quid, & quantum cuiq; in testamento legatum sit.

Quapropter testatores intelligentes, ne lites & contentiones inter hæredes relinquant, aut seminent: sedulò operam dare student, vt disertè & perspicuè loquantur. Id multò magis Christum in suo Testamento condendo fecisse existimandum est, vt omnes etiam simplicissimi Christiani & fideles, quorum in Ecclesia semper maximus est numerus, intelligere posint, quid ipsis à Christo in hoc Testamento legatum, & obsignatum sit. Quod Testamentum Christi etiam nemo melius intelligit, quàm simplicissimi Christiani, qui in simplicissimis eius verbis simplici fide acquiescunt: & quod credere & facere iubentur à Christo, etiam simplici fide & obedientia faciunt.

D. BEZA.

1. *Equidem miror Reuerende D. I. Doctor, Cœnam Domini*

à te

à te Testamentum appellari, quod mihi planè nouum videtur. Est enim Cœna Domini non ipsum Testamentum, sed tantùm pars Testamenti Christi, videlicet eius obsignatio.

An Cœna Domini Testamentum rectè appelletur.

Deinde dico, non consequi: obscurum esse, quod non propriè dicitur. Nam sæpè figuræ & tropi adhibentur & vsurpantur, vt res per eas illustrentur. 2.

Præterea, minimè negari potest, in verbis institutionis sacræ Cœnæ tropum inesse, & figuratè dici, cùm inquit Lucas: Hoc poculum est N. Testamentum in meo sanguine. Poculum enim non potest esse Testamentum: neque sine tropo verba Lucæ, cum verbis Matthæi & Marci conciliari possunt: Hic est sanguis meus N. Testamenti: quamuis ego pro [HIC,] semper lego [HOC.] Item, aliud sanguis Testamenti: & aliud ipsum Testamentum. Item, quot tropos & figuras habet Testamentum Patriarchæ Iacobi? Quod negari non potest. 3. 4.

D. IACOBVS.

Reuerende Domine Beza, mihi vicissim prorsus nouum & inauditū videtur, quòd Cœna Domini Testamentum Christi esse negetur, cōtra aperta verba ex Euāgelista Luca iam abs te recitata: Hoc poculū N. Testamentum est in meo sanguine. 5. Luc 22.

Deinde manifestum est omnibus, quòd omnia substantialia habeat, quæ in Testamento legitimo & solenni requiruntur. Primùm enim Testator D. N. Iesus Christus expressè nominatur, qui hoc Testamentum condidit. Secundò: Formalia verba Testatoris, quibus suam voluntatem declarauit. Tertiò: Designantur etiam hæredes, videlicet, omnes qui credunt in Christum, pro quibus effusus est sanguis Christi, & in mortem traditum eius corpus. Quartò: Legata quoque exprimuntur, videlicet, remissio peccatorum, & vita æterna: Hic est sanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Quintò: Adsunt Testes Apostoli duodecim. Sextò: Addita sunt etiam sigilla, partim visibilia, partim inuisibilia, nō solum panis & vinum,

Eucharistia omnes solennitates veri Testamenti habet.
1. Testator.
2. Verba Testatoris.
3. Hæredes.
4. Legata.
5. Testes 12.
6. Sigilla.

sed

Testator non potest corrumpi

sed etiam corpus & sanguis Christi, sicut verba expressa sonant: quibus Legatorum promissio obsignata est. Nam cum pane & vino nobis hoc ipsum corpus, & hunc ipsum sanguinem communicat, quæ pro nobis tradita sunt. Et his fidem nostram Christus confirmat: quæ confirmatio fidei finis est Sacramenti Cœnæ Domini. Ex quibus constat, sacram Cœnam Domini, optimo iure, neque sine authoritate Spiritus sancti, Testamentum dici, qua promissio gratiæ, & remissionis peccatorum in credentibus obsignatur & confirmatur.

Sententia, & Mens Testamenti Christi.

Mens enim, & sententia verborum Christi hæc est: Hactenus audiuistis, quàm clementer, & humaniter omnes peccatores ad me inuitauerim, & eis promiserim, quotquot pœnitentiam agant, & verè in me credant, habituros, propter obedientiam meam legi præstitam, & mortem meam quam subiturus sum, omnium suorum peccatorum plenariam remissionem, & vitam æternam. De veritate, & certitudine huius promissionis, ne quisquam dubitet: Ecce hoc pane benedicto do vobis pignus certissimum, hoc ipsum corpus, quod pro peccatis totius mundi in mortem tradidi, & eundem sanguinem meum, & non alium, quem pro peccatis mundi effudi. Hæc consolatio in grauissimis tentationibus est longè maxima & firmissima, quam in vsu huius Sacramenti repositam habent, qui non in res propositas externas solùm, sed in verbum Christi respiciunt, & firma fide amplectuntur.

Consolatio in cœna Domini proposita.

2. Nullus tropus in verbis Testamenti Christi.

Deinde non nego, sed concedo, per figuras & tropos interdum res non obscurari, sed potiùs illustrari. Sed Christus in Testamento suo non voluit explicare, aut illustrare: sed perspicuis, apertis, & paucissimis verbis Testamentum condere & exponere, quæ res sit, quam cum pane & vino, suis discipulis & vniuersæ Ecclesiæ N. Testamenti, donare & exhibere voluerit: vbi tropo, vel figura, ad rem illustrandam minimè opus fuit.

Tropus non illustrat verba Testamenti Christi.

Præterea, tropus quem vos verbis Christi affingitis, non illustrat, sed prorsus tollit rem, quæ in verbis Christi proposita

ſita eſt, & Eccleſiæ exhibetur: Per quem, corpore & ſanguine Chriſti è Cœna Domini ſublatis, nuda ſigna, ſymbola, figuræ, atque vmbræ in locum corporis & ſanguinis Chriſti, adeoq́ue excluſo nucleo putamina Eccleſiæ Dei obijciuntur & & relinquuntur.

3.

An in verbis Pauli de calice ad tropum recurrendum ſit.

Quòd verò Reuerendus D. Beza ſubiungit: in Luca ad tropum neceſſariò recurrendum eſſe, ſi verba conſideremus, quibus inſtitutionem Cœnę Domini deſcripſit: Hoc poculum nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine: quæ aliàs cum Matthęi & Marci verbis conciliari non poſsint: quæ ſic ſonant: Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti. Reſpondeo, Tantum abeſſe, vt Lucas cum Paulo in deſcriptione verborum Cœnę Domini de calice in verbis tantam diuerſitatem habeat, vt ad eorum conciliationem, neceſſariò ad tropum recurrendum ſit: quin ijſdem prorſus verbis, non minùs de poculo quàm de pane vtantur, apertiſsimè demonſtrabo. Differentia autem ſolùm eſt in diuerſitate phraſium. Nam Mattheus & Marcus Gręcorum, & vſitato more locuti ſunt: Hic, ſiue hoc eſt ſanguis meus noui Teſtamenti. Lucas autem, & Paulus phraſi Hebręa vſi ſunt: Hoc poculu[m] eſt nouum Teſtamentum in meo ſanguine. Quę phraſis Hebręis vſitata eſt, & ſępe in Scriptura occurrit. Gen. 32. loquitur Patriarcha Iacob: In baculo meo tranſiui Iordanem, hoc eſt, cum baculo. Iudic. 15. In Maxilla aſini, in Mandibula pulli aſinorum deleui eos, & percuſsi mille viros, hoc eſt, cum maxilla. Pſalm. 63. Introibo in domum tuam in holocauſtis, hoc eſt cum holocauſtis. Ioſ. 24. Non in gladio, & in arcu tuo eieci duos Reges Amorrhęorum, hoc eſt, cum gladio. Sic Lucas cum Paulo non ſimpliciter & abſolutè dicit: hoc poculum eſt N. Teſtamentum: ſed addit phraſi Hebręa, *IN SANGVINE MEO*, hoc eſt, cum ſanguine meo. Nam ſine ſanguine Chriſti non poteſt eſſe N. Teſtamentum. Sed quoniam ſanguis Chriſti, ſecundum verba promiſsionis, cum poculo hoc coniunctus eſt, non ſignificat N. Teſtamentum, ſed *REVERA EST*. Nam pręſentia ſanguinis Chriſti, & eius efficacia, efficit N. Teſtamen-

Conciliatio verborum Pauli cum verbis Matthæi & Marci de poculo cœnæ Domini.

Phraſis Hebræa in Scriptura vſitata.

Quomodo poculum cœnæ Domini, ſit N. Teſtamentum.

Quid N. Teſtamentum.

ſtamentum: qui ſanguis in veteri Teſtamento duntaxat adumbratus fuit.

Euangeliſtæ cũ Paulo iiſdem verbis cœnam Domini deſcripſerunt, ſed phraſi diuerſa.

Vident ergo auditores omnes, quemadmodum in priore parte Sacramenti trium Euangeliſtarum, & Pauli, eadem ſunt verba: Hoc eſt corpus meum: ſic etiam de calice eadem verba eſſe in quatuor illis deſcriptionibus, ſed phraſin duntaxat propter linguarum Idiotiſmos diuerſam eſſe. Nam ſi vocabula numeres, Hoc, ſanguis, nouum Teſtamentum, E S T: eadem in omnibus reperientur. Alia autem atque alia eſt, pro cuiuſque linguæ ratione, eorum connexio. Ideóque ad conciliationem verborum Euangeliſtarum & Pauli, nullo prorſus tropo, ſed diuerſitatis phraſium explicatione tantùm opus eſt: cùm res ipſa demonſtret, ab omnibus verba Chriſti accuratè retenta eſſe.

4. De Teſtamenti Patriarchæ Iacobi verbis.

Quod verò ad verba Teſtamenti Patriarchæ Iacobi attinet: longè diuerſiſsima ratio eſt. Is enim filijs in vltimis ſuis verbis de ſingulorum fortuna magis concionatus eſt, quàm Teſtamentum condidit: vbi tropis & figuris locus fuit. In Teſtamento autem ſuo Chriſtus non ad eum modum concionatur: ſed panem, & vinum ad diſpenſationem corporis & ſanguinis ſui ordinauit. Quemadmodum etiam præſcripſit, quomodo ad confirmationem fidei & ſalutis noſtræ æternę, adminiſtranda ſint: Vbi nullus vſus tropis & figuris eſt.

D. BEZA.

1. *Quoniam vſus es hoc fundamento generali, videlicet in Teſtamentis non eſſe locum figuris aut tropis: ideo exemplum Patriarchæ Iacobi produxi.*

2. *Et addo: Tu affirmaſti cœnam Domini eſſe Teſtamentum nouum: ego dixi, non eſſe propriè Teſtamentum, ſed pignus.*

3. *Item: ſi Chriſtus Cœnam Dominicam non inſtituiſſet: num propterea Teſtamentum nouum non fuiſſet inſtitutũ?*

Et, si nihil præter Cœnam Domini intelligis per N. Te- 4.
stamentum: quid ergo de Baptismo dicemus? Num verò &
hoc quoque Sacramentum non eâdem ratione Testamentum
verè dici poterit? Nam hîc est Testator Christus, qui Bapti-
smum instituit. Hîc sunt Legata Christi, remissio peccato-
rum. Et dico etiam, quòd Baptismus habeat quoque sangui-
nem Christi. Et Pontificios ex simplici intelligentia verbo- 5.
rum institutionis, Transsubstantiationis dilirium hausisse,
non ignoras.

Quemadmodum ergo sigillum appensum instrumento, 6.
non est ipsum instrumentum, sed est eius duntaxat confir-
matio, quo authenticum redditur: sic etiam Cœna Domini
non est Testamentum, sed duntaxat sigillum, & obsignatio
Testamenti.

Præterea miror, quî fieri possit, ut idem sit Testator & 7.
Testamentum. Confundis enim Testatorem & Testamen-
tum.

Similiter quoque non videtur, posse stare, quod dixisti: 8.
Nullum esse posse in Testamento Christi locum tropis: Quia
Christus hîc nihil voluerit illustrare. Ratio non militat. Vi-
detur enim maximè opus fuisse illustratione: Quoniam di-
scipuli videbant Christum tenere panem: & merum pa-
nem & vinum esse, quod suis manibus porrexit: videbant
quoque, hunc panem non esse essentiale corpus Christi: ideoq;
egebant tali explicatione & illustratione, ad quam Christus
Tropo usus est, qui contra delirium Papistarum de Trans-
substantiatione pugnat. Qui tropus discipulis minimè
ignotus fuit. Etsi enim aliâs satis rudes erant: tamen in
his locutionibus exercitati erant, ut eas probè intellige- 9.
rent: Quia non modò in Mysterijs & Sacramentis, sed aliâs
quoq; in communi sermone usitatæ erant. Sic dicitur: Cir-

De phrasibus Sacramentalibus.

 cumci-

cumcisio est fœdus: Agnus est phase, seu transitus Domini: hoc est, significat, seu est signum fœderis: significat transitum Domini.

10. *Sic quoque cùm iudex aliquem in possessionem exercendi iudicij immittit: porrigit illi gladium, & dicit: Hæc est potestas tibi data. Item, in contractibus cùm literæ exhibentur:*
11. *Ecce trado tibi literis pratum, agrum, domum, &c. & si quæ sunt alia. Et hæ locutiones tropicæ in Scriptura quoque vsitatæ sunt. Exemplũ: Luc. 13. Christus inquit de Herode: Dicite, vulpi: quod per tropum dictum est: quo multò significantius malitiam Herodis declarauit, quàm si absq; tropo locutus esset, & malum atque astutum hominem dixisset. Sic*
12. *quoq; Petro dicit: Abi post me Sathan. Vbi vocabulo Sathanæ plus dicitur, & magis perspicuè locutus est, cùm eum Sathanam seu Diabolum appellat, quàm si eum aduersarium dixisset. Similiter, Christum quoque per tropum loqui voluisse, certum est, cùm inquit: Hoc est corpus meum: ne tantùm de pane accipiamus, sed de tali pane, qui corporis Christi signum & figura sit, quæ Christi corpus menti hominum piorum efficacissimè repræsentet & offerat.*

13. *Et quando Paulus cum Luca dicit: Hoc poculum nouum Testamentum est IN MEO SANGVINE: malo reddere per meum sanguinem, quàm cum meo sanguine.*

D. IACOBVS.

Multa dixit Reuerendus Dominus Beza: ad quæ, si memoria lapsus, non ordine respondero ad omnia: rogo mihi condonari & me commonefieri. Nam & ipse imbecillitatem memoriæ in me agnosco.

Quod igitur ab initio à me dictum est de Testamento, quòd Cœna Domini sic à Luca & Paulo nominetur: supra satis

tis probatum est. Et qua ratione sit perfectum Testamentum, in quo omnis solennitas, quo ad substantiam Testamenti, obseruata est: perspicuè demonstrauimus. Sic quoque fuisse nouum Testamentum concedo, etiamsi Cœna Domini non instituta esset. Sed Cœnam Domini neque Testamentum esse, aut dici posse: nego. Causæ priùs à me commemoratæ sunt. Et caruisset hoc Testamentum altero sigillo, quod Christus in Cœna Domini appendit. 2. 3.

Quod verò de Baptismo affertur, eum hoc modo pariter Testamentum dici posse. Respondeo: De singulis Sacramentis ex verbo Dei pronunciandum est. Cùm ergo Scriptura hoc de Baptismo non dicat: & nos quoque tacemus. Et quod ad discrimen Sacramentorum attinet, id ex verbo Dei, & signis externis sumitur. Nam etsi vnus idemq́ue numero Christus in omnibus Sacramentis est: non tamen ideo per omnia eadem Sacramentorum ratio est. Sic Baptismus in verbo Dei non Testamentum, sed lauacrum regenerationis & renouationis in Spiritu sancto appellatus est. 4.

Cur Baptismus non Testamentum appelletur.

Discrimen Sacramentorum vnde petendum.

Et de Baptismo Christus non dixit: Hic est sanguis meus: sed aquam, & Spiritum ad regenerationem coniunxit, cùm inquit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, &c. De Testamento Patriarchæ Iacobi paulò antè diximus, quòd magis fuerit Prophetica concio de fortuna & successu filiorum & posteritatis ipsorum, quàm Testamentum: Ideoq́ue tropis illustrare voluit Patriarcha. In Cœna autem Dominica longè alia ratio est. Et manet perpetuò vera regula: In Testamento, non tropis aut figuris, sed simplicissimis & perspicuis verbis homines vti solere, vt de Testatoris voluntate constet.

Ioan. 3.

Quòd verò Pontificij ex simplici intelligentia verborum Testamenti Christi, Transsubstantiationis figmentum & delirium in Ecclesiam introduxerunt: quomodo id non sequatur, manifestum est. Nam sicut ex literali & simplici sensu verborum Ioannis falsò colligeretur, cùm dicitur: Super quem videris descendentem spiritum, quod factum est in 5.

Ex simplici intellectu verborum Cœnæ Domini, non sequitur Transsubstantiatio.

Ioan. 3.
Luc. 3.

 specie

ſpecie columbæ: Ergo columba eſt transſubſtantiata in Spiritum ſanctum: Sic etiam non ſequitur: quia Chriſtus panem demonſtrans dixit: Hoc eſt corpus meum, Ergo panis eſt transſubſtantiatus in corpus Domini.

Sicut enim ſubſtantiæ columbæ & Spiritus ſancti, diſtinctæ in hac reuelatione Spiritus ſancti permanſerunt, nec facta eſt vlla ſubſtantiarum confuſio, aut ſubſtantialis alterius in alterum mutatio: Ita & in Cœna Domini, nulla facta eſt ſubſtantiarum panis & corporis, vini & ſanguinis Chriſti transmutatio ſecundum ſubſtantiam: Sed exprimitur his verbis duntaxat præſentia corporis Chriſti, & ſacramentalis vnio, quæ inter panem & corpus Chriſti, virtute verborum inſtitutionis, facta eſt.

Quemadmodum igitur in his verbis nullus tropus eſt, cùm dicitur: Hæc columba eſt Spiritus ſanctus: Verè enim Spiritus ſanctus fuit, qui in ſpecie columbæ deſcendit, & non ſignum duntaxat Spiritus ſancti: Ita etiam nullus tropus eſt in verbis Teſtamenti Chriſti: Hoc eſt corpus meum: neq; tamen Transſubſtantiatio ex literali ſenſu ſequitur.

Nullus tropus in verbis Teſtamenti Chriſti.

Sic quoque non euincit tropum, quòd diſcipuli vident Chriſtum ſua manu tenere eſſentialem panem, quem Apoſtolis diſtribueret. Nam ipſi non ſolùm oculis ſuis panem aſpexerunt, ſed vera fide verbis Chriſti intenti fuerunt: hoc eſt corpus meum; quibus ſimpliciter ſine omni tropo crediderunt.

7. Nec video, quomodo ex ſententia noſtra ſequatur confuſio Teſtatoris & Teſtamenti, vt idem ſit Teſtator & Teſtamentum. Non enim corpus Chriſti (quo nomine Teſtator intelligi poſsit) eſt totum & integrum Teſtamentum: ſicut nec Teſtamentum Chriſti nihil aliud quàm corpus Chriſti eſt: ſed in Teſtamēto Chriſti, corpus & ſanguis eius tanquam ſigilla promiſsionis continentur.

Diſcrimen inter Teſtamentum, & ſigilum Teſtamenti.

Et ſic quoque aliud eſt & manet Teſtamentum, quod eſt promiſsio gratiæ, propter corpus & ſanguinem Chriſti pro nobis traditum, & in remiſsionem peccatorum effuſum: & aliud corpus & ſanguis Chriſti cum pane & vino Cœnæ Dominicæ,

minicæ, quibus hæc promiſsio obſignata eſt. Sicut autem aliàs quoque ad totum & perfectum Teſtamentum, & eius perfectionem non nuda membrana, ſed ſigillum quoque appenſum requiritur: Ita in Chriſti Teſtamento, nō ſolùm promiſsio membrana deſcripta, ſed ſigillum quoque appenſum eſt, vt de gratia Dei omnes verè pœnitentes peccatores certiſsimi eſſent.

Vehementer autem miror, quòd ais: In Cœna Domini opus fuiſſe illuſtratione, ad quam eiuſmodi locutione vſus ſit Chriſtus, quæ eius diſcipulis probè cognita fuerit: cùm earum exemplum nullum in veteri Teſtamento extet. 8. Nullus tropus in verbis Sacramentorum veteris Teſtamenti.

Nam quod de locutionibus ſacramentalibus veteris Teſtamenti attuliſti, diſcipulis Chriſti non ignotis: Circumciſio eſt fœdus, hoc eſt, ſignum fœderis. Item, Agnus eſt Phaſe, ſeu tranſitus Domini, hoc eſt, ſignificabat tranſitum Domini: Has locutiones Tropicas & figuratas eſſe, ſimpliciter & categoricè nego. 9.

Cùm enim dicitur: Circumciſio eſt fœdus: Vocabulum (EST) hyparcticè, hoc eſt, ſicut ſonat, accipiendum, videlicet, non pro (SIGNIFICAT) ſed quod REVERA EST. Nam circumciſio non ſignificauit fœdus, ſed FVIT verum fœdus inter Deum & poſteritatem Abrahæ, cui tradita fuit. Circumciſio eſt fœdus, quomodo intelligendum.

Circumciſio autem non ſignificat tantùm auulſionem, ſeu amputationem pelliculæ præputij, quaſi tota in illa præciſione pelliculæ conſiſtiteret: ſed requiritur quoque verbum Dei, tanquam ſubſtantialis pars fœderis: ſine quo illa externa circumciſio non fœdus, ſed ocioſa cæremonia eſt. Circumciſio quid complectatur.

Sicut videre licet apud Turcas & Iudæos, qui noſtro tempore hac externa ceremonia vtuntur, & maſculi ipſorum circumciduntur. Non autem ipſis eſt vera circumciſio: Quoniam caret verbo Dei, eius mandato, & promiſsione, Abrahæ factis: quæ ſolùm vſque ad aduentum Chriſti durare debebat, & per Baptiſmum abrogata eſt, qui in circumciſionis locum ſucceſsit. Turcarum circumciſio ocioſa eſt cæremonia.

Cùm igitur ad circumciſionem nō ſolùm externa ceremonia, ſed etiam verbum Dei neceſſariò requiratur: manifeſtum eſt,

est, quòd circumcisio nequaquam sit duntaxat signum fœderis, sed reuera & realiter est ipsum fœdus.

Quando autem Scriptura de externa duntaxat cæremonia loquitur: tum rectè dicitur, quòd fuerit signum & sigillum fœderis, tanquam pars eius. Sicut Paulus Roman. 4. de Abrahamo loquitur. Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei.

Agnus Paschalis non est phase Domini.

Sic nusquam scriptum legimus: Agnus est transitus Domini. Neque hanc phrasin seu locutionem D. Beza, in Mosis citato loco Exodi 12. demonstrare potest, vt ex ea ratiocinari posśit ad confirmandum tropum in verbis Cœnæ Domini asserendum. Sicut igitur agnus non dicitur transitus Domini, neque hunc transitum significauit: Ita etiam ex eo falsò colligitur, quòd panis cœnæ non sit corpus Domini, sed corpus Domini solùm significare.

Agnus non significauit transitum Domini.

Nam agnus Paschalis significauit duntaxat verum agnum Dei, qui est Iesus Christus: Nequaquam verò significauit transitum Domini. Ideóque est manifesta fallacia compositionis, quòd D. Beza coniungit, quæ disiuncta sunt in verbis Mose, in Exodo cap. 12. descriptis. Mose enim caussam reddit, cur de sanguine agni super postes & super liminare domuum ponere, & carnes eius festinanter comedere debeant. Sic autem comedetis (inquit Mose) Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis FESTINANTER. Est enim phase seu transitus Domini. Hæc postrema verba ad agnum referri non posse, sequentia verba Mose luce meridiana clariùs demonstrabunt. Sequitur enim: Et transibo per terram Ægypti nocte illa, & percutiam omne primogenitum, in terra Ægypti ab homine vsque ad pecus.

Agnus Paschalis figura & typus Christi.

Hîc nihil de signo, figura, figuratione aut significatione transitus Domini, sed de reali transitu dicitur, quòd realiter transiturus esset Dominus: quem transitum agnus non figurauit, aut significauit, sed sanguis eius sanguinem Christi adumbrauit, cuius merito seruati sunt, qui est hodie, heri, & in

secu-

seculum. Quod etiam sequentia verba Mose magis perspicuè indicant, cùm inquit: Et cùm dixerint filij vestri, quę est ista religio? dicetis eis: victima transitus Domini est, quando transiuit Dominus super domos Israel, &c. Vbi nihil de significatione transitus Domini dicitur: sed res disparatę recitantur, victima videlicet agni, & tempus, quo Dominus transiuit, & pepercit Israel in occidendis primogenitis Ægypti.

Cùm igitur circumcisio sit verum & reale fœdus, & non significet fœdus: & agnus Paschalis non dicatur transitus Domini, neque transitum Domini, tanquam rem absentem significauerit: in allegatione horum exemplorum dupliciter peccatur. Primùm, quòd falsum sensum verbis Mose affingunt: Deinde, quòd illum peruersum sensum ad verba Cœnę Domini accommodant: & sic per incertum, seu potiùs manifestè falsum, æquè incertum, seu potiùs falsum sensum in verbis Testamenti Christi, demonstrare conantur, cùm phrases de circumcisione, & agno Paschali nequaquam sint tropicę: sicut demonstratum est.

Quapropter falsò dicitur: Discipulis has tropicas locutiones notas fuisse: siquidem non sint tropicæ, sicut ostensum est.

Malè quoque simile de iudice gladium exhibente ministro, huc accommodatur. Alię enim sunt phrases Sacramentales: alię verò in rebus politicis vsitatę. Nam in Sacramentis Deus res spirituales verbo comprehensas non significare, sed suis distribuere & exhibere voluit, & reuera quoque exhibet.

10. Refutatio argumenti à simili de gladio producti.

Sic quoque literæ contractuum in ciuilibus actionibus, malè ad verba Christi, quasi eadem in vtrisque ratio esse videatur, accommodantur. Non enim vsitata locutio est, cùm exhibens literas contractus, aliquis diceret: accipe, Hoc est, domus, ager, pratum, aut si quę sunt alia: Christus autem panem exhibens, dicit: Accipite, Manducate: Hoc est corpus

11. Refutatio argumenti à ciuilibus contractibus.

meum. Quæ phrasis & locutio longè alia est, quàm quæ in contractibus vsitatę sunt.

12. In exemplo de Herode allato, fateor tropum inesse, qui dicitur Metaphora: sed hæc non est Sacramentalis locutio.

13. De Petro autem nego in verbo Sathan, tropum inesse: quoniam in lingua Hebręa Sathan generale vocabulum est, quod aduersarium significat.

Nullus tropus in verbis Christi.

Ad Pauli locum suprà responsum est, quòd non dicat simpliciter: Poculum est nouum Testamentum. Si enim hæc verba in Paulo vel Luca absolutè posita essent: vtique in his verbis tropum agnoscerem, sed quoniam addit: IN SANGVINE MEO: phrasi hac Hebręa tropus omnis excluditur. Idem enim sonant Lucę & Pauli verba: Hoc poculum nouum Testamentum est in meo sanguine, quod Matthęi & Marci verba: Hic, seu, hoc, (nam in nullo discrimine pono) est sanguis meus noui Testamenti.

Manet ergo firmum adhuc & inconcussum: Verba Testamenti Christi: Hoc est corpus meum: τοῦτ' τὸ σῶμά μου, hoc est, secundum literam, sicut sonant simpliciter, absque omni tropo intelligenda esse.

D. BEZA.

Quòd Patriarchæ Iacobi Testamentum allegaui: ideo factum est, vt probarem, in Testamentis quoque tropum locum habere posse. Tu autem respondes, aliam rationem in verbis Christi esse.

An Ioannes S. S. viderit.

Cæterùm quòd affers de Spiritu sancto, quem dicis à Ioanne visum: Ego non concedo sine tropo dici posse, quòd Ioannes Spiritum sanctum viderit. Quoniam columbam, non ipsam Spiritus sancti substantiam vidit. Cùm igitur columba, non fuerit Spiritus sanctus: sed signum solùm Spiritus sancti, ideoq́ per tropum hæc de S.S. dici necesse est.

Quod

Quod autem de Filio Dei dicitur: Eum visum esse, id 2
propter vnionem hypostaticam dicitur, quòd Deus & homo in Christo sint vna persona. Id verò de Spiritu sancto & columba locum habere non potest, quòd non hypostaticè vnita fuerit columba, & S.S. sed columba signum tantùm fuerit S. sancti.

In eo etiam, vt tua pace dicam, mihi errare videris, & 3
non rectè agere: quòd putas verborum Cœnæ Dominicæ explicationem ex alijs Testamentis & Scripturæ locis non sumendam esse.

Et quamuis fateor, non eandem simpliciter rationem Ba- 4
ptismi & Cœnæ Domini esse: tamen non negari potest Sa-
cramenta aliquid commune habere: Idqúe non solùm in no- 5
uo, sed etiam veteri Testamento, si cum illis Sacramenta noui Testamenti conferantur, sicut de circumcisione dictum est, quòd sit fœdus, hoc est, signum fœderis: Sic quoque dici: panis in Cœna Domini est corpus Christi, hoc est, signum
corporis Christi. 6

Quod verò de Petro dixisti, quem Christus Sathanam appellauit, vbi vocabulo Sathanæ, non Diabolum sed aduersarium intelligas: fateor, me talem explicationem non legisse,
neque à quoquam sic explicatum esse existimo. 7

Neque ignoras, Bernhardum verba Cœnæ Dominicæ, similitudine seu exemplo annuli explicare, qui à sponso peregrè proficiscente sponsæ datur, ad conseruandam sponsi memoriam, donec reuersus fuerit: Sic Christum panem cœnæ sponsæ suæ Ecclesiæ dedisse ad conseruandam sponsi sui memoriam, donec ad iudicium reuersus fuerit. Vbi sine tropo dici non potest, quòd annulus sit sponsus, sed signum, & memoriale sponsi, quod sponsam de ipsius reditu, perpetuò commonefaciat.

D. IACOBVS.

1\. In exemplo de Spiritu sancto & columba, in qua se ipsum S. S. reuelauit, nullum tropum inesse suprà satis dictum est. Nam quod Iohannes vidisse dicitur, non signum Spiritus sancti, sed ipse Spritus sanctus erat: sicut verba textus apertè sonant: *ET VIDIT SPIRITVM SANCTVM DESCENDENTEM SICVT* columbam, & venientem super eum. Non dicit: & vidit Iohannes columbam descendentem, quæ Spiritum sanctum significauit. Item, descendit Spiritus sanctus corporali specie, tanquam columba in ipsum. Vbi quęso, aut in quo vocabulo est figura aut tropus, si omnia & singula accuratissimè excutias?

Ioannes ipsum Spiritum sanctum vidit.

Matth. 3.

Luc. 3.

Etsi autem Iohannes Spiritum sanctum in proprietate substantię & essentiæ Diuinæ non vidit, qua ratione tanquam spiritus & nihil corporeum, inuisibilis est: Vidit tamen verè ipsum Spiritum sanctum in ea forma, in qua se reuelauit, videlicet in specie columbę. Quę columbæ species, non est tropus aut figura Grammatica. Quemadmodum si quis hominem velatum facie, & toto corporis habitu tectum videat: verè dici potest, quod talem hominem viderit, sed ea duntaxat forma, quę in ipsius oculos incurrit. Vbi similiter quoque tropus nullum locum habere potest, quasi signum duntaxat, & non ipsum hominem pręsentem viderit. Et nusquam scribitur, quòd Iohannes viderit columbam, quæ Spiritum sanctum significauerit, sed apertè dicitur: Iohannes vidit Spiritum sanctum descendentem: vbi Spiritu sancto, propter formam & speciem, in qua apparuit, & propter realem, non figuratam, aut significatiuam pręsentiam, tribuitur, quod non Spiritus S. sed columbæ proprium. Idque κατὰ τὸ ῥητὸν, sine omni figura aut tropo.

Simile de homine velato.

Deinde, nouerunt omnes, cùm duæ res coniunguntr & simul exhibentur, quòd nobilius & pręstantius duntaxat nominetur, & denominationem à nobiliore fieri. Sic diuersa genera vini, hospes in diuersis poculis aut vitris apponens, inquit:

Vsitata forma loquendi, non figurata.

Demonstratio pronominis HOC.

quit: Hoc est rubrum vinum: hoc est album vinum: hoc est Rhenense, hoc est Alsaticum. Vbi Pronomine (HOC) in omnibus illis enunciationibus monstrantur duo, videlicet vitrum, quod continet vinũ, & vinum, quod continetur in vitro: nec tamen vitrum, sed vinum tantùm tanquam nobilius & præstantius nominatur.

Hæc ratio loquendi minimè tropica est aut figurata, sed simplex & vsitata in omnibus linguis: quæ intelligitur, sicut verba in propria sua significatione accepta sonant. Quoniam hoc ipsum, quod datur, reuera est vinum eius speciei, quæ nominata est. Neque enim vel dicitur, vel intelligitur: Hoc vitrum significat rubrum vel album vinum: Aut, hoc vitrum est figura & signum vini, significans vinum. Sed quemadmodum dicitur: hoc est vinum rubrum: sic in verbis Christi Pronomen (HOC) vtrumque monstrat, panem & corpus Christi: sed nobilius tantùm nominatur, ad cuius dispensationem & perceptionem panis seruit. Similiter quoque in reliquis verbis nullus est tropus, sed literalis & grammatica significatio singulorum. EST, reuera ESSE: Corpus verum corpus: MEVM, Christi & non alterius, significat vel enunciat. Cùm igitur propria significatio singulorum vocabulorum in verbis Christi retineatur: quomodo ergo tropus illis inesse potest? Ex quo intelligitur, non modò non Tropicam esse illam locutionem, sed etiam adeo absurdam eius Tropicam explicationem, vt etiam res ipsa eam ferre non possit, sicut explicatum est.

A Regula de communi forma loquendi in omnibus linguis.

Pronomen (HOC) quid in verbis Christi monstret.

Eadem planè ratio est de Filio Dei, de quo scribit Ioannes: Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectauimus, quod manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ. Etsi enim visibilis humana natura, aliter cum Filio Dei, quàm columba cum Spiritu sancto, & quidem hypostaticè, vnita est: tamen quoad externam visionem, & realem præsentiam vtriusque, eadem prorsus est ratio. Sicut enim Filius Dei & Spiritus sanctus proprietate Diuinæ naturæ inuisibiles sunt: sic non nisi in externa visi-

2. An Apostoli Filium Dei verè viderint, an tropice. 1. Ioan. 1.

bili assumpta natura visi sunt. Non autem per tropum, figuratiuè, aut significatiuè: sed verè & realiter, præsentes, non absentes.

3. Analogia Sacramentorum Vet. & Nou. Testamenti.

Quod ad Analogiam Sacramentorum Vet. & No. Testamenti inter sese attinet: fateor ea quædam communia habere: Quòd videlicet, simul omnia verbo & elemento constant: quòd sunt sigilla gratiæ, gratuitæ remissionis in Christo, & propter Christum promissæ. Ex eo autem minimè sequitur, quòd per omnia eorundem eadem ratio sit.

Quantum enim discrimen sit inter Sacramenta veteris & noui Testamenti, videlicet, quantum vmbra à corpore differt, suprà ostensum est.

4. De Analogia Baptismi ad Cœnam Domini.

Et de Analogia Baptismi ad Cœnam Domini quoque dictum est, cur non Baptismus, sed Cœna Domini duntaxat Testamentum ab Euangelistis dicatur. Siquidem de singulis Sacramentis secundum præscriptum verbi Dei loquendum & sentiendum est. Est quidem Christus in vtroque Sacramento præsens: sed in Baptismo regeneramur, non cibo aut potu reficimur. In Cœna aūt Domini reficimur cibo & potu spirituali, non regeneramur.

5. Vocabulum (signū) vbi & quomodo, in Sacramentis locum habeat.

Signum fœderis, & ipsum fœdus differre concedo: cum per signum fœderis sigillum appensum solùm intelligatur. Circumcisionem autem sola externa ceremonia sine verbo constare, constanter nego. Sicut enim in externis Testamentis, membrana sine sigillo, & sigillum sine membrana nullam authoritatem habet: Sic Christus quoque propter nostram infirmitatem & imbecillitatem fidei nostræ, membranam, hoc est, promissionem Euangelij cum sigillo, & sigillum cum membrana, hoc est, promissionem & sigillum coniunxit, & sic tanquam perfectum Testamentum suæ Ecclesiæ commendauit & reliquit.

6. Quomodo Petrus Satan appellatus sit.

Quòd per Satanam in verbis Christi ad Petrum dictis: vade post me Sathan: nō diabolum, sed aduersarium intelligam & explicem: ad iudicium peritorum Hebrææ linguæ prouoco, quibus significatio huius Chaldaici vocabuli nota est: qua

lingua Christus inter Iudæos, tanquam eius temporis post reditum ex Babylone populo Iudaico vernacula, locutus fuit. Quòd enim generale hoc vocabulum Sathan diabolo tribuitur, in causa est, quoniam diabolus summus Dei aduersarius est: sed hoc nihil obstante, etiam in generali significatione Christo licuit aduersus Petrum vti, qui non tanquam Diabolus odio, sed amore Christi, hanc errabundam vocem edidit, propter quam à Christo reprehenditur & Sathan appellatur.

Similitudo annuli ex Bernhardo allata, non latiùs extendenda est, quàm verba Auctoris permittunt. Sic enim sonant verba Bernhardi: Vt de vsualibus sumamus exemplum: Datur annulus absolutè propter annulum, & nulla est significatio: Datur ad inuestiendum de hæreditate aliqua, & signum est, ita vt iam dicere posit, qui accipit: annulus non valet quidquam, sed hæreditas est, quam quærebam. Item, vt inuestitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per Baculum & Annulum simul: sicut, inquam, in huiusmodi reb. est, sic & DIVISIONES GRATIARVM, diuersis traditæ sunt Sacramentis. Ex quibus manifestũ est, Bernhardum per similitudinem annuli nequaquam substantiam Sacramenti Cœnæ, sed eius vsum & finem duntaxat declarare voluisse: qua ratione similitudo optimè quadrat. 7.

Bernhardus in sermone de Cœna Domini.

Similitudo de annulo.

Quòd autem ad substantiam Sacramenti detorquetur, quasi panis sit duntaxat signum corporis Christi in sacra Cœna: hoc Bernhardo nunquam in mẽtem venit, sed cum ipsius expresis verbis pugnat, quæ in sequenti sermone de Cœna Domini extant: cùm autem (inquit) vnum sit Sacramentum, TRIA ibi DISCRETA proponuntur: scilicet species visibilis, VERITAS CORPORIS, & virtus gratiæ spiritualis. Et iterum: Tria quippe in Sacramento altaris attendere debes, speciem panis, veritatem carnis, & virtutem gratiæ spiritualis. Hactenus Bernhardi verba. Nihil igitur similitudo annuli facit ad confirmandum tropum in verbis Testamenti Christi: quem neque Bernhardi, neque Christi verba admittunt.

Abusus seu peruersa interpretatio similitudinis de annulo.

Bernhardi fides & Confessio de Cœna Domini.

Ex qui-

Τὸ ῥητὸν verborum Testamẽti Christi firmum.

Ex quibus omnibus manifestum est, nos nulla prorsus necessitate vrgeri, vt à simplici & literali sensu verborum Testamenti Christi recedamus, sed ea κατὰ τὸ ῥητὸν intelligenda, & simplici fide accipienda esse: quemadmodum sine dubio discipuli Christi simplicis. fide illa acceperunt, memores illius Petri Apostoli: Quò ibimus? verba vitæ æternæ habes. Hoc crediderunt discipuli, & in verba Christi non curiosè inquirunt, nec rationi humanæ aut sensibus indulgent, qui nihil præter panem & vinum, suis oculis externis videbant: sed verbis Christi intendentes, quæ verba vitæ esse sciebant, simpliciter credunt, Christum dare corpus suum manducandum: MODVM præsentiæ Christo commendant, ipsi verò obedientiam præstant, & faciunt quod iubet Christus. Nisi enim simpliciter hoc credidissent: sine dubio Christum interrogassent, quomodo hæc ipsius verba: Hoc est corpus meum: intelligenda essent. Quod aliàs sæpe ab ipsis factum est, quoties rem aliquam non intellexerunt, aut dubitarunt.

Ioan. 6. Simplex fides discipulorum Christi de Cœna Domini.

Idem alibi nos Caluinus quoque facere iubet, qui dicit: Mysterium esse, quod omnem humani ingenij captum excedat, quodq́ue magis in se ipso experiatur, quàm intelligat: In eo si absque omni fuco & Sophistica permaneremus, neque aliud ore loqueremur, aliud corde cogitaremus: tota hæc controuersia feliciter sopita & prorsus sublata esset.

Cœna Domini est Mysterium intellectum humanum excedens.

Quod quidem ex parte nostra semper iam inde ab exordio huius controuersiæ Lutherus, & nos vnà cum illo testati sumus, nos modum præsentiæ corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna non scrutari, aut definire, sed omnipotentiæ & veritati Christi committere, qui MODVM nouit, quem nos nõ intelligimus: cui nos simpliciter fide subijcimus. Idem nunc quoque coram Illustriss. Principe, & præsentibus auditoribus omnibus repetitum esse volumus, nos neque debere neque posse à simpliciss. verbis Testamenti Christi, & simplici eorum sensu & intelligentia recedere, nisi velimus corru-

A verbis Testamenti Christi, & eorum simplici literali sensu, non recedendum.

corruptores & peruersores Testamenti Christi euadere: quod minimè faciendum est.

Si enim leges ciuiles violatoribus humanorum Testamentorum grauissimas pœnas decernunt, vt infamia notentur, & parte hereditatis ipsis destinata & in Testamento legata, excidant: quid violatoribus Testamenti Filij Dei, à Christo expectandum erit?

Pœna violatoribus Testamentorum decreta.

Quapropter in simplici sententia & fide verborum Testamenti Christi permaneamus, etiamsi sensus noster, & ratio eam non capiant. Qui enim ambulat simpliciter, inquit Salomon, securè & confidenter ambulat: qui autem deprauat vias suas, manifestabitur. Neque metuendum est, ne fortè propter simplicitatem hanc fidei, à Christo in nouissimo die accusemur aut damnemur: quippe quæ illi laudem omnipotentię & veritatis tribuit, quantumuis rationi humanę absurdum videatur, quod creditur. Et perpetuò memores simus grauissimæ admonitionis Pauli, quę ad Corinth. extat: Adiunxi vos vni viro, vt virginem castam exhibeam Christo: sed metuo ne quà fiat, vt quemadmodum serpens Euam decepit versutia sua: ita corrumpantur mentes vestrę à simplicitate in Christum.

Prouerb. 10.

Simplicitatis fidei securitas & fiducia.

2. Cor. 11.

A simplicitate fidei non recedendum.

Simplicitas Deo grata, & in Ecclesia necessaria est: siquidem maximus numerus eorum est, qui non sunt doctores, non eruditi, qui tropos & figuras ignorant: qui Deo plùs probantur & placent, quàm sapientes, & secundum carnem eruditi & docti. De quibus Christus ait: Gratias ago tibi Pater, quòd hęc absconderis à sapientibus & prudentibus, & reuelaueris ea paruulis. Inter hos nos quoque numeremus, & simpliciter credamus: sic Deo gratissimi discipuli erimus, & securissimè ac tutissimè ambulabimus.

Matth. 11.

Simplicitas fidei Deo magis grata, quàm sapientia mundi.

D. BEZA.

1. Reuerende D. Doctor, videris mihi non manere in statu proposito. Non enim negamus, corpus & sanguinem Christi verè adesse, & verè dari in Cœna & percipi, quæ pane et vino Cœnæ Dominicæ significantur.
2. Neque etiam negamus: Panem esse corpus Christi: Vinum esse sanguinem Christi:
3. sed disputatio est, quo sensu hæc dicantur. Nos modum sacramentalem vulgatum esse dicimus, omnibus Sacramentis in veteri & nouo Testamento communem, quo videlicet corpus & sanguis Christi significatur & repræsentatur: quo præsentiæ modo menti adesse dicuntur, quæ in cœlum eleuata suis cogitationibus Christo perfruitur.

4. Significatio sacramentalis. Significationem autem hanc sacramentalem dicimus minimè nudam esse rerum significatarum externam repræsentationem, qua mens tantùm admoneatur ad id concipiendum, quod sensibus obijcitur: qualis est imaginum & picturarum vsus vulgaris: sed quod ad Deum attinet, semper cum ea coniunctam esse ipsarum rerum significatarum veram animis nostris oblatam præbitionem.

5. Modum verò perceptionis, Mysterium esse dicimus: credendum quod ratio non intelligit, sed sola fides capit: Quòd videlicet, sumus os ex ossibus, & caro ex carne eius: quòd Christo capiti tanquam membra coniungamur, & cum ipso vniamur.

6. Et sic Dominus Caluinus sentit, quando scribit: Mysterium esse, quod captum humani ingenij & intellectus excedat. Non enim loquitur de coniunctione signorum & rerum signatarũ: sed de perceptione, quæ fit per fidem in vsu Cœnæ Domini.
7. Et hoc ipsum mirabile est, corpus Christi absens & in cœlo permanens, præsens tamen per fidem in sacra Cœna creden-

credentibus præberi & exhiberi. Menti enim, non corpori aut pani præsens est corpus Christi per fidem.

Ideo de Abrahamo inquit Christus: Abraham desiderauit videre diem meum, & vidit & gauisus est. Sic omnes Patriarchæ per fidem Christum præsentem habuerunt, non minùs quàm nos. Illi enim in venturum crediderunt: nos venisse illum credimus. 8.

Quod ad dictum Augustini: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: Hoc bibite ex calice, quod effluxit ex Christi latere: ad perceptionem rerum oblatarum referendum est, non ad præsentiam corporis Christi, eo loco, vbi panis est. Et hoc videtur maius mysterium, cùm res abesse, & tamen dari dicitur. 9.

Sic visus est Spiritus sanctus in illa columba, quia Spiritum sanctum significabat: non autē visus est is, qui est inuisibilis. Sic panis Sacramentum corporis Christi est, quod corpus Christi absens, & non nisi in cœlo & non in terra existens, significat. 10.

Præterea, veritas corporis Christi non concedit, corpus Christi eo loco præsens esse, vbi panis Cœnæ distribuitur: quod tantùm in loco est, & non in terris, vsque ad diem extremi Iudicij. 11.

Neq; etiā negari potest, Synechdochen tropum esse: quem vestri in verbis Cœnæ Domini admittunt. 12.

De Baptismo quoque certum est, quòd sit sigillum Testamenti Christi: quo peccatorum remissio, non minùs quàm in Cœna DOMINI obsignatur. Non minùs ergo Testamentum Christi dici potest secundum vestrā sententiam: quamuis & in Cœna Domini Christus non dixerit, corpus suum esse nouum Testamentum. 13. 14.

D. IACOBVS.

Vt ad vltimum primò respondeam, quòd Cœna Domini à nobis Testamentum appellatur: ex qua causa id fiat, suprà satis dictum: & phrasis Hebrea in verbis Luce & Pauli explicata est, qui poculum Cœnæ Domini apertè Testamentum appellant, non autem simpliciter, sed in sanguine Christi. Neque enim vel poculum, vel panis, vel corpus, aut sanguis Christi, sed hoc totum Testamentum nouum est, quod verba institutionis Cœne Domini complectuntur: Idque verè & propriè est, & sine omni tropo, quod nulla ratione refutari potest. Cum igitur verba & phrasin Spiritus sancti sequamur: iniustè hoc in nobis reprehenditur.

Testamentum nouum.

Et non ignoramus Christum non dixisse: Corpus meum est nouum Testamentum. Sed cùm Lucas & Paulus, hoc de poculo apertè ponant: quis Spiritum sanctum in Apostolis tanquam falsarium accusabit? Qui authorem Christum secuti, sine dubio ad fœdus veteris Testamenti respexerunt (de quo Exod. 24. scriptum, & suprà satis dictum est) vt discrimen vtriusq; Testamenti, veteris & noui, in Sacramentis, omnibus fidelibus, vel his duobus vocabulis (*NOVVM TESTAMENTVM*) probè inculcaretur.

Cur Christus & Apostoli cœnam Domini Testamentum N. appellauerint.

Quòd autem D. Beza dicit: nullum de vera & reali præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna Dominica, sed solùm de modo presentiæ certamen esse: vtinam verum esset. Sic enim omnis controuersia sublata, & ab Ecclesia diu desiderata & expectata concordia in hoc articulo restituta esset.

I. Non de modo, sed de vera & reali præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna Domini, controuersia est.

Nam non semel, sed sæpe, & iam inde ab exordio huius controuersiæ, nostri semper & apertè testati sunt, se de modo presentie nolle cum quoquam contendere: qui nobis absconditus, rationi humane incognitus, & soli Deo notus sit. Modò aduersarij nostri, candidè & syncerè, veram præsentiam fateantur. Sed res ipsa loquitur, disputationem & controuersiam non de modo presentie, sed de ipsa presentia esse, an cor-

Verus controuersiæ status in controuersia de cœna Domini.

an corpus Christi in Cœna verè & realiter in terris adsit: *NON QVOMODO ADSIT.*

Ad quam quæstionem D. Beza iam pridem apertè respondit: corpus Christi nobis in Cœna Dominica non aliter adesse, quàm sicut Abrahæ affuerit. Hic ad iudicium omnium auditorum prouoco, an non hoc sit apertè præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna Domini negare, & asserere corpus Christi in Cœna Dominica prorsus non adesse? Nam tempore Abraham corpus Christi nondum conceptum aut natum fuit. Quòd autem non est, quomodo realiter cuiquam adesse potest? Denuò hic ad iudicium auditorum prouoco. Nihil enim dubito, omnes etiam mediocriter institutos hoc intelligere posse.

D. Beza veram præsentiam corporis & sanguinis Christi apertè negat.

Quapropter apertè & ingenuè fatemur, nos hanc sententiam seu opinionem minimè probare, neque aduersarijs nostris vnquam assentiri posse. Nam apertè contrarium docemus, videlicet: corpus Christi, quod tempore Abrahæ nondum natum erat, non modò natum, sed etiam ad dexteram virtutis Dei collocatum, & in Eucharistia verè & realiter respectu sui, adesse, secundum aperta verba Christi: Hoc est corpus meum: quæ vox, neque ad Abrahamum, neque ad vllum alium Patriarcharum aut Prophetarum facta est: quibus omnibus Christus secundum carnem absens, & non præsens fuit.

Veræ præsentiæ corporis & sanguinis Christi in Cœna Domini, assertio.

Qua ratione omnes vident, nos non de modo præsentiæ, sed an præsens sit, solùm disputare. Quod autem de veritate corporis Christi opponunt, quòd simul & eodem tempore in pluribus locis præsens esse non possit: Respondemus: ingens discrimen esse, inter corpus Filij Dei, & corpus Petri. Etsi enim substantia & essentia corporis Christi, corpori Petri, excepto peccato, similis est, & nostra quoque corpora, corpori Christi glorioso conformia erunt: hoc tamen nihil obstante, corpori Christi, respectu nostrorum corporum, eiusmodi propria & prærogatiuas tribuit Scriptura sacra, quibus omnes creaturas etiam Angelicas superat. Quę enim Analogia & proportio est corporis inanimati ad animatum: eadem

Discrimen inter corpus Christi, & corpus Petri aliorumq; sanctorum.

Philip. 3.
Hebr. 2.

Analogia corporis animati ad corpus Deificatum.

& longè maior est corporis animati, ad corpus Deificatum, sicut Patres locuti sunt. Verbigratia, mensa hæc, cui assidemus, corpus est, præditum sua longitudine, latitudine, & profunditate. Oculus meus etiam est corpus, habens suas dimensiones, longum, latum, & profundum. Oculus autem meus, quantumuis minutus, videt, & in momēto hæmisphærium cœli complectitur, non quia corpus est, sed quia animatus, hoc est, cum anima vnitus est. Mensa non videt, neque hoc præstare potest, quia caret anima. Nec propterea desinit oculus esse corpus, quod præstare potest aliquid supra omnia etiam maxima corpora inanimata. Si hoc potest præstare corpus animatum: quid non præstaret corpus Deificatum? hoc est, à Dei Filio, in vnitatem personæ assumptum? Ideo Christus non simpliciter dicit: Accipite, hoc est corpus: sed addit, MEVM, hoc est, Filij Dei corpus, quod viuificam vim omnem à Filio Dei hausit, vt viuificare possit, quod nullius sancti hominis corpori datum est.

Prærogatiua corporis Christi Deificati.

Hoc corpus in veteri Testamento nondum fuit: nedum, vt à Filio Dei in vnitatem personæ assumptum esset. Ideoq; tum sua essentia præsens non fuit. Nunc verò non solùm existit, sed etiam factum est Filij Dei corpus, & ad dexteram virtutis & omnipotentiæ Dei (quæ neque locus, neque in loco est) collocatum est: & inde habet diuinum, cœlestem, & supernaturalem modum, vt adesse possit, quod Petri, Pauli, & omnium Sanctorum corporibus negatum est.

Quod autem ex Christi dicto, de Abrahamo affertur: Abraham vidit diem meum, & gauisus est: nihil ad rem præsentem facit. Non enim præsentem vel vidit vel habuit Abraham Christum: neque Christus hoc dicit: sed vidit DIEM EIVS FVTVRVM, & Christum VENTVRVM: Qua ratione eum vidisse dicitur.

Abraham quomodo viderit diem Christi.

Luc. 10.
Alia visio Christi in Apostolis, quàm in Abrahamo.

Ideò Christus inquit discipulis suis: Beati oculi qui vident, quæ vos videtis: quia multi reges voluerunt videre, quod vos videtis, ET NON VIDERVNT. Et de Simeone scriptum legimus, ei responsum datum, non visurum mortem

tem, priusquam Christum Domini VIDERET: quem in vlnis gestans, clamauit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, Quia OCVLI MEI VIDERVNT salutare tuum. Alia ergo est præsentia Christi in nouo Testamento, quàm in veteri, tempore Patriarcharum & Abrahę. Nunc enim hic homo pręsentiam suam promisit: Vbicunque sunt duo aut tres congregati in meo nomine, sum in medio ipsorum: quem Patres venturum, non autem præsentem crediderunt.

Matth. 18.

Fallitur autem Beza, vt pace eius dixerim, quòd præsentiam Christi secundum carnem, sola fide, hoc est, duntaxat respectu nostri definit: qua fides ipsum præsentem faciat, quæ omnibus temporibus vna sit. Idque similitudine castri explicat, quod eminus positum visio præsens faciat, si quis oculos aperiat: sin verò claudat, absens sit. Sic fidem præsens efficere corpus Christi in Cœna Domini: qua si quis careat, Christi corpus ei quoque non adesse, sed abesse. Quod nos apertè negamus. Præsentia enim corporis Christi in Cœna Dominica, non à fide aut cogitatione nostra de Christo pendet, quam neque fides efficit, neque incredulitatis impedit: sed definitur personà Christi, & verbis institutionis eius. Quia enim Filij Dei omnipotentis corpus est, ideo adesse potest, & reuera adest, siue quis credat, siue non credat. Et quia dixit, hoc est corpus meum: ideo certò adesse minimè dubitandum est.

Fides non facit Christum præsentem.
Simile de castro.
Beza in præfatione libri, de verbis Cyrilli.

Præsentia corporis Christi non pendet à fide nostra, sed ipsius Christi communicata omnipotentia.

Requiritur quidem fides ad Christi salutarem pręsentiam, ne ad iudicium corpus eius accipiatur: sed ipsam præsentiam minimè efficit. Nam Christus non modò pijs præsens est: sed etiam in medio inimicorum suorum dominatur, non absens, sicut castrum absens perpetuò manet, siue quis oculos aperiat, siue claudat, nisi corpore suo accedat: sed pręsens inimicis suis, omnibus locis & temporibus dominatur: adeoque longè præsentior, quàm hostes sibi ipsi præsentes sunt.

Fides reddit præsentiam corporis Christi salutarem.

Non localis autem est hæc præsentia, sed diuina, cœlestis & supernaturalis: quam caro Christi à Filio Dei habet, cum quo

Carnis Christi præsentia non localis, sed cœlestis & supernaturalis.

quo vna persona est. Quia non nos ad illum, sed ille ad nos accedit, vel ad vitam, vel ad iudicium.

Simile de Magistratu.

Quemadmodum enim Magistratus respectu sui ex æquo adest bonis & malis: his ad pœnam, illis ad gratiam: & vnus idemq; Magistratus est, qui contraria operatur: Idem ipsum Paulus de Christi præsentia in Cœna Dominica concionatur. Christus enim non solùm saluator, sed etiam iudex est, secundum illud Ioan. 5. Pater neminem iudicat, sed omne iudicium dedit filio, quia filius hominis est.

Præsentia Sacramẽtalis corporis Christi in Cœna Domini à qua virtute dependeat.

Præsentiam ergo sacramentalem corporis Christi, nequaquam fide definimus, sed communicatione virtutis diuinæ, ad quam caro Christi ad dexteram Dei collocata, euecta est: & verbo institutionis, cuius veritatem incredulitas hominum irritam facere non potest.

Quomodo præsentiam corporis Christi in Cœna Domini, Beza definiat.

Id cùm aduersarius neget: manifestum est, nullam eum prorsus præsentiam veram & realem corporis Christi in terris credere, vbi Cœna Domini celebratur. Non enim ratione personæ secundum verbum, sed ratione fidei duntaxat præsentiam hanc definit. Quod nõ modò cum expresso verbo Dei, sed etiam cum totius antiquitatis pio consensu pugnat: sicut aliàs demonstratum est.

Consensus de participatione beneficiorum Christi.

Quod ad beneficia Christi attinet, eiusq́ue meritum: nulla vnquam lis aut contentio inter nos fuit, eorum Patriarchas & omnes fideles in V. Testamento non minùs in suis Sacramentis, (quæ vmbra futurorum erant) quàm nos per veram fidem in vsu nostrorum Sacramentorum, participes factos esse. Qua ratione Christus est hodie, heri, & in seculum: & iam inde ab origine mundi agnus occisus: manente interim præsentiæ ratione lõgè diuersissima, quod nunc propior nobis sit salus, quàm cum illi crediderunt, Apostolo teste.

Hebr. 13.
Apoc. 13.
Rom. 11.

Sed dabit mihi Reuerentia tua veniam, quòd ad primum caput tuæ orationis fuerim prolixior. Volui enim paulò copiosius ea exponere, vt quæ nostra sit sententia, & quis status nostræ disputationis verus & proprius sit, intelligeretur. Nunc ad reliqua capita breuiter respondebo.

Nam

Nam quòd dicitis, vos non negare, panem esse corpus Christi: cùm Metonymiam statuatis, vos contrarium sentire, suo loco docebimus. 2. Metonymia cum vera præsentia pugnat.

Modus autem sacramentalis presentię, quòd non sit idem in veteri & nouo Testamento, nunc copiosè explicatum & probatum est. 3. Præsentia Relatiua & significatiua, non est rei præsentia.

Etsi enim dicitis, non esse nudam significationem, aut reprȩsentationem, qualis est imaginum aut picturarum vsus vulgaris: nihil tamen hoc ad prȩsentiam veram asserendam facit. Talis enim prȩbitio corporis & sanguinis Christi, etiam in Sacramentis veteris Testamenti fuit, qua illis beneficia Christi applicata, ideoque ipse Christus donatus fuit. Non autem propterea illis substantia carnis affuisse dicitur, sicut nunc nobis adest. 4.

Et manet quoque perceptionis Mysterium, quę fit per fidem, qua Christo coniungimur, & caro de carne, & os de ossibus eius efficimur. Non autem per hanc prȩsentiam corporis Christi, tollitur Mysterium, quo Christus cum pane corpus suum realiter prȩsens, ad confirmationem manducationis per fidem factę, verè & realiter exhibet. 5. Mysterium perceptionis, non tollit Mysterium præsentiæ.

Caluinum quoque de hoc posteriore Mysterio, sua verba intellexisse, ex commentario eius in Ioannem liquet: Vbi monet, eos toto cœlo errare, qui opinantur, vnam & eandem manducationem corporis Christi Ioannis sexto, & in Cœna Domini, esse: Item, qui opinentur, MANDVCARE corpus Christi in Cœna Domini idem esse, quod credere, Ioan. 6. Ideo nihil certius est, eum locutum de coniunctione signorum cum rebus signatis. Quapropter falsum est, quod vos in Thesibus vestris dicitis: perceptionem Christi, siue in simplici verbo, vt Ioan. 6. siue in Sacramentis, vt in institutione Cœnę Domini, EANDEM ESSE. 6. Manducatio Sacramentalis corporis Christi, mysterium. MANDVCARE corpus Christi & credere in Christũ, forma differunt & re ipsa. In Respons. ad Thes. 1.

Quòd autem non sit mirabile, corpus in cœlo existens & permanens, in terris per res terrenas Relatiuè significari & repræsentari, & eorum vsum communicari: omnibus notum est. Nihil mirum in relatione, sed vsitatum.

8\. Abraham venturum non præsentem Christum vidit.

Sic Christus non dicit: Ego pręsens fui Abrahę. Sed dicit: Abraham desiderauit videre diem meum, videlicet, venturum, non ipsi pręsentem: & vidit ipsum Christum venturum, non pręsentem: de quo paulò antè satis est dictum.

9\. Sanguinem ex calice bibere, quid significet.

Quod ad Augustini locum attinet: qnoniam ex calice iubet bibere, quod fluxit ex Christi latere: non de spirituali perceptione eum loqui, verba apertè docent. Nam ex calice bibere iubet, non ex calice credere, quod fluxit ex Christi latere. Ore fit illa perceptio, de qua sola sermo est, non fide tantùm.

10\. Spiritus S. corporalibus oculis verè & realiter visus est.

Spiritum sanctum verè & non tropicè aut significatiuè visum, paulò antè explicatum, & demonstratum est: quamuis non in propria, sed in assumpta forma, seu specie columbę visus est.

11\. Veritas corporis non tollit eius præsentiã in cœna Domini.

De veritate autem corporis Christi, quod dicitur: quomodo pręsentiam eius veram & realem, illam supernaturalem & cœlestem, non tollat: analogia corporis animati & Deificati, demonstraui.

12\. Quomodo Lutherus & Brentius Synecdochen cõcesserint.

Quod ad Synecdochen attinet: verum quidem est, cùm aduersarij Lutheri, vsque adeo figuris delectarentur, Lutherum quemadmodum & Brentium respondisse, cur loco Metonymię non potius Synecdochen arripuerint, quę & ipsa inter figuras numeraretur, & pręsentiam corporis & sanguinis Christi è Cœna non tolleret. Quamuis enim figura sit: immeritò tamen inter tropos refertur. Neque enim hic Nomen pro nomine ponitur: neque Christus dicit: Panis est corpus meum, sed inquit: hoc est corpus meum. Vbi Pronomine (HOC) duo demonstrat: quorum alterum ad sensum, alterum ad intellectum refertur. QVID enim discipulis suis dare voluerit, verbis expresit, cùm inquit: *EST CORPVS MEVM.* Quo autem organo & instrumento det aut dederit: vocabulo (HOC) simul demonstrauit: sed non nominauit, ne discipuli panem duntaxat manducare iussi videantur.

Synecdoche proprie non tropus.

Nullus tropus in verbis cœnæ Domini.

13\. Cur Baptismus Testamentum non nominetur, suprà satis
14\. dictum est. Et nos quoque fatemur, quòd Christus in Cœna

non

non dixerit: Corpus meum est Testamentum. Sed hoc nihil prohibet, quò minùs descriptio integra verborum institutionis Cœnę Domini, sit verum, perfectum & integrum Testamentum, cuius partes quoque sunt, corpus & sanguis Domini, sicut suprà explicatum & probatum est. Et hęc hactenus. Posthac breuior ero.

Descriptio cœnæ Domini, est integra & perfectum Testamentum.

D. BEZA.

Reuerende D. Doctor, Non agitur de præsentia, sed de tropo: An in verbis Cœnæ Dominicæ tropus admittendus sit. 1.

Nam de præsentia dicimus, quòd corpus & sanguis Christi verè in Cœna adsint. Non autem corpori, sed MENTI. Quam præsentiam non ipsa fides, sed virtus & verbum Dei faciat. 2.

Qualem præsentiam corporis Christi D. Beza in Cœna Domini statuat.

Ideo longè certiorem hanc præsentiam, quæ fit per fidem, quàm illam esse dicimus, qua vos illum corpori adesse dicitis. Siquidem res longè certiùs mente, quàm oculis percipiamus. Et interdum videmus hominem alicui præsentem, absentem esse. 3.

Nam quòd fides videt, verè videt virtute Spiritus sancti. Quòd autem oculis videre se putat, sæpe fallitur. Quapropter non omnem tollimus præsentiam corporis Christi in sacra Cœna: sed illam duntaxat, qua corpus Christi, nostris corporibus adesse dicitur: contrà autem præsentiam statuimus, qua menti præsens esse dicitur, per fidem. Fides autem in verba Dei respicit. Quapropter non est imaginaria præsentia, qua mens & fides corpus Christi absens & in cœlo permanens complectitur. 4. 5.

Præterea, corporalis hæc præsentia, de qua vos loquimini, cum analogia et articulis fidei de Christo pugnat. Docent .n. articuli symboli, quòd Filius Dei, ex Maria virgine, verũ & 6.

naturale corpus assumpserit circumscriptum, in quo passus, crucifixus, mortuus, sepultus, resurrexit, ascēdit in cœlos, vnde iterum hoc corpore ad iudicandum venturus est.

7. Et Christum primam Cœnam celebrasse, priusquam ad dexteram Dei collocatus est. Nam post mortem, resurrectionem, et ascensionem in cœlum, demum ad dexteram Dei collocatus est in cœlestibus. Quomodo ergo ex sessione ad dexteteram Dei, præsentia hæc corporis Christi probari potest? Cessante enim causa cessat etiam effectus.

8. Peruersa explicatio Deificationis corporis Christi. Quod ex Damasceno de Deificatione corporis Christi allatum est: non de tali Deificatione intelligendum est, quemadmodū vos dicitis, qua corpus Christi suas proprietates amiserit, & Deitas factum sit: neque Damascenus de tali Deificatione loquitur. Propriū enim corporis Christi est, QVANTVM ESSE, finitum & circumscriptum esse. Si igitur corpus Christi simul & semel in pluribus locis præsens esse statueretur, non ampliùs verum corpus esset, sed amisisset suam quantitatem, & circumscriptionem, quæ corporis propria est. Quod semel Christus assumpsit, inquit Damascenus, nunquam ampliùs deponit.

9. Peruersa explicatio donorum in humanitatem Christi collatorum. Et quando Patres de diuinis donis loquuntur in carnem Christi collatis, de vnione loquuntur personali, qua Filius Dei assumptum corpus sibi vniuit, non autem in Deitatem conuertit, aut in illud diuinas suas proprietates contulit. Habitualia enim sunt dona glorificationis, quibus Christus non modò super omnes beatos Angelos ornatus est, sed etiam omnes angelos potentia, gloria, & maiestate superat. Non autem ipsa Deitas facta est eius humanitas.

10. Fateor etiam, corpus Christi Abrahamo ACTV non fuisse præsens, neq; tempore Abrahæ ACTV extitisse. Inde autem consequi nego, quòd simpliciter illi præsens non fuerit.

Nam

Nam fides est ὑπόστασις τῶν μὴ ὄντων, hoc est, substantia rerum, QVAE NON SVNT: sicut Epistola ad Hebræos testatur. Quoniam fides intuetur in verbum Domini, in quo res promissa præsens est suo modo. Hebr. 11.

Ita credimus multa, quæ scimus facta esse: credimus secula condita. Quamuis enim creatio præteriјt, tamen eam fuisse credimus: atq; hoc modo fidei est præsens: sic credimus etiam multa futura, quæ hoc tempore actu non sunt. 11.

Et nolim sanè ego dicere: Corpus Christi tempore Abrahæ non extitisse. Fuit enim, sed non actu. 12.

Ex quo sequitur, quòd ad veram præsentiam, non semper illa realis existentia requiratur. Fides enim etiam extra mundum emigrat. 13.

Dixisti quoq;: Beneficia Christi Patribus etiam in veteri Testamento collata esse: videlicet, remissionem peccatorum, imputationem iustitiæ, & vitæ æternæ. Num ergo vis, & credis, quod EX NON ENTE illa beneficia profecta sint? Nam illa beneficia pro suo ENTE habuerunt Christum non minùs Patribus, quàm nobis præsentem: qui etiam corporis & sanguinis Christi, non minùs participes fuerunt, quàm nos sumus in Cœna Dominica, & omnibus Sacramentis noui Testamenti. 14.

Neq; tibi concedere possum comparationem sanguinis in veteri & nouo Testamento ex Mose allatam: quòd sanguinem Mosaicum, dicis tantùm fuisse figuram & vmbram sanguinis Christi absentis, cùm Mose dicit: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit DOMINVS super cunctis sermonibus istis. In Cœna Domini aũt esse ipsum verũ sanguinem Christi: non figuram aut signum tantùm, cùm Christus dicat: Hoc est sanguis meus N. Testamenti. Vnus .n. & idem sanguis est in vtroque Testamento, & in vtriusque Testa- 15.

menti Sacramentis, videlicet, verus sanguis Domini nostri Iesu Christi, fidei & menti præsens: quamuis illi crediderunt in Venturum, sicut nos credimus eum venisse, & sanguinem hunc pro peccatis nostris effudisse.

Sicut enim verus & naturalis sanguis vitulorum verum sanguinem Christi Israelitis repræsentauit & significauit, & illorum fidei atque menti præbuit, quem effusurus erat: Sic vinum benedictum in Cœna Domini repræsentat, significat fidei & menti nostræ, eiq; præbet verum sanguinem Christi, qui iam pro peccatis nostris effusus est.

16. *Ex quibus omnibus constat, nos minimè negare veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna Domini: sed eam tantùm præsentiam oppugnare, qua corporibus nostris, & non mentibus præbeatur.*

D. IACOBVS.

1. Reuerende D. Beza, scio equidem de tropo controuersiam esse, an in verbis Christi admittendus sit: sed disputationem hanc de tropo, à vobis hanc potissimùm ob causam introductam negare non potes, quia apertè negatis corpus Christi pani adesse. Ideo per tropum verba Christi necessariò intelligenda esse, hactenus contendistis: quod nos apertè negamus, & contradicimus: de quo paulò pòst plura.

Cur in verbis Cœnæ Domini tropus introductus sit.

2. Quòd autem nobis persuadere conamini, vos quoq; veram & realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna Domini credere & docere, vt controuersia magis de modo præsentiæ, quàm de ipsa præsentia esse videatur: ad illud quoque breuiter respondebimus.

3. Dicitis vos: corpus Christi per panem Cœnæ DOMINI MENTI repræsentari, significari, & exhiberi. Dicitis quoque quòd fides hanc præsentiam non efficiat, sed virtus Spiritus sancti, & verbum. Fateor, verba splendida esse, quæ non statim ab omnibus, secundum vestram opinionem, percipiuntur & intelliguntur, Quisquis enim simplex Christia-

Quomodo Beza verbis ludat de præsentia corporis Christi in Cœna Domini.

nus

mus hæc audiens, arbitratur, nullũ inter nos de præſentia ipſa certamen eſſe, ſed duntaxat de modo præſentiæ.

D. Beza nobiſcum loquitur: ſed non nobiſcum ſentit. Quomodo hæc fallacia deprehendatur.

Verùm ſi explicationem expendamus, & negatiuam ſtatim ſubiunctam examinemus, videlicet, NON CORPORI AVT ORI præſens eſſe: mediocriter inſtituti ſtatim animaduertere poſſunt, nullam veram & realem præſentiam à vobis doceri, ſtatui, aut credi, & vos vobis ipſis apertè contradicere.

Corpus Chriſti non ſolùm menti: ſed etiam ori corporis præſens eſſe, & præberi.

Etſi enim verum eſt, quòd corpus Chriſti per panem cœnæ menti & fidei noſtræ exhibeatur: inde tamen non ſequitur, quòd pani non præſens ſit, & ori noſtro non præbeatur: ſed contrarium verum eſſe, verba Chriſti apertè teſtantur. Quando enim Chriſtus panem HVNC manducare iubet ore, cùm inquit: Accipite, manducate, hoc eſt corpus meum: manifeſtum eſt, quòd corpus Chriſti non modò repræſentetur, & ſignificetur: ſed, ſicut dicis, virtute Spiritus ſancti ſecundum verbum Chriſti, prębeatur quoque & exhibeatur. Quomodo ergo cum pane non adeſt, & ori non prębetur & exhibetur corpus Chriſti, cùm panem non niſi ore accipiamus?

Corpus Chriſti etiam menti non præbetur præſens, ex ſententia Bezæ.

Quando igitur dicis, pani & ori noſtro corpus Chriſti in Cœna Dominica non adeſſe, quod per hunc cibum ad immortalitatem paſcitur: ne quidem menti adeſſe aut præberi, neceſſariò ſequitur. Mens enim in corpore eſt, neque ipſa ſola in cœna paſcitur: ſed totus homo, anima & corpore conſtans, ſpiritualiter hoc cibo & potu reficitur.

Bene si spiritualiter tum non corporaliter hæc enim sunt opposita spiritualiter et corporaliter

Et quemadmodum mens verba Chriſti intuetur, quibus ſimpliciter fidem habens falli non poteſt: ſic oculi panem propoſitum intuentur, quem autem Chriſtus nõ ſolùm ore percipere iubet, ſed addit: Hoc eſt corpus meum: neque fidei, neque mentis vllam mentionem facit, ſed de manducatione loquitur, quę externo corporis ore fit.

Si igitur corpus cum pane verè prębetur per verbum Chriſti: Accipite, manducate, Hoc eſt corpus meum: quis quęſo negare poteſt, ori corporis pręberi, & verè exhiberi: in myſterio tamen, non Capernaiticè, aut carnaliter, quemadmodum Chryſoſtomus ſpiritualia per corporalia in Sacramentis diſpenſari dicit.

Si ve-

Fidei maior vis & virtus, quàm potentiæ Christi tribuitur.

Si verò ori corporis non præbetur, neque ei præsens est, sed fidei duntaxat, & per fidem menti: absens ergo corpus Christi, quoad se, statuitur, quod non virtus Dei, sed cogitatio fidei præsens faciat: cùm corpus Christi, non per virtutem Spiritus sancti præsens sit, sed necesse sit, vt fides sese in locum cœli euehat, vbi corpus Christi solùm præsens est, & non in terris. Hæc vestra sententia est, in qua recitanda nihil cauillamur, aut sophisticamur. Cupimus enim vtriusque partis sententiam ab omnibus rectè intelligi: cuius rei causa potissimùm hæc placida collatio, sine omni animorum acerbitate, instituta est.

4\.
Beza omnem præsentiam corporis Christi cum suis negat in Cœna Domini.

Ex quo manifestum est, etiamsi nequaquam videri velitis, quòd omnem præsentiam corporis Christi in Cœna Domini negetis: id tamen vos re ipsa facere, cùm apertè dicatis: Corpus Christi, pani & ori nostro in terris in vsu Cœnæ NVLLO MODO adesse: idq; duntaxat, in cœlo collocatis vsque ad extremum iudicij diem, vt vobis in terris nequaquam adsit.

5\.
Imaginaria præsentia corporis Christi in Cœna, secundum D. Bezæ doctrinam.

Esse autem imaginariam præsentiam, quam vos fingitis, ex eo manifestum est, quòd quando de rebus absentibus cogitamus mente nostra, eas actu nobis non præsentes sistimus: sed cogitatio duntaxat est in nobis, res ipsa autem absens manet: sicut paulò pòst, ijsdem exemplis demonstrabo, quæ abs te allata sunt.

6\.
Præsentia realis corporis & sanguinis Christi in Cœna Domini, cum analogia fidei non pugnat.

Quòd autem præsentiam corporis Christi, quam nos in Cœna Domini statuimus, veram & realem, cum analogia fidei & articulis symboli Apostolici de Christo, pugnare dicitis, quibus doceatur corpus Christi circumscriptum ex Maria virgine natum, passum, crucifixum, mortuum, sepultum, resurrexisse, in cœlum ascendisse, &c. non autem posse circumscriptionem suam retinere, si simul & semel in pluribus locis præsens statuatur: Respondemus, si physica, naturalis, aut localis præsentia corporis Christi à nobis in Cœna Domini statueretur: fateor sequi, quod hoc loco abs te colligitur.

Notum

Notum autem est ex thesibus nostris, quòd illam Physicam, naturalem & localem præsentiam non statuamus, neque vnquam docuerimus: quod nostra scripta apertè docent.

Cùm autem in responsione vestra ad Thesin nostram quartam apertè dicatis: vos ipsius corporis Christi quantumuis glorificati substantiam, non videre, posse re ipsa cum pane & vino præsentem statui *ALITER, QVAM PHYSICA ET LOCALI CIRCVMSCRIPTIONE*: omnibus auditoribus manifestum est, vos in tota hac disputatione, & omnibus libellis vestris non doctrinam Ecclesiarum nostrarum, sed vestrum figmentum oppugnare, & nobis opinionem falsò tribuere, quam nunquam asseruimus, sed apertè semper damnauimus. Quod fundamentum & vnica causa est vestri erroris de Cœna Domini.

Crassa opinio Bezæ & sociorum eius, de præsentia corporis & sanguinis Christi.

Beza suum figmentũ oppugnat.

Fundamentum & causa erroris Bezæ de cœna Domini.

Neque enim inter nos controuersum fuit vnquam, an corporis & sanguinis Christi substantia, physica & locali circumscriptione pani & vino Cœnæ pręsens sit: sed apertè semper hanc pręsentiam negauimus, sicut paulò pòst, ampliùs docebitur.

In cœna Domini non est Physica & localis præsentia corporis Christi.

Quęstio autem est & fuit semper à nostris proposita: An nulla alia præsentia corporis Christi in Cœna esse posśit, quàm visibilis illa, localis, physica & circumscripta? Quod nos semper negauimus, & adhuc constanter negamus. Habet enim Deus infinitos modos, quibus res præsentes sistere potest: & non solùm localem illum, physicum, visibilem, & circumscriptum crassum modum, quem sensus percipit.

Verus status controuersiæ de præsentia corporis Christi in cœna Domini.

Dicimus ergo præsentiam Sacramentalem corporis Christi in Cœna Domini, veritatem, localitatem & circumscriptionem corporis Christi non tollere. Quemadmodum enim in prima Cœna, locale, finitum & circumscriptum corpus Christi permansit, cùm corpus suum cœlesti modo discipulis suis distribueret: sic nunc quoque in gloria finitum & circumscriptum proprietate suæ substantiæ manet, & nihilominus secundum verba Testamenti Christi in Cœna

Præsentia corporis Christi sacramentalis, localitatem & circumscriptionem corpori Christi non adimit.

prǫsens est, & cum pane non solùm menti, sed etiam ori corporis prǫsens est, dispensatur & ore percipitur, modo cœlesti, quem solus Deus nouit: cuius potentiæ, & veritati nos id tribuimus, & Mysterium hoc adoramus.

7. De Dextera Dei.

Quòd verò ex Analogia fidei & articulis symboli opponis, Christum Cœnam suam Dominicam cum discipulis celebrasse, priusquam ad dexteram Dei collocatus esset, adeóque ex hac sessione præsentiam non posse confirmari: Respondeo, Articulum de sessione ad dexteram Dei, rectè & Scripturæ sacræ consentaneè intelligendum & explicandum esse.

Dextera Dei quid sit.

Docet enim Scriptura sacra, Dexteram Dei nihil aliud esse quàm omnipotentiam Dei, adeóque ipsum Deum esse. Et quamuis prolixior eius explicatio ad locum de persona Christi pertinet: paucis tamen respondebo ad Argumentum, quod ex hoc Articulo ab aduersarijs iam inde ab initio huius controuersiæ extructum & nostris obiectum est: (Christus in cœlo ad dexteram Dei collocatus est: Ergo suo corpore in Cœna præsens esse non potest.) Cùm enim Dextera Dei sit ipse Deus: Corpus autem Christi, cum Deo in vtero matris personaliter sit vnitum: manifestum est, quòd corpus Christi post ascensionem in cœlum altiùs non potuerit exaltari, quàm in vtero matris exaltatum, hoc est, vnum personale cum Deo factum est. Hoc nemo sanus negare potest: nisi fortè quis asserere velit, aliquid ipso Deo magis altum existere posse.

Homo Christus in vtero matris summè exaltatus.

Cùm igitur Deus sit Altissimus, non loco (siquidem neque locus, neque in loco est Deus) sed Maiestate: sequitur inde, eum qui Deo proximus est, post Deum, omnium creaturarum respectu altissimum esse, neque altiorem fieri posse, nisi in Deitatem mutaretur, quod fieri non potest.

Deus quomodo sit altissimus.

Quis sit altissimus post Deum.

Docet autem fides & religio Christiana, quòd *HOMO ASSVMPTVS* (sic enim vniuersa orthodoxa vetustas loquitur, ne quis nobis ignorantiam concreti & abstracti obijciat) vna persona cum Filio Dei factus sit. Ideóque etiam altissimus,

Homo pro humanitate assumpta, phrasis Orthodoxorum Patrum.

ſimus, & ſicut Epiſtola ad Hebręos loquitur, ipſis cœlis ſublimior factus eſt, idque in vtero matris, in ipſa conceptione, priuſquam naſceretur. Heb. 7.

Quòd autem in Symbolo Apoſtolorum, ſeſsio ad dexteram Dei non modò poſt conceptionem & natiuitatem, ſed paſsionem quoque, mortem, reſurrectionem, & aſcenſum eius in cœlum, Chriſto tribuitur, qua ſuper omnem principatum, poteſtatem & dominium exaltatus eſt: id reſpectu formę ſerui, Chriſto tribuitur, quam poſt mortem demum depoſuit. Cur Chriſtus homo poſt mortem demũ dicatur ſedere ad Dexteram Dei.

Quod D. Paulus ad Philip. 2. cap. perſpicuè explicat, vbi dicit: Chriſtum, cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratum, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuiſſe, formam ſerui accipiendo. Vbi Apoſtolus non dicit, quòd Chriſtus in forma ſerui formam Dei depoſuerit: ſed in forma Dei permanſerit, & formam ſerui aſſumpſerit, qua formam Dei operuit, quę à puncto conceptionis perpetuò in ipſo permanſit. In ipſo enim omnis plenitudo Deitatis habitauit corporaliter: quam tamen non oſtentauit: interdum autem miracula editurus, declarauit, & eius quaſi guſtum quendam hominibus amicis & inimicis prębuit. Philip. 2. Explicatio loci ad Phil. 2. de forma Dei, & forma ſerui. Col. 2.

Formam igitur ſerui ita geſtauit Chriſtus, donec opus Redemptionis generis humani perficeret: vt interim ſemper Dominus permanſerit, ſicut diſcipulis ſuis ait: Vos appellatis me Magiſtrum, & Dominum: & rectè facitis, quia ſum. Fuit verus Dominus non modò vt Deus, ſed etiam vt Homo: quoniam vna perſona Deus & Homo, vnus eſt Chriſtus, non duo. Chriſtus etiam formam ſerui geſtans Dominus permanſit. Ioan. 13.

Cùm ergo etiam in ſtatu humiliationis & exinanitionis, & forma Serui, formam Dei (quæ Dei ipſa dextera, & eius omnipotentia, adeoque Deus ipſe eſt) ſemper tectam retinuerit, & ſecundum Humanitatem IN EA FVERIT, neque vnquam depoſuerit, ſed quo ad humanitatem pleno eius vſu ſe ad tempus abdicauerit: eam Maieſtatem partiDiſtributio corporis & ſanguinis Chriſti in prima Cœna, opus eſt infinitæ virtutis communicatæ.

culariter in prima Cœna vſurpauit, cùm corpus ſuum diſcipulis ſuis diſtribueret. Quæ diſtributio corporis & ſanguinis Chriſti, non formę ſerui, ſed formæ Domini, & Maieſtatis proprium opus fuit, homini Chriſto communicatæ.

Quemadmodum etiam paulò poſt in horto eandem hoſtibus ſuis, priuſquam caperetur, declarauit. Quæ, & cùm duodecim annorum eſſet, inter eruditos Hieroſolymis in ipſo eluxit, & per miracula poſtea innotuit. Quamuis nihilominus ſapientia creuiſſe, & parentibus obedijſſe ſcribitur.

Luc. 2.

Simplex vera & germana ſententia ſeſſionis ad dexteram Dei.

Poſteaquam autem opus redemptionis generis humani perfecit, & formam ſerui prorſus depoſuit, articulus ſymboli Apoſtolici dicit: SEDET ad dexteram Dei Patris Omnipotentis: hoc eſt, non ſolùm vt Deus, verùm etiam vt homo, æquali potentia cum patre omnia gubernat, ſicut ſcriptum eſt: Certiſsimè ergo ſciat omnis domus Iſrael, quia & Dominum & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis. Sedere enim phraſi Scripturę, nequaquam phyſicam locationem in articulo ſymboli, ſed cum Deo æquali potentia regnare ſignificat, quod D. Beza negare non poteſt.

Act. 2.

Sedere ad dexteram Dei non ſignificat phyſicam locationem.

Simile de Principe peregrinante.

Id verò vt auditores meliùs intelligant, ſimilitudine explicabimus. Princeps aliquis (quod non inuſitatum eſt) ad terram ſanctam profectionem adornans, ſerui habitum induit, ſecuritatis gratia, ad cauenda pericula, ne in itinere ab omnibus agnoſcatur: & in itinere pręſtat etiam ſeruilia obſequia, ſtabulum & equos curat, ocreas purgat illis, qui eo longè inferiores adeoq́ue ſerui ipſius ſunt, ipſe verò eorum Dominus eſt, & permanet. Idq́ue facit, donec peregrinationem abſoluat. Domum reuerſus, eum habitum Serui deponit, & non tum demum fit Princeps, quia Princeps natus eſt: ſed duntaxat adminiſtrationem ſuſcipit regni, quam aliquandiu abdicauit.

Sic Chri-

Sic Christus secundum carnem è Spiritu sancto conceptus, & ex Maria virgine natus fuit verus Dominus, non modò secundum Deum, sed etiam secundum hominem, qui Maiestatem suam diuinam, in ipsa natiuitate ita declarare potuisset, vt in totius mundi oculos summo cum stupore incurrisset: verùm noluit, sed salutis nostræ causa, secundum hominem eius vsum abdicauit, quam secundum Deum immutabilis permanens, nunquam deposuit, aut deponere potuit. Post mortem autem, serui deposita forma, administrationem omnium creaturarum secundum hominem suscepit, & nunc sedere, hoc est, regnare dicitur: quod iam inde à tempore cõceptionis & natiuitatis eius, vsque ad resurrectionem ex mortuis, & ascensum eius in cœlos, secundum humanitatem non fecit.

Quomodo Christus post mortem & resurrectionem ad dexteram Dei collocatus dicatur.

Est ergo æquiuocatio in verbis, [Sedere ad dexteram Dei] Nam aliàs significant habere hanc diuinam Maiestatem, & non exerere: aliàs verò non solum habere, sed etiam exerere & exercere. Illud tribuitur Christo etiam in statu humilitatis: hoc verò duntaxat post resurrectionem, & ascensionem in cœlos, vbi ad dexteram Dei demum collocatus sedere, id est, vbique regnare dicitur: nec amplius seruus est, aut in seruili forma, sed in Maiestate diuina se toti orbi reuelabit.

Duplex intellectus in verbis, sedere ad dexteram Dei.

Hæc igitur subsequens Maiestas, quæ in pleno vsu consistit, nihil detrahit communicationi maiestatis, quam Christus habuit in prima Cœna, forma serui tectam.

Vna Christi diuina Maiestas in statu humiliationis & exaltationis.

Neque igitur plus aut minus habemus nos in celebratione Cœnæ Domini, quam discipuli in prima Cœna Dominica habuerunt. Sed copiosior explicatio ad locum de persona Christi reijciatur, vbi omnia pleniùs tractabuntur.

Ad locum ex Damasceno allatum de Deificatione hominis Christi, respondemus: non modò Damascenum, sed etiam Nazianzenum, & alios Scriptores Ecclesiasticos, corpus Christi Deificatum asserere. Εθεόθȣ, inquit, Deificatum est: Neque Damascenus, neque nos corpus Christi Deificatum 8.

8. Corpus Christi quomodo Deificatum esse dicatur.

eo ſenſu ſcripſimus, aut diximus vnquam, quòd in Deitatem conuerſum ſeu Deitas effectum ſit. Qua ratione etiam ſuum QVANTVM, ſuamque circumſcriptionem non amiſit: ſed quemadmodum corpus animatũ propter vnionem cum anima, alia propria quàm corpus inanimatum habet: ſic Damaſcenus quoque corpori Chriſti propter perſonalem vnionem cum Dei Filio, propria tribuit, quæ nullius ſancti hominis corpori, imò ne Angelis quidem tribui poſſunt. Ex quorum numero viuificatio eſt: quæ ita Deo propria eſt, vt nihil magis ei proprium eſſe poſsit: cuius vim TOTAM caro Chriſti hauſit, & in eius dignitatem & operationem conſcendit, vt ipſa quoque viuificare poſsit, & verè viuificet. Sicut Orthodoxi Patres vno ore, & vnanimi conſenſu, Cyrillus inprimis, docent & teſtantur.

Viuificatio Deitatis propria, carni Chriſti communicata.

Cyrillus.

9.

In Humanitatem Chriſti non tantùm habitualia dona collata eſſe.

Quòd Patres non ſolùm habitualia dona in humanitatem Chriſti per vnionem perſonalem collata, ſed ipſius Diuinitatis propria ei verè & realiter communicata eſſe, apertè teſtentur: in loco altero de perſona Chriſti, ad oculũ demonſtrabimus, quò etiam vberiorem tractatum de perſona Chriſti reijcimus, ne articulos confundamus, ſed ſingulos ſuo loco tractemus. Ex quo tamen nullo modo ſequitur, quòd corpus Chriſti in Deitatem conuerſum, aut Deitas factum ſit, ſicut apertè oſtendetur.

10.

Fides non eſt eorum quæ non ſunt. Hebr. 11.

Quod fatetur Dominus Beza: Corpus Chriſti tempore Abrahæ actu non fuiſſe: tanquam confeſſum accipimus. Quòd autem ex Epiſtola ad Hebræos demonſtrare conatur, non ideo menti & fidei Abrahæ abſens fuiſſe, quia fides ſit ὑπόστασις τῶν μὴ ὄντων, hoc eſt, ſubſtantia earum rerum, quę non ſunt: Reſpondeo, hæc verba in Epiſtola ad Hebręos non reperiri. Sic enim ſonant Epiſtolæ verba: ἔστι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, hoc eſt, fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, & argumentum earum, quæ non videntur. Longè verò aliud eſt, rem ſperari & non videri: & aliud, rem prorſus non eſſe.

Hic codicem Græcum, Miniſter Eccleſię Geneuenſis, Bezę exhibuit, & hortatus eſt eum, ne fruſtra contenderet, quia in Epiſtola non haberentur verba, quæ ab ipſo allegata ſunt.

Etſi

Etsi verò fides credit, quæ vel futura sunt, vel quæ præterierunt: non tamen propterea res illæ præsentes sunt. Sufficit enim fidei, res promissas, fore aut futuras esse, aut fuisse, etiamsi eo tempore præsentes non sunt, quando creduntur, hoc est, per fidem aspiciuntur. 11.

Præsentia autem, qua menti credentis, præsentes esse dicuntur res in futurum promissæ aut præteritæ: non est ipsarum rerum realis & vera præsentia, sed est certissima fiducia mentis & voluntatis, eas aliquando fore aut fuisse, etiamsi præterierint, vel NONDVM sint.

Præsentia, qua res menti præsentes sunt.

12. Neque reformido dicere: Christi corpus, tempore Abrahami non fuisse, quoniam actu non fuit. Non enim nego in lumbis Patrum fuisse, priusquam definitum tempus c[om]pleretur. Nos autem de præsentia loquimur corporis Christi, quæ communicatione Diuinæ Maiestatis efficax est in Ecclesia, & qua Christus tanquam homo etiam videt & audit gemitus piorum, & illos consolatur: qua præsentia nunc Ecclesię suæ in verbo & Sacramentis adesse dicitur. Quæ pręsentia tempore Abrahæ prorsus non fuit.

Vera pręsentia Christi secundum carnem in terris.

13. Ex quo sequitur, quòd realis existentia semper requiratur ad eam præsentiam, qua actiones rebus existentibus tribuuntur. Et quamuis fides extra mundum egrediatur: non tamen ipsa res, sed cogitatio fidei duntaxat de rebus per fidem cogitatis, præsens est.

Realis præsentia requirit realem existentiam rei.

Quod autem D. Beza querit, cùm concedam etiam Patres beneficiorum Christi participes factos, & remissionem peccatorum consecutos esse: num velim, aut credam, *QVOD EX NON ENTE* illa beneficia profecta sint, quæ pro *ENTE* Christum habuerint, non minùs Patribus quàm nobis præsentem?

Vnde beneficia Christi Patriarchis collata sint.

Respõdeo: quòd hęc beneficia nequaquam ex *NON ENTE* profecta sint, sed pro *ENTE* suo habuerint Christum, certum est: Non autem præsentem, sed futurum, & venturum, & pro generis humani redemptione passurum, quiquè

in sacri-

in ſacrificijs veteris Teſtamenti adumbratus fuit: Ideoq́ue in veteri Teſtamento, tam accuratè omnes circumſtantias obſeruari oportuit. Nemo fuit in precibus exauditus, niſi reſpectu propitiatorij, quod verum propitiatorium Chriſtum ſignificabat. Ad id facies erat conuertenda, vbicunque terrarum agerent Iudæi: ſacrificia certo loco & ordine peragenda erant, vt Archetypo reſponderent. Ad illum typum alligati erant Iſraelitæ, qui carnem Chriſti repræſentabat, figurabat, ſignificabat, in qua Filius Dei incarnatus, genus humanum redempturus erat. In hac vmbra & per hanc vmbram Filius Dei (qui non eſt ex NON ENTIBVS) beneficia patribus conferebat, non propter vmbram, ſed propter eum, qui hac vmbra repræſentatus & ſignificatus fuit. Remiſsio enim peccatorum eſt opus Dei proprium. Ideoq́ue Iudæi Chriſto iraſcebantur, cùm diceret: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: & in corde, intra ſe dicunt, Hic blaſphemat. Quia tanquam homo ſibi tribuerit Chriſtus, quod ſolius Dei proprium eſt. Hunc effectum Deus per vmbras Moſaicas contulit Patribus. Qua ratione non modò ipſum Redemptionis opus, obedientia videlicet & mors Chriſti, ſed ipſa quoque natura eius humana patribus reuera abſens, & non præſens fuit.

Chriſtus homo ſibi tribuit, quod ſolius Dei proprium eſt. Matth. 9.

Ad meriti Chriſti participationem, non requiritur abſoluta præſentia hominis Chriſti.

Ad cuius operis & meriti participationem, non opus fuit vel ipſius perſonæ, quoad Naturam humanam, vel operis præſentia: ſed ſufficiebat, quòd illud ENS horum beneficiorum crederent futurum, & hanc obedientiam præſtiturum.

Quemadmodum etiam nobis nihil derogat, quòd non nobis præſentibus, ſed plus quàm ante mille & quingentos annos hoc opus Redemptionis peractum eſt. Sufficit enim fides ad participationem beneficiorũ Chriſti, qua firmiter credimus, hoc pro nobis factum eſſe.

Menti noſtræ & fidei quomodo Chriſtus nunc adſit.

Longè autem nunc alia præſentia eſt Chriſti, etiam reſpectu mentis & fidei, quàm tempore Abrahæ fuit. Non enim ita Chriſtus hoc opus in terris præſtitit, vt ſecundum humanitatem

nitatem suam à nobis nostraque mente perinde absit, sicut Abrahę non pręsens fuit. Sed quia humana natura, cum Deo personaliter vnita, & in Thronum Deitatis proprium collocata est, qui nullo loco definitur: ideo re ipsa existens Christus, etiam re ipsa secundum humanitatem suis electis verè & realiter adest, sine respectu fidei, aut incredulitatis. Et hac ratione etiam corpus & sanguinem suum realiter cœlesti modo pręsentem, secundum verbum & promissionem sui Testamenti exhibet: quod tempore Abraham, aut Patriarcharum, & in Sacramentis Mosaicis veteris Testamenti non fecit, neque factum est.

Pręterea, effectus seu beneficia Christi principaliter à Diuinitate, tanquam efficiente causa, proficiscuntur. Quapropter effectus, hoc est, beneficia Christi patribus per fidem applicata, nequaquam ex non entibus eliciuntur: sed ipse λόγος incarnandus in sacrificijs & Sacramentis adumbratus, per hos typos & figuras, respectu incarnationis futuræ, illa beneficia in eos contulit. Idcirco etiam discrimen Sacramentorum veteris & noui Testamenti in æternum stabit, neque vlla ratione euerti potest: Quòd videlicet Sacramenta veteris Testamenti duntaxat vmbram Christi secundum humanitatem: nostra verò Sacramenta in nouo Testamento ipsum corpus habeant, quod realiter præsens est, dispensatur, & cœlesti modo pręsens externo ore cum pane percipitur.

Beneficiorum Christi princeps causa Deitas.

Discrimen Sacramẽtorum V. & N. Testamenti firmum.

Etsi enim vnus & idem sanguis Christi est, in quem sanguis Sacramentorum veteris Testamenti respexit, & sanguis noui Tęstamenti, cùm vnus sit Christus: tamen illic tantùm figuratus est, hic verò sublata figura per corporalia, seu externa Elementa panem & vinum, realiter & verè pręsens est, & dispensatur.

Et suprà dictum est, quòd verba Testamenti Christi non duntaxat menti, sed ori etiam prębeant corpus eius, cùm inquit; Accipite, manducate, hoc est corpus meum.

Nullus tropus in Sacramentis V. & N. Testamenti.

Exod. 24.

Ex quo ſequitur, nullum prorſus tropum, neque in verbis Sacramentorum veteris aut noui Teſtamenti admittendum eſſe: cùm ſanguis ſacrificiorum verus ſanguis fuerit, ſicut Moſes loquitur: Hic eſt SANGVIS FOEDERIS, & non ſignificat ſanguinem fœderis, nihil obſtante, quòd ſanguinem Chriſti repræſentet. Quale enim fœdus eſt, talis quoque ſanguis eſt. Et ſanguis quoque noui Teſtamenti, verus Chriſti ſanguis eſt: qui non alium ſignificat aut repręſentat, qui eſt ſanguis Chriſti.

Abſurditas tropi in verbis Teſtamenti Chriſti.

Sicut enim abſurdum eſſet, ſecundum tropum Moſis verba de ſanguine vitulorum interpretari: Hic eſt ſanguis fœderis, hoc eſt, ſignificat ſanguinem fœderis huius: ſic etiam abſurdum eſſet, verba Teſtamenti Chriſti per eundem tropum interpretari: Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, hoc eſt, ſignificat ſanguinem meum noui Teſtamenti, qui pro vobis effuſus eſt: quaſi alius eſſet ſanguis noui Teſtamenti, quàm qui à Chriſto effuſus eſt.

Sanguis veteris Teſtamenti ſymbolicus.
Sanguis noui Teſtamenti non ſymbolicus.

Ideóque ſanguis vitulorum Moſaicorum, & fœderis eius, verus, naturalis & eſſentialis fuit, ſed ſymbolicus, ſignificatiuus, repræſentatiuus veri ſanguinis Chriſti: Sanguis autem noui Teſtamenti quoque verus, naturalis & eſſentialis, non autem figuratiuus, ſignificatiuus aut repræſentatiuus: Quem enim repræſentaret aut ſignificaret? ſed eſt ſanguis Ieſu Chriſti realis, qui effuſus eſt pro peccatis totius Mundi.

Cur per corporalia, Chriſtus diſpenſet ſpiritualia dona.

Quòd autem ad diſpenſationem eius, vino in poculó vtitur Chriſtus: ex Chryſoſtomo ſuprà ratio reddita eſt, quòd videlicet non ſolùm ſpirituales, ſed etiam corporales ſumus. Si enim homo totus ſpiritualis eſſet: Deus ſpiritualia dona, cuiuſmodi ſunt corpus & ſanguis Chriſti in Myſterio oblata, ſine corporalibus organis conferret.

Et ſi Chriſtus vellet, tam facilè illi eſſet ſine pane & vino nos paſcere & reficere ſuo corpore & ſanguine, quàm quòd cum pane & vino facit.

In Sacramentis ſpiritualia cum corporalibus coniuncta.

Sed quia homo partim corpus, partim ſpiritus eſt: ideo Chriſtus in Sacramento corporalia cum ſpiritualibus coniunxit.

Inpri-

Inprimis verò notandum vocabulum (MEVS & MEVM) quod emphaticum est, & vmbris atque tropis opponitur, ac nullum tropum admittere potest. Aliàs in vetus Testamentum relaberemur, & corpus in vmbram conuerteremus.

Emphasis vocabulorum (MEVS & MEVM) in verbis Testamenti Christi.

Neque enim cibus ventris hic quæritur, sed cibus ad vitam æternam viuificus, qui est corpus Christi, vitam præstans in fide manducantibus. Si enim aliàs mille hominum corpora manducaremus, non tamen spiritualiter viuificaremur. Sed qui carnem Filij Dei manducat, is viuificatur. Hoc, vmbra & figura seu signum, sine respectu cibi viuifici, qui est caro Christi, præstare non potest.

Quapropter Sacramenta veteris & noui Testamenti minimè confundenda sunt, nisi Iudæi fieri, & corpus Christi abijcere velimus: quod à nobis absit.

Sic apud Paulum, quod legitur: petra quæ eos sequebatur est Christus: (cuius suprà oblitus sum, quò minus responderim) hoc loco petra neque lapidem significat, neque Christum figurare intelligitur. Lapidea enim petra Israelitas non secuta est, sed suo loco perpetuò mansit, & prior populo Israelitico erat. Petra autem de qua Paulus loquitur, ipse Christus erat: qui Israelitas in deserto existentes longè post secutus est, & genus humanum redemit: Qui etiam secundum Diuinitatem populum nusquam deseruit, sed perpetuò comitatus est.

Petra in phrasi Paulina non significat Christum.

Christus est vera & realis petra.

Etsi igitur in vocabulo petræ tropum admitto, non tamen concedo Metonymiam esse: quia hic nequaquam nomen pro nomine ponitur: sed est Metaphora à re inanimata ad animatam. Nam Matth. 16. Christus Petra per Metaphoram appellatur, ad significandum certitudinem & firmitatem, super quam ædificata est Ecclesia, aduersus quam portæ inferorum non præualebunt. Est enim Petra firmissima, quæ aduersus omnium ventorum procellas, & insultus Diaboli atque mundi, Ecclesiam sustinere potest, ne euertatur, sed immota in ęternum permaneat.

Metaphora, non Metonymia in verbis Pauli.

Sed satis est demonstrasse ad oculum, in veteri Testamento duntaxat vmbras fuisse, quę Christū secundum carnem repręsentarint & adumbrarint: In N. Testamento aūt omnes illas

figuras ablatas, & in earum locum corpus succeßisse: quod secundum clara & perspicua verba Christi: HOC EST CORPVS MEVM, &c. in sacra Cœna pręsens habemus. Modum autem præsentię nos ignorare libenter fatemur: quem sapientiæ & omnipotentiæ Dei committimus, qui ipsa veritas est, & mentiri non potest.

D. BEZA:

1. *Audio multa dici, sed pauca probari.*

2. *Agnosco & ego sublatas veteres figuras et Sacrmenta, sed noua instituta esse. Quòd si Sacramenta: ergo signa sunt. Ergo significabunt. Quid? Christum. Non autem est nuda significatio, aut repræsentatio, quemadmodum per statuas, aut alias imagines homines mortui repræsentantur: sed in Sacramentis noui Testamenti verè præstatur menti per fidem, quod in signis significatur: Videlicet, vt menti præbeantur corpus & sanguis Christi, quæ per panem & vinum significantur.*

Summa doctrinæ de cœna Domini, Thes. 1.

3. *Vehementer autem miror, quod dixisti, seßionem ad dexteram Dei ab vnione personali seu incarnatione Filij Dei inchoatam esse: cùm non ignores, distinctos fidei & symboli Apostolici articulos esse, de incarnatione, & de seßione ad dexteram.*

4. *Deinde videris semper hominem sumere pro humanitate, & sic vocabula concreta ab abstractis non distinguere, sed confundere: quod à Patribus non factum legimus.*

5. *Præterea in verbis Pauli ad Philip. 2. quod de persona dicitur, tu ad humanitatem refers: cùm scias vocabulum [Christus] personam, non alteram solùm Naturam significare.*

6. *Item, D. Paulus non de conditione humanitatis, sed de*

Diuina

Diuina natura loquitur, quam per vocabulum [FORMA DEI] intelligit: sicut forma serui, non conditionem, statum, vel habitum seruilem significat, sed ipsam humanam Naturam, quam Christus assumpsit.

Agnosco etiam ex illa Pauli sententia summam gloriam, quæ Christo homini acciderit, eiq; omne genu flectendum, quòd dominetur super omnia, quæ in hoc & futuro seculo nominari possunt. Ea verò gloria corpori Christi suam circumscriptionem & veritatem non aufert. Quemadmodum Regi Hispaniarum propter dominium, quod habet, omne genu in India flectitur, & eius dominationem agnoscunt, & se illi subijciunt: qui tamen in vno certo loco sui Regni commoratur. 7.

Simile de Rege Hispaniarum.

Planè autem mihi nouum est, quòd Deus per vmbras Patribus beneficia remissionis peccatorum et gratiæ suæ contulerit. Sanguis enim taurorum & vitulorum non purgauit conscientias. Nec vmbræ eam vim latentem habuerunt, vt conferrent vitam & alia. Ideoq; Christum Deum & hominem Patribus & illorũ menti per fidem præsentem fuisse, per quem & à quo omnia in suis sacris perceperunt. 8.

An Deus per vmbras & typos V. T. gratiam contulerit. Ebr. 9.

Et sic eadem ratio fuit Sacramentorum vtriusq; Testamenti: in quibus menti per externas res Christus præbetur, qui fide percipitur, & perceptus sua dona membris corporis sui communicat. In quibus Filius Dei nos non ludit. 9.

Ideoq; panis est Sacramentum, vinũ est Sacramentum, hoc est, signum, per quod Christus in cælo manens menti præbetur, non minùs efficaciter, quàm si suo corpore in Cœna corpori, & ori nostro præsens esset. 10.

Quoniam igitur in multis consentimus in hoc articulo, videlicet de communione sub vtraque specie: de Transsubstantiatione et sacrificio Missæ contra Papistas: de spirituali 11.

manducatione, quæ fit per fidem: Item, quòd Sacramenta sint sigilla, quibus promißiones gratiæ de remißione peccatorum obsignentur: Item de vera & salutari præsentia corporis Christi: & de modo duntaxat variemus: quæ causa est, vt propter tantillam rem tantopere dissentiamus, &

Beza concordiam ambit. ,, *tam acerbè & hostiliter pugnemus? Quin potiùs fraternam charitatem exerceamus, & inuicem declaremus: si*
,, *fortaßis hallucinamur, non fit id improbitate, aut malitia,*
,, *sed ignorantia. Dominus autem vtra pars erret, ei oculos aperire, & Spiritu sancto illuminare velit.*

D. IACOBVS.

1. An ea, quæ pro assertione nostræ doctrinæ adduxi, ex verbis Testamenti Christi, & apertis sacræ Scripturę testimonijs probauerim nec ne: in iudicio omnium auditorum repono.

2. Fallacia à falsa definitione Sacramenti. Quòd autem tua D. Sacramenta signa esse dicit, & inde contra realem præsentiam corporis Christi in Cœna Domini argumentatur: minimè concedo. Est enim fallacia à falsa definitione Sacramenti, quod non tantùm signum, sed etiam signatum complectitur. Sic Eucharistia duabus rebus constat, terrena & cœlesti. Neque ad significandum, sed ad exhibendum corpus Domini, hoc Sacramentum est institutum. Non autem menti solùm, sed etiam ori exhibetur secundum expressum verbum (MANDVCATE) quod nequaquam hic credere, sed ore percipere significat.

3. Communicatio Maiestatis in humana natura quando cœperit. Non etiam ignoro, incarnationem Filij Dei, & sesionem hominis Christi ad dexteram Dei, distinctos articulos Symboli esse. Inde autem non sequitur, participationem Maiestatis (cuius plenus vsus Christo post resurrectionem demum secundum carnem collatus est) initium suum ab incarnatione non accepisse. Quæ sine omni confusione articulorum symboli, optimè simul consistere possunt: sicut Pauli verbis demonstratum est.

4. Homo & humanitas promiscuè vsurpata. Ecclesiasticos autem Scriptores promiscuè vocabulis (hominis & humanitatis) de Christo vsos esse: nemo negare potest,

rest, qui mediocriter in illorum scriptis versatus est. Inter quos Diuus Augustinus facilè principem locum obtinet. Quapropter studio non humanitatem, sed hominem posui, quem Augustinus plerunque assumptum nominat: in quo propter hæresin Nestorianam nihil periculi est.

Vide solidam refutationem Orthodoxi Consensus.

5.

Neque ignotum est D. Bezæ, etiamsi vocabulum (Christus) nomen personæ sit: ei tamen alia atque alia ratione, nunc propter hanc, nunc propter alteram seu respectu alterius naturę diuersa tribui, quæ sine reali communicatione consistere & vera esse non possunt.

Nomen (Christus) variè vsurpatum.

Cùm igitur consensu omnium Orthodoxorum Patrum constet, Naturam diuinam nec exaltari nec exinaniri posse, (quod proprium humanę naturæ est) ipsi D. Bezę quoque regula Orthodoxorum Patrum nota est: Quęcunq; de exinanitione & exaltatione Christi in Scriptura sacra dicuntur, ea omnia de ipsius humanitate seu de Christo secundùm humanitatem dicta intelligenda esse. Qui verò de Diuinitate ea interpretatur, hunc inquit Leo 1. in suam societatem rapit Arrius.

Regula Orthodoxorum Patrum de exinanitione & exaltatione Christi.

6.

Loqui autem Paulum non de assumptione humanæ naturę, sed de ipsius assumpti hominis seruili conditione: ipsa verba textus apertissimè docent & confirmant, quæ sic sonant: Is affectus sit in vobis, qui & fuit in Christo Iesu. Qui cùm esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, vt esset æqualis Deo: sed semetipsum exinaniuit, forma serui assumpta. Proponit autem Paulus hominem Christum summę humilitatis exemplum, qui cùm, inquit, esset in forma Dei, hoc est, verus Deus, & in summa Maiestate constitutus, & hac ratione Deo æqualis, qui declaratione suę Maiestatis totũ mundum in stuporem conuertere potuisset, sicut in nouissimo die facturus est: tamen formam seruilem assumpsit, in qua nihil Diuinæ Maiestatis apparebat. Qua ratione se ipsum exinaniuit, seu vt Apostoli vox sonat, euacuauit, ἐκένωσε: quod diuinitati absolutæ sine contumelia tribui non potest, quæ se ipsam euacuare nequit, quia immutabilis est. Sed secundùm natu-

Philip 2.

Vera & propria sententia verborum Pauli, Philip. 2. de forma Dei & forma serui.

Christus secundum quam naturam exinanitus.

naturam eam se ipsum exinaniuit & euacuauit, in qua omnis plenitudo Deitatis corporaliter habitabat, cuius vsum ad tempus abdicauerat & formam serui gestabat, vsq; ad mortem: Dominus interim semper permanens. Qui seruilia officia discipulis & omnibus ad ipsum confugientibus præstitit: vnde ipse Christus quoque suo exemplo omnes ad discendam humilitatem inuitauit: Discite à me, inquit, quoniam sum HVMILIS CORDE. Quid, quæso, magis perspicuè, & Scripturæ sacræ, adeoqúe ipsius Pauli propriæ explicationi, magis consentaneè dici posset? Cùm igitur formam serui post resurrectionem & ascensionem in cœlum deposuerit, neque ampliùs seruus sit, aut secundum Scripturam dici posit, naturam autem humanam nunquam deponat: de seruili conditione, verba Pauli intelligenda esse, omnes vident. Quamuis interim non negem, à Patribus de natura diuina intellecta, & contra hæreticos ad Diuinitatem Christi asserendam, iuxta Analogiam fidei piè & rectè vsurpata esse. Neutra enim interpretatio alteram tollit, sed ratione Diuinitatis se inuicem consequuntur & confirmant, cùm Christus sit verus Deus, & homo assumptus cum Deo vnitus. Vtra autem magis propria sit, facilè cognoscitur, si verba accuratè expendantur. Expressè enim dicit, quòd Christus sit IN FORMA DEI. Quæ verba apertè docent, Paulum de Christo secundum humanitatem loqui. Aliud enim est, esse ipsam formam Dei, aliud esse in forma Dei: quorum vtrumque Christo verè tribuitur. Nam Christus ipse Dei forma est, quatenus Deus est. In forma autem Dei, quatenus homo est (quæ phrasis communicationem formæ Dei in humana Natura significat) quia cum Deo personaliter vnitus est. Cùm ergo quatenus homo, gloriam suam, sibi à Diuinitate communicatam & Deitatis essentialiter propriam, ostentare, quia in forma Dei fuit (quod nulli Angelorum contigit) & illam formam omnibus patefacere potuisset: tamen noluit, sed in seruili habitu & conditione eam texit. Idem vult Paulus, vt omnes pij imitentur, neque propter dona Dei insolescant, sed exemplo Christi alter alteri seruiat.

Christus perfectissimum exemplum humilitatis.

Christus non amplius seruus.

Quid sit esse in forma Dei.

Quod

Quòd gloria dominationis, veritati & circumscriptioni corporis Christi nihil adimat: suprà apertè demonstrauimus. Sed quòd ita omnibus rebus dominetur homo Christus, sicuti Rex Hispaniarum Indiæ: valde crassa est de regno & dominio Christi cogitatio, quæ regnum Christi spirituale & cœleste in regnum mundanum conuertit. Neque enim per vicarios dominatur sicut Rex Hispaniarum: sed ipse omnia omnibus temporibus & locis præsens, agit & administrat, modo cœlesti, & humanæ rationi imperscrutabili & imperuestigabili. 7. Regnum Christi non mundanum.

Non minùs nouum atque inauditum est, quòd negare audes, Deum per vmbras Sacramentorum veteris Testamenti, gratiam Patribus contulisse. Etsi enim taurorum & vitulorum sanguis, peccata ipsorum non expiauit, sed sanguis Iesu Christi eos ab omnibus peccatis emundauit: nullam tamen gratiam contemptores horum Sacramentorũ consecuti sunt: quibus, vt Paulus loquitur, pædagogia fuerunt ad Christum, in cuius fide his Sacramentis vsi sunt: Per quæ etiam illis gratiam suam contulit, & propter Christum eos in gratiam recepit, quem secundum humanitatem absentem figurabant & adumbrabant. 8. Gal. 4.

Quapropter nequaquam est eadem ratio Sacramentorum veteris & noui Testamenti: siquidem non solùm menti, verùm etiam ori corporis Christi corpus nunc in Eucharistia datur, quod in veteris Testamenti sacris duntaxat adumbratum fuit. 9. Discrimen V. & N. Testamenti.

Nec panis & vinum sunt Sacramentum, sed pars duntaxat Sacramenti, eáque ignobilior, ad quam res cœlestis accedat necesse est, corpus & sanguis Christi: aliàs Eucharistia non erit, sicut suprà dictum est. 10. Sacramenti integritas.

Postremò, verum est, in multis nos consentire, quæ partim nunc à te commemorata sunt: de quibus nulla inter nos dissensio & controuersia vnquam fuit. 11.

In eo autem adhuc nullus consensus est, de quo tot annis inter Ecclesias nostras & vestras controuersia est: videlicet, De qua re semper controuersia fuerit in hoc articulo.

de vera & reali præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna. De qua re si constaret, facile etiam de verborum Cœnæ proprio & vero sensu consentiremus. Quæ nos ideo simpliciter secundum literam, κατὰ τὸ ῥητὸν, sicut verba sonant, & sine tropo intelligimus, quia de hac vera & reali præsentia nihil dubitamus, cùm Christus expressis verbis eam promiserit (qui verax est & omnipotens) & infinita eius sapientia sit, qui nouit modum, cui committendus est.

An Beza cum suis realem præsentiam corporis Christi in cœna credat.

Hic cùm vos omnimodam præsentiam apertè negare non audeatis, sed eandem nobiscum asserere videri velitis: apertè autem dicatis, quòd NON ALIO MODO corpus Christi adsit, quam sicuti Abrahæ adfuerit: omnium auditorum iudicio committimus, an iniuriam vobis faciamus, si dicamus, vos nullam præsentiam credere: siquidem corpus Christi, temporibus Abrahami nondum erat conceptum & natum, multò minus illi alijsue Patribus præsens.

Quapropter constanter dicimus, quàm diu in illa opinione perseueratis: nullam inter nos in hoc articulo consensionem constitui posse. Sicut enim alia est ratio personę Christi in veteri Testamento, cùm filius nondum incarnatus esset: & alia in nouo Testamento, postquam incarnatus est: ita etiam alia & alia eius pręsentię ratio est, quòd illi duntaxat vmbram Christi secundum humanitatem in suis Sacramentis, nos autem corpus & rem ipsam adumbratam, figuratam & significatam habeamus. Hæc ab omnibus auditoribus probè intellecta esse, nihil dubitamus.

Diuersa ratio personæ Christi in V. & N. Testamento.

Cùm igitur vtrinque Capernaiticam manducationem & Cyclopicam lanienam carnis Christi in Cœna Domini apertè damnemus: (quo nomine tamen Ecclesiarum nostrarum Doctores, non modò per Galliam, sed in alijs quoque regnis, quò scripta vestra peruenerunt, miserè deformati, & plurimi ex vestris à nostris Ecclesijs, hac solùm de causa abalienati sunt, quasi hanc Cyclopicam lanienam doceant, quã nunquam somniauimus:) & de spirituali manducatione, quæ fit

Gradus ad concordiam factus.

Non dicas falsum testimonium.

fit per fidem, non solùm in vsu, verùm etiam extra vsum Cœnæ Domini, nulla vnquam inter nos controuersia fuerit: non contemnendum gradum hac ingenua declaratione voluntatis nostræ, ad piam concordiam factum esse arbitramur.

Et restat duntaxat tertius modus præsentiæ & manducationis corporis Christi, videlicet manducatio, quę sacramentalis dicitur, & ore fit: de qua quęritur, An ea tantùm sit externorum signorum, panis & vini: an verò cum pane & vino, corporis quoque & sanguinis Christi. De quo, Domino volente, plura conferemus.

De qua re potissimũ adhuc controuersia sit.
De Sacramentali manducatione, Quæstio.

D. BEZA.

Non video ego, quomodo caro Christi posit esse omnipræsens. Si de fructu consentiamus, quid opus est de alijs minimè necessarijs disputare? Patres multos habent errores, quos tamen non propterea abijcimus. Sacramentalem modum manducatinis corporis Christi concedimus. Cuperem autem, si fieri posset, mea morte pacem redimere.

D. IACOBVS.

Et ego similiter affectus sum. Veram enim & Deo gratam concordiam ex animo opto & desidero. Facile enim cogitare possum, quàm gratus vterque nostrum Papæ sit: in cuius manus, si, permittente Deo, incideremus, terram supplicijs nostris purgare conaretur. Sed ex parte nostra veritatem non possumus deserere, neque à verbis apertis Testamenti Christi propterea recedere, quòd non videamus aut intelligamus, quomodo corpus Christi posit in omnibus locis verè & realiter adesse, & ore percipi, vbi Cœna Domini celebratur.

Controuersia de Cœna Domini grauissima est.

Neque verò nobis adeò non necessaria, aut non magni momenti res est, quemadmodum vobis esse videtur, quando corporis Christi loco, Ecclesiæ panis duntaxat obtruditur, idque sub nomine corporis Christi, quod solùm significetur, non autem cum pane exhibeatur: Item, verba Testamenti Christi tam violenter, quæ sunt manifesta, in alium sensum pertrahi.

Patres in erroribus suis dociles.


Et verum sanè est, quòd Patres habent suos errores. Eiusmodi tamen, vt si de his tam accuratè & diligenter admoniti fuissent, sine dubio eos correxissent.

Beza nobiscum loquitur, sed non nobiscum sentit.

Sacramentalem modum præsentiæ & manducationis nobiscum quidem asseritis verbis: sed cùm ad explicationem peruentum est, nihil aliud, quàm manducationem panis intelligitis, quæ absente corpore Christi fiat: quod concedere non possumus. Sed de his cras, Domino volente, plura.

XXIII. MARTII, Anno, &c. 86. hora 7. antemeridiana.

D. IACOBVS.



N NOMINE Domini & saluatoris nostri Iesu Christi, Amen. Quod felix faustumque sit, collationem institutam continuare volumus, & initium eo facere loco, vbi hesterno vespere desiimus.

In quibus partibus sit consensus.

I.

Physica seu localis præsentia in Cœna Domini reiecta.

Primùm omnium inter nos conuenit, quod ab vtraque parte de præsentia & perceptione corporis & sanguinis Christi sentimus, eam non esse Physicam, localem (quomodo in terris hominibus conuersatus est) Capernaiticam, aut

Cyclo-

Cyclopicam lanienam, qua caro Christi, instar carnis vitulinæ dentibus atteratur, per guttur in ventrem traijciatur, in ventre digeratur, & si quæ sunt alia, quę hinc absurda colliguntur. Quo nomine tamen innocenter, & sine causa nostrę Ecclesię per Galliam & in alijs regnis diffamatæ sunt, quasi eiusmodi Capernaiticam lanienam carnis Christi in Cœna doceant, cùm litera demonstrari in scriptis nostris non posit, quòd tam absurda vnquam docuerimus. 2. Capernaitica manducatio semper damnata à Theologis Germanis Augustanæ Confessionis.

Quod verò ad spiritualem manducationem attinet, quę fit per fidem, non solùm in vsu, verùm etiam extra vsum Cœnæ Domini: de ea quoque nulla inter nos & antecessores nostros aut vestros controuersia vnquam fuit. Siquidem hæc manducatio nihil aliud est, quàm credere in Iesum Christum, quòd propter corpus ipsius in mortem traditum, & sanguinem effusum, per fidem habeamus remissionem peccatorum & vitam æternam. Hoc, inquam, credere est manducare corpus, & bibere sanguinem Christi: de qua Ioan. 6. capite agitur. 3. De manducatione spirituali nulla controuersia. Manducatio corporis Christi, quid sit.

Deinde diximus quoque ex parte nostra, de discrimine pręsentiæ corporis & sanguinis Christi in Sacramentis veteris & noui Testamenti: Quòd in veteri Testamento fuerint tantùm vmbræ & Figuræ: in Nouo autem res ipsæ & corpus. 4. Discrimen Sacramentorum V. & N. Testamenti.

Quòd fides nostra hanc sacramentalem pręsentiam non faciat, sed eam duntaxat salutarem reddat corpus & sanguinem Christi ore percipientibus: quoniam Christus se ipso & propria virtute adsit, siue credamus, siue non credamus: pijs quidem & fidelibus ad salutem, impijs verò & infidelibus ad iudicium. 5. Fides non facit Sacramentalem præsentiam corporis Christi.

Dictum est quoque paucis, de ratione, cur in Sacramentis noui Testamenti non possint esse vmbræ, typi & significationes corporis & sanguinis Christi. Si enim Sacramenta & eorum substantia consisteret tantùm in significatione & repręsentatione corporis, & sanguinis, mortisq́ue Christi: Sacramenta veteris Testamenti longè illustriora fuissent, quàm 6. Cur typi in Sacramentis noui Testamenti sublati.

Sacramenta veteris Testamenti significatione illustriora Sacramentis noui Testamenti.

Sacramenta noui Testamenti. Nam caro Vitulorum, Taurorum, Agnorum magis perspicuè & significanter carnem Christi, quàm panis Cœnæ Domini repręsentasset. Sic quo ad ritum, illa quoque occisione pecudum, & sanguinis eorum effusione, mortem Christi magis repræsentarunt, quàm ritus Sacramenti Cœnæ Domini, qui in fractione panis, in edendo & bibendo consistit.

Typus agni Paschalis illustris.

Quando enim paterfamilias agnum Paschalem mactauit, spectantibus liberis & vniuersa familia, potuit eos ad hunc modum erudire: Quemadmodum vides à me agnum occisum, & eius sanguinem effusum: sic promissus Messias cùm venerit, occidetur & sanguis eius effundetur in remissionem peccatorum omnium, qui credituri sunt in illum. Hæc repręsentatio, inquam, passionis & mortis Christi, in veteri Testamento longè illustrior fuit, quàm quæ in Cœna Domini, in vsu panis & vini sacrati, fit. Quę comparatio panis & vini nihil propemodum simile cum corpore & sanguine Christi, quo ad externos sensus, habet.

Ideoque substantia Sacramenti Cœnæ Dominicæ non consistit in adumbratione, figuratione aut repręsentatione vel corporis vel sanguinis Christi, vel etiam mortis eius: sed est corporis & sanguinis Christi VERA EXHIBITIO, cùm inquit Christus: Accipite, manducate, Hoc est corpus meum.

1. Tom. Tract. Theologicorum pag. 289.

In quam sententiam ipse quoque Reuerendus D. Beza scripsit: Verba eius sunt hæc: Quod in veteri Testamento nudo symbolo repræsentabatur, id nunc vnà CVM apparentibus & sensui subiectis symbolis VERE ac SVBSTANTIALITER donatur: quæ verè, piè ac rectè à Beza scripta sunt. In qua sententia si perseueraret: etiam in hac parte consensus declaratus & constitutus esset.

Status controuersiæ de tertio modo præsentiæ & manducationis corporis & sanguinis Christi.

Controuersia autem de vera præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna Domini adhuc hæret: An, videlicet, tertius modus pręsentiæ præter duos commemoratos (videlicet localem seu Capernaiticum modum, & qui fit per fidem) in scripturis demonstrari possit, quo neque caro Christi dentibus

tibus atteratur & deglutiatur, neque soli menti repræsentetur & fide percipiatur, sed vnà cum symbolis externis ori exhibeatur & ore percipiatur.

Hic tertius modus manducationis seu perceptionis, cardo controuersiæ est de Cœna Domini. Is si vel probatus vel refutatus fuerit: finem huic controuersię faciet.

Nam D. Beza in eo persistit, sicuti Theses oblatę testantur: quòd in Sacramentis veteris & noui Testamenti non sit alius modus pręsentiæ corporis & sanguinis Christi, quàm quòd MENTI hęc per externa symbola offerantur & repręsententur: quæ in veteris Testamenti Sacramentis longè præsentiùs Patribus affuerint, quàm si localiter sisterentur. Eandem prorsus & non aliam pręsentiam corporis & sanguinis Christi etiam in Eucharistia credit & docet.

In summa doctr. de Cœna Domini. Thes. 3.

Quod ad localem pręsentiam attinet, quam solam nobis D. Beza in suis scriptis perpetuò obijcit: nostrorum testantur scripta, quòd eam nunquam docuerint, sed semper & constanter damnauerint. Quam etiam in nostrorum scriptis, sicut & Capernaiticam manducationem, nusquam demonstrare possunt. Ideoq́ue quando contra eam disputant aduersarij, non nostram doctrinam, sed suum ipsorum figmentum oppugnant: Cùm hac de re quoque nulla vnquam fuerit controuersia, & manifestus inter nos sit consensus.

Localis præsentia corporis Christi in Cœna reiecta.

Nam sicut in prima Cœna Christus suo corpore localiter vni discipulorum propior fuit, & alteri remotior: quæ localis præsentia dispensationem corporis eius in Mysterio factam, neque promouit neque impediuit: sacramentalis autem siue præsentia, siue dispensatio minimè localis fuit: sic nunc quoque, postquam corpus Christi in cœlum receptum est, localis absentia (si per omnia eo modo in cœlis esset, sicut in terris hominibus conuersatus est, nec adhuc corpus Christi gloriosum factum esset) præsentiam sacramentalem, quæ à communicatione diuinæ Maiestatis dependet, nihil impedit. A qua, quoniam cum filio Dei personaliter vnita est caro Christi, sicuti vim viuificandi omnem hau-

Localis præsentia nihil promouet sacramentalem præsentiam corporis Christi.

Localis absentia nihil impedit sacramentalem præsentiam corporis Christi.

hausit: ita etiam pręsentię modum habet, quo hanc viuificationem efficiat & operetur. Quem modum nos diuinum, cœlestem, supernaturalem, & rationi humanę imperuestigabilem esse dicimus. Ideoq́ue simplici fide verbis Testamenti Christi adhærendum, qui dixit: Hoc est corpus meum. Ergo credamus esse.

Modus præsentiæ sacramentalis.

D. BEZA.

Reuerende D. Doctor, Vehementer optarim, vt non modò in ijs, de quibus tua Reuerentia disseruit, conueniremus, sed etiam in cæteris. Dominus det nobis gratiam Spiritus sui, vt vel tandem fiat. Sed quantum ex sermone Reuerentiæ tuæ intelligere potui, nondum vel à nobis sententia explicata satis, aut à vobis non intellecta est. Putas nos conuenire de præsentia corporis Christi? Et verum sanè est, vtrinque hoc constitutum est, in sacra Cœna adesse verum illud corpus Christi & sanguinem eius. Sed adesse IN, CVM vel SVB pane, non conuenit. Et proinde tu intelligis, quod nos dicimus menti adesse, idem esse quod IN, CVM, vel SVB pane ori adesse, eo loco, quo panis est, & nos corporibus nostris sumus.

I. Explicatio opinionis Bezæ, de præsentia corporis Christi in Cœna.

II. *Nos autem dicimus corpus Christi menti præsens esse, licet in vno loco cæli contineatur, & absens sit à terra. Si modò id mens per fidem in verbo intueatur, & per fidem in cælum euehatur.*

Præter hunc modum præsentiæ, fateor nos corpori Christi NVLLVM ALIVM MODVM præsentiæ tribuere posse, quàm LOCALEM. Si enim Christus suo corpore sit in loco, in quo nos corporibus nostris sumus: NECESSARIO sequitur, quòd localis sit præsentia.

NB. Confessio Bezæ. Beza tantùm localem præsentiam corporis Christi in terris oppugnat.

His

Hic D. Iacobus interfatus est & monuit, vt de singulis ordine & sigillatim dicatur. Deinde perrexit Beza.

Ego nondum cœpi disputare, sed tantùm ostendere volui, quòd nondum consensus de præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna inter nos sit constitutus.

III. Dissensio de præsentia corporis Christi, & de manducatione indignorum.

Scimus Christum Iudicem esse & seruatorem: Seruatorem eorum, qui ipsum in verbo & Sacramentis amplectuntur: Iudicem verò illis, qui eum aspernantur. Quæstio autem manet: An iudicium & condemnatio ex ipso Christi corpore, sumpto vel neglecto oriatur? Quapropter dico, de præsentia nondum conuenire, neque de manducatione indignorum, qua inde procedit.

IV.

Explicasti illud caput, de veterum & nostrorum Sacramentorũ collatione: & addidisti rationem, quòd in illis vmbra, in his autem corpus & veritas contineatur. Et non meminerat Reuerentia tua eius argumenti, quod nunc attulisti: Si non statuantur exhibitiua Sacramenta nostra, quibus corpus Christi non significetur aut repræsentetur, sed cum externis symbolis verè exhibeatur, hoc absurdum consequi: quòd Sacramenta veteris Testamenti longè illustriora fuerint significando & repræsentando Christum & mortem eius, quàm Sacramenta noui Testamenti.

Comparatio Sacramentorum veteris & noui Testamenti.

NB. Confessio Bezæ. Sacramenta veteris Testamenti ritu & significatione illustriora fuisse, Sacramentis noui Testamenti.

Respondeo: Fateor sanè signa & significationes in veteri Testamento magis perspicuas, & typos illustriores fuisse. Sed nego propterea veterum meliorem conditionem fuisse, quàm nostra sit. Etsi enim signa illustriora fuerunt, tamen promissiones ipsis factæ, obscuriores fuerunt.

Sicut enim non firmior est, qui duobus baculis indiget, vt incedat, eo, qui vno baculo nititur: fortior etiam qui leui, quàm qui crasso baculo incedit: Ita cũ promissiones de Chri-

sto, illis longè obscuriores fuerint, quàm nobis: hinc factum est, quòd oportuerit Sacramenta veteris Testamenti, ritu & significatione illustriora & magis perspicua esse.

Et cùm promissiones sint velut anima Sacramentorum, & Sacramenta non sint æstimanda tantùm ex illa significatione, qua oculis repræsentantur res promissæ: ideo Sacramenta noui Testamenti sunt magis spiritualia, quàm veteris Testamenti, quæ crassiora fuerunt illis.

Quò igitur magis spiritualia sunt, eò magis conueniunt nobis, quàm veteribus. Nos enim non indigemus crassis illis imaginationibus, sed spiritualibus, quæ à terrenis nos, ad spiritualia & cœlestia reuocant.

Epist. 118. *Et huc pertinet illud Augustini, quòd scripsit: Christum Sacramentis numero paucissimis, obseruatione facilimis, significatione præstantissimis, societatem noui populi collegisse, quæ sunt perfectione nobis magis accommodata. Præterea* Heb. 13. *Christus est hodie, heri, & in seculum. Ideo est in vtrisque populi Sacramentis æqualiter participatus.*

V. *Quapropter Sacramenta veteris Testamenti & noui, non differunt re, sed dispensatione. Et Christus fuit mediator in vtroque Testamento, secundum vtramque naturam. Ideóque veteres etiam totum Christum habuerunt Deum & hominem, aut sine Mediatore fuerunt. Licet autem secundum humanam naturam tum non fuerit, fuit tamen fide.*

Quòd ad verba mea attinet, ex quodam meo scripto allata, etsi non dubito à te bona fide allata esse: tamen quæ sit mea mens, ex alijs meis scriptis satis intelligi potest. Non enim volo Sacramenta veteris Testamenti fuisse nuda symbola

bola, sed habuisse etiam Christum præsentem: nisi dicere velimus, Patres ab æterna salute excidisse.

D. IACOBVS.

Reuerende D. Beza, quod ad primam partem orationis tuæ attinet, qua R. T. D. per capita recitauit, de quibus hesterno die collatum est, in quibus fuerit inter nos consensus, & vbi reliqua sit controuersia: & addidit, quod de præsentia corporis Christi nondum sit consensus inter nos constitutus: eandem quoque meam sententiam esse, ex præcedente familiari & placida collatione intelligi potest. I.

Non autem concedo eum statum controuersiæ esse, quem T. R. proposuit, quando dicimus, eo loco vbi panis est, ibi quoque corpus Christi præsens esse: quòd sentiamus corpus Christi IN, CVM, & SVB pane, localiter adesse & contineri.

Deprauatio doctrinę Vvirtemberg. Theologorum de præsentia corporis Christi in cœna Domini.

Nos enim expresse remouimus à disputatione nostra in Cœna Domini localem præsentiam: sicuti non modò collatio, sed etiam Theses nostræ de Cœna Domini vobis oblatæ, apertè demonstrant.

Quapropter omnes auditores sciant, de locali præsentia corporis Christi IN, CVM, vel SVB pane, nullam inter nos controuersiam vel esse, vel fuisse vnquam, quàm diu infelix hęc controuersia Ecclesias nostras exercuit: Quam localem pręsentiam nos apertè in omnibus nostris scriptis (sicut Capernaiticam quoque lanienam carnis Christi) reijcimus & damnamus.

Localis præsentia corporis Christi in cœna Domini damnata.

Sed de TERTIO MODO præsentiæ disputamus, qui Sacramentalis dicitur. An ori corporis nihil aliud præter panem & vinum exhibeatur: neque os quicquam amplius, quàm panem & vinum percipiat? Hic disputationis status & scopus est.

Verus controuersiæ status.

De Sacramentali modo præsentię corporis Christi.

1\. *Confessio ingenua Theologorum Vuirtembergensium.*

Vbi ex parte nostra apertè remouimus, primùm, figuratiuum, seu significatiuum modum, Sacramentorum veteris Testamenti proprium,in quibus corpus & sanguis Christi adumbrabatur,significabatur, repręsentabatur,quod eo tempore nondum extiterat,sed futurum credebatur.

2\. Deinde,localem etiam,physicum,naturalem & circumscriptum seu corporalem modum:quo nequaquam corpus Christi adesse asserimus.

3\. *Status controuersiæ verus.*

Loquimur autem de tertio modo,qui neque significatiuus, neque physicus aut localis sit, sed supernaturalis, diuinus & cœlestis: Num hic modus in Scripturâ sacra expressus sit? quo demonstretur, non solùm MENTI, sed etiam ORI adesse, & præberi corpus Christi,& ore percipi.Hic status controuersiæ est, huc animum attendant auditores omnes.

Vera præsentia corporis Christi in Cœna Domini.

Quòd igitur ad hanc præsentiam attinet, nos ex parte nostra candidè & apertè affirmamus : Nos in Cœna Domini eiusmodi præsentiam corporis Christi statuere, credere, docere, ad quam Christus fide nostra prorsus non indigeat. Quod omnes auditores velim diligenter obseruare, & apud seipsos accuratè expendere.

Christus enim seipso, hoc est, propria virtute sibi à Diuinitate communicata, adest: siue quis credat, siue non credat. Quam præsentiam fides non facit, neque adiuuat, cùm seipso Christus satis potens sit, vt sine auxilio fidei nostræ adsit: neque eam incredulitas, impietas, aut indignitas hominum malorum impedire potest.

Vnde præsentia corporis Christi in sacra cœna.

Hanc præsentiam, seu hunc præsentiæ modum, corpus Christi non habet, quatenus est corpus. Nam hac ratione est & manet finitum & circumscriptum proprietate naturæ, etiam in gloria sua. Sed habet hoc à Diuinitate τȣ̃ λόγου Filij Dei, cum quo personaliter vnitus, vna persona existit: quod nulli angelorum aut beatorum hominum contigit.

Hunc

Hunc pręsentiæ modum corpus Christi tempore Abrahami non habuit, etiamsi menti eius per Sacramenta corpus Christi repræsentatum sit. Cùm enim eo tempore non existeret: nec illi præsens esse potuit. Quapropter aliud est cùm dicitur: Filium Deum adesse: & aliud, filium Dei incarnatum adesse, qui tempore Abrahæ nondum incarnatus erat. Nunc verò non modò est incarnatus, & existit secundum carnem, sed etiam dominator est cœli & terræ secundum carnem: quorum neutrum tempore Abrahami secundum carnem fuit.

Discrimen inter pręsentiam & effectum corporis Christi.

Quod verò ad effectum huius sacramentalis pręsentiæ attinet, aliud est pręsentia, aliud effectus pręsentiæ. Nam ratione effectus, qui diuersi in vsu & perceptione huius Sacramenti Christo tribuuntur, alię quoque causæ requiruntur: videlicet, ad viuificationem & consolationem, fides: Ad iudicium autem & damnationem incredulitas, seu impœnitentia. Ita enim caro Christi est cibus vitę, vt non, nisi credentes viuificare velit, cum inquit: Caro mea verè est cibus. Item: Iustus ex fide viuet: sicut Propheta loquitur. Sic non sine incredulitate Christus quenquam iudicat, sicut scriptum est: Qui verò non crediderit, condemnabitur. Item: Qui non credit, iam iudicatus est.

Ad effectum Sacr. quid requiratur. Ioan. 6.
Habac. 2.
Marc. 16. & Ioan. 3.

Quis Christum iudicem fecerit. Ioan. 5.

Incredulitas autem non facit Christum iudicem & condemnatorem: sed pater constituit eum iudicem: qui ei omne iudicium dedit, quia filius hominis est. Neminem autem iudicat aut damnat, nisi incredulos & infideles.

Vnde Christus potestatem iudicandi habeat.

Sicut aliàs quoque in iudicio, quod exercetur in delinquentes, quando supplicium de hominibus facinorosis sumitur, duæ causæ concurrunt: primùm scelus flagitiosi aut facinorosi hominis: deinde, iustitia & potestas magistratus: vbi potestatem iudicandi & exercendi iustitiam, non accipit Magistratus à facinoroso homine, sed à Deo. Sic in iudicio, quod Christus in Cœnæ Dominicę vsu, in infideles, hypocritas, & Epicuręos homines exercet, concurrunt quoque duę causæ; altera est hominis incredulitas, propter quam

homo iudicatur: altera est Christi potestas, quam Christus non à facinoroso, sed à Deo patre accepit, qui eum iudicem omnis carnis constituit.

Christus iudex quatenus filius hominis.

Non autem dedit ei hanc potestatem Pater, quia Filius Dei est, qui potestatem hanc ab æterno habuit: sed quatenus filius hominis est: sicut verba Christi, Ioan. 5. apertè sonant: *QVIA FILIVS HOMINIS EST.*

In iudicio duæ causæ concurrunt.

Hoc iudicium quando in facinorosos exercetur, non potest vna solùm causa definiri. Nisi enim peccetur, Magistratus quidem se ipso manet iustus iudex, habens potestatem iudicandi: sed quando nemo est, qui peccat, etiam ipsius iudicium cessat. Sic quando quis furatur aut homicidium perpetrat, neque Magistratus punit: nullum adhuc est iudicium. Si verò facinorosus & iudex concurrunt, & iudex suam iustitiam in facinoroso exercet: tum iudicium, hoc est, executionem iustitiæ fieri dicimus.

Quando ergo in vsu Cœnæ Dominicæ impij iudicium manducant: causa, propter quam iudicantur, est in ipsis impijs, videlicet incredulitas: potestas autem & executio pœnæ huius est in Christo, in exercitio iudicij, & ex CHRISTO: quæ si nunquam accederet, impij nunquam iudicarentur. Nemo enim se ipsum damnaret: Christus autem est, qui saluat & iudicat, qui viuificat & mortificat. Et quemadmodum Magistratus si facinorosos non puniret: benignus quidem & clemens erga facinorosos diceretur: sed interim tanquam iniustus accusaretur, quòd malos non puniret. Tunc autem boni Magistratus commendatio perfecta est, cùm bonis benefacit, & eos contra vim & iniurias malorum tuetur: Et tam laudabile est in illo, quum malos iustè punit, quàm si bonis benefacit. Sic quoque in Christo eadem laus est iustitiæ, quę est bonitatis & misericordiæ: quoniam virtutes in Deo sunt pares: ideo non minùs laudabile, & gloriosum Christo est, cùm impium hypocritam iudicat & damnat,

Omnis Magistratus laudabilis, iustus & clemens.

Eadem laus iustitiæ & misericordiæ in Christo.

qui

qui pietatem simulat, quàm si pium & fidelem gratiâ & misericordiâ sua saluat.

Sic à Christi corpore, & ex eo proficiscitur iudicium, quatenus Christus homo iustitiam suam in impijs exercet. Iustitia enim obstat, quò minus vitam quoque in impijs operetur: sicut misericordia causa est, quòd credentibus vitam confert. Ab impijs autem proficiscitur iudicium, quatenus illi causam præbent exercendi huius iudicij, ad quod incredulitate & impietate sua dispositi sunt impij, sicut fide credentes ad vitam. Ideoq́ue non simpliciter contemnendo & respuendo, sicut D. Beza sentit & loquitur, sed etiam recipiendo Christum in vsu huius Sacramẽti, impij sibi iudicium manducant & bibunt ore.

Quomodo ex corpore Christi iudicium proficiscatur.

Quomodo ab impijs iudicium proficiscatur.

Nam quo ad Christi præsentiam in iudicio hoc exercendo, impiorum incredulitas illam impedire nequaquam potest, sicut eam fides non facit. Quapropter impij & indigni conuiuæ Christum tanquam saluatorem impio suo corde contemnere & respuere quidem possunt: sed quia vnum & idem cum pijs Sacramentum accipiunt, Christus non solùm Saluator, sed quoque iudex est: nolint velint etiam contra suam ipsorum voluntatem, coguntur eundem Christum admittere iudicem, qui tam præsens & efficaciter iudicem in illis operatur, quàm salutem in credentibus.

Quomodo impij iudicium manducent RECIPIENDO Christum.

Quemadmodum enim facinorosus, quando ad supplicium rapitur, libenter Iudicem executorem iustitiæ repelleret, quò minus puniretur: sed non potest eum repellere propter potestatem, quam habet iudex authoritate armatam: Sic impij quoque libenter respuerent & repellerent Christum Iudicem, sed ipse eis longè potentior, non patitur se in exercitio iudicij huius, ab impijs repelli.

Quod verò D. Beza hic apertè se declarat, quòd præter repræsentatiuum seu significatiuum modum præsentiæ corporis 3.

poris Christi & ipsius sanguinis in Cœna Domini, corpori Christi NVLLVM ALIVM MODVM pręsentiæ tribuere posſit, quàm LOCALEM: Denuò coram Illustriſs. Principe & auditoribus omnibus testificor, nos illam pręsentiam localem corporis Christi nunquam credidisse, nunquam prędicasse, nunquam scripsisse. Quemadmodum etiam in scriptis nostris, nusquam, ne syllaba aut litera de ea reperitur, quasi nos eam asseramus.

Non dicas falsum testimonium.

Cùm igitur D. Beza, cum omnibus suæ opinionis socijs & fratribus, hanc vnam in omnibus suis scriptis, contra nos editis, oppugnet, eaque scripta per multa regna distrahantur: ipsorum conscientię relinquimus, quomodo Deo rationem reddituri sint, quòd eiusmodi pręsentię modum nobis tribuere, & hoc modo apud Gallicas & alias Ecclesias suspectos & exosos nos reddere studuerint, cùm sciant nos aliter sentire.

Quod verò ad postremam partem commemorationis attinet, de collatione Sacramentorum veteris & noui Testamenti: nolo prolixè repetere, quæ vtrinque à nobis dicta sunt. Pono enim in iudicio Auditorum, qui omnia propè perceperunt, & facilè intelligere possunt, quod ad repręsentationem & significationem attinet, si eâ solâ Sacramenta definienda essent, longè illustriora veteris, quàm noui Testamenti Sacramenta fuisse: quod ipse quoque Dominus Beza fatetur.

Augustinus.

Quando igitur Augustinus inquit, Sacramenta noui Testamenti significatione præstantiſsima esse: certum est eum nequaquam ad nudam significationem aut repræsentationem, sed ad exhibitionem rerum promissarum, corporis & sanguinis Christi, respexisse, quam asseruit.

5\.
D. Beza nobiscum loquitur: sed non nobiscum sentit.

De recitatione verborum T. Reuerentiæ, quę de discrimine Sacramentorum veteris & noui Testamenti scripsisti, non est quòd dubites, quę in Tomo 1. operũ tuorum Theologicorum, pag. 289. extant. Quemadmodum etiam alia quamplurima recitare possem, in quibus nobiscum ita loqueris,

queris, vt imperitus lector non aliter cogitare posſit, quàm T. R. per omnia nobiſcum ſentire. Sic enim loqueris, Tom. 1. pag. 281. Reſpondeo paucis verbis, REM Sacramenti, id eſt, ipſum corpus & ſanguinem Chriſti, NON MAGIS à Cœna abeſſe QVAM ipſa ſymbola. Item, pag. 262. Scitote denique nobis NON eſſe certamen de ipſius SVBSTANTIÆ, id eſt, de ipſius CORPORIS κοινωνίας; ſed de bruto & cyclopico eſu, ſine quo ſomnias illam κοινωνίαν ſtare non poſſe. Ibidem: Cyclopicum eſum, qui tibi eſt cum Papiſtis communis, TIBI obijcimus: Hæc, mi Beza, tua verba ſunt.

Quòd ad ſimilitudinem attinet de baculis, quam attuliſti: 6.
non ignoro eandem conditionem omnium hominum & omnium temporum (ratione infirmitatis noſtræ) eſſe: præſertim quando in agone conſtituti ſunt homines perturbati & morti vicini, vt multis egeant baculis. Ea verò conſolatio maxima nobis in Cœna Domini non ratione ſignificationis ſeu repræſentationis, ſed ratione exhibitionis repoſita eſt, ſicut paulò antè oſtendimus: Cùm nimirum perturbata conſcientia erigitur ad confirmationem fidei ſuæ, non repræſentari, ſed verè, ſecundum verba inſtitutionis, exhiberi corpus Chriſti, ore manducandum, & ſanguinem ore bibendum, quæ pro peccatis noſtris in mortem tradita ſunt. Ecce, inquit paſtor, Cœnam Domini ægroto adminiſtrans, vt ſcias, te à Deo non abiectum, propter peccata tua, gratiam ſuam non modò verbis tibi promiſit & iuramento confirmauit: ſed in hoc ſuo Teſtamento, hoc ipſum quoque corpus, tanquam pignus tibi exhibet, quod pro te in mortem traditum eſt: & hunc ipſum ſanguinem, qui pro te in remiſsionem peccatorum effuſus eſt. Dicas ergo Sathanæ: Recede à me Sathan, nullam partem in me habes, totus ſum Chriſti, & Chriſtus meus, qui eſt mea iuſtitia, ſanctitas, & vita. Hæc longè efficaciſsima conſolatio eſt.

Consolatio in vero vſu cœnæ Domini.

Ad hanc prærogatiuam populi in nouo Teſtamento ſignificandam, Paulus Iudaicum populum paruulis comparat, qui ſub elementis Mundi, hoc eſt, ſub vmbris legis, tan-

quam ſub tutoribus & curatoribus vſque ad plenitudinem temporis conſeruabantur, donec Chriſtus veniret. Sicut enim puer nihil differt à ſeruo, quandiu eſt ſub tutela: quando autem liberatur à cura & tutela, tum ipſe ſua bona adminiſtrat: Ita populus Dei in veteri Teſtamento, ſub vmbra habebat quidem bona promiſſa: ſed in nouo Teſtamento illis plenè ſunt exhibita, & in Sacramentis exhibentur atque communicantur.

Conſolatio in Sacramentis N. Teſt. illuſtrior, quàm in Sacramentis V. Teſtamenti.

Sic conſolatio maxima non ſolùm in apertis promiſſionibus, ſed etiam in Sacramentis noui Teſtamenti longè illuſtrior eſt, quàm in veteri Teſtamento fuit.

Colloquij inſtituti finis.

Quapropter in hoc nobis maximè in iſta collatione, elaborandum erit, vt auditoribus Colloquij conſtet: An corpus Chriſti in Cœna Domini verè & realiter adſit: & quæ vtriuſque partis de hoc ſtatu ſit ſententia: An conſentiamus, vel diſſentiamus.

D. Bezæ intentio.

Ex parte enim veſtra non vultis videri, præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti veram in Cœna Domini vnquam negaſſe: ſed contra brutum & cyclopicum eſum tantùm carnis Chriſti pugnare: ſicut paulò antè verba tua recitata ſunt.

Ad hanc quæſtionem nos perſpicuè & diſertè reſpondemus: Ex parte veſtra nullam veram & realem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna Domini ſtatui. Quoniam apertè dicitis: Corpus Chriſti NON ALITER in Cœna Domini præſens eſſe, quàm fuerit Abrahæ præſens: Et ſubſtantiam corporis Chriſti non aliter poſſe quàm Phyſica & locali circumſcriptione adeſſe: (quomodo nos quoque fatemur, corpus Chriſti in Cœna Domini non adeſſe) quomodo quæſo veram præſentiam ſtatuere poteſtis? Si enim non alio modo: Ergo nullo adeſt modo. Quia tempore Abrahæ corpus Chriſti non erat: quomodo ergo præſens eſſe potuiſſet? Abraham quidem in Spiritu per fidem corpus Chriſti eminus vidit, ſed præſens non habuit. Nunc autem

D. Bezæ opinio, de præſentia corporis Chriſti in cœna Domini.

tem

tem postquam venit plenitudo temporis, (inquit Paulus) misit Deus filium suum factum ex muliere, &c. Is se præsentem fore Ecclesiæ suæ, promisit. Adest autem non localiter & circumscriptiuè, sed diuino & cœlesti modo, quem ipse nouit. Promissio enim fallere non potest: Ego sum vobiscum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Et, vbi duo aut tres in nomine meo congregati sunt, sum in medio ipsorum.

Gal. 4.

Matth. 28.

Matth. 18.

D. BEZA.

Reuerende D. Doctor, peto vt Syllogisticè agatur. Sic enim vtrinque argumenta rectiùs percipiemus, & faciliùs respondere licebit. 1.

Reuerentia vestra tres modos præsentiæ constituit, localem, figuratiuum & cœlestem. Ego tantùm duos modos constituo, quibus CHRISTVS vel menti repræsentatur & offertur: vel localiter, eo loco vbi panis est, sistitur. 2.

Fundamentum & causa erroris Sacramentarij.

D. Beza tantùm duos modos præsentiæ nouit.

Si enim Christum personaliter nomines, & de humanitate intelligas, eumque in Cœna adesse dicas: eam præsentiam ego spiritualem intelligo, qua per fidem menti præsens est. Alteram verò constituo, qua corpus Christi nunc in cœlis est.

Quæ præsentia localis & circumscripta est, pertinens ad essentiam humanitatis CHRISTI: quæ proprietas corporis CHRISTI est perpetuò manens, & quam non deponit. 3.

Tertium modum quem tu asseris, puto à disputatione de PERSONA CHRISTI pendere. Illum modum præsentiæ ego in sacris literis, & Patrum scriptis 4.

non inuenio: qui veritatem Naturæ humanæ in Christo tollere videtur.

5. Quod ad iudicem Christũ attinet: non dubitamus, quin iudex sit constitutus. Scimus etiam, & magno atque vnanimi consensu fatemur: causam damnationis in incredulitate positam esse. Scimus etiam iudicium Christo secundum humanitatem datum esse.

Quid Beza per Iudicium intelligat.

Quando autem Christo secundum humanitatem iudicium datum esse dicimus, non ad condemnationem restringimus, sed dominium cœli & terræ, visibilium & inuisibilium gubernationem intelligimus. Et cùm pater dicitur neminem iudicare, à gubernatione eum planè non excludimus. Is enim in filio & per filium gubernat omnia.

Quæstio de manducatione impiorum.

Quæritur autem: An corpus Christi ab impijs participetur, sicut à pijs & fidelibus participatur? Et an tam verè eius particeps fiat impius, quàm pius?

Quomodo corpus Christi secundum Bezam iudicet, & damnet.

Hîc nos dicimus: Corpus Christi neglectum damnare, non autem perceptum. Quia asserimus, non nisi fide percipi, & respui incredulitate. Quapropter perceptio, seu modus perceptionis, est proprius fidelium. Impijs quidem præbetur Christi corpus, sed ab illis non recipitur.

Et præbetur omnibus cum conditione, quam impij non præstant, videlicet, sub conditione fidei. Nemo enim potest corporis Christi particeps fieri, nisi fiat membrum eius.

Quibus autem Christus ad mortem cedit, id fit, quia respuitur, non quia recipitur.

Apoc. 13.

Discrimen veteris & noui Testamenti, non in re, sed in dispensatione positum esse dico. Nam agnus occisus est ab origine mundi. Ideoq; tam illis præsens fuit in ipsorum Sacramentis, quàm nobis præsens est in nostris Sacramentis. Denuò autem peto vt syllogisticè agatur.

D. Iaco-

D. IACOBVS.

Reuerende D. Beza, placet vt ſyllogiſticè agamus. Sic enim citiùs nos ipſos expediemus, & collatio ipſa auditoribus minùs ingrata erit. 1.

Satis autem dictum eſt de diſcrimine pręſentiæ Chriſti, ratione humanitatis, in veteri & nouo Teſtamento. Quòd videlicet in veteri Teſtamento Chriſtus ſecundum humanitatem ſit tantùm adumbratus, ſignificatus, figuratus & repręſentatus: per quam vmbram & figuras, Deus populo ſuo beneficia diſtribuit, & applicauit, morte Chriſti impetrata, videlicet remiſsionem peccatorum, iuſtitiam, & vitam æternam. In nouo autem Teſtamento corpus ipſum præſens cœleſti modo vel ad vitam vel ad iudicium in Cœna Domini diſtribuitur. Ideo nolo de his plura addere: de quibus etiam in Theſibus noſtris ſatis dictum eſt. 2.

Diſcrimen præſentiæ Chriſti in veteri & nouo Teſtamẽto.

Satis etiam dictum eſt de manducatione ſpirituali, quæ fit per fidem, de qua nulla quęſtio eſt: qua ipſis Patribus veteribus pares ſumus, qui & ipſi per fidem manducarunt corpus Chriſti. Sed de ſubſtantię præſentia, in vtriuſque Teſtamenti Sacramentis, TANTVM EST DISCRIMEN, QVANTVM diſcrimen eſt inter ENS & NON ENS. De dicto Chriſti, quod dicit D. Beza, non de damnatione, ſed de gubernatione, vocem (IVDICII) intelligendam eſſe: id planè nouum & inauditum eſt. Sic etiam Paulus de pœna loquitur, quam Deus Corinthijs propter abuſum Cœnæ Domini inflixit. Quod etiam ipſe Paulus explicat proprijs verbis. Si nos ipſos, inquit, iudicaremus, non iudicaremur, hoc eſt, non puniremur à Domino.

Manducatio ſpiritualis, eadem in V. & N. Teſtamento.

Iudicium quid in Paulo ſignificet.

1. Cor. 11.

Eſt autem hoc iudicium, ſeu pœna temporalis, ſi poſt illam pœnitentiam agant: Sin vero in impœnitentia permanſerint, damnatio eſt.

Iudicium duplex.

Idem Chriſtus quoque apertè confirmat Ioannis 5. Vbi loquitur de iudicio, quod ſubituri ſint impij ratione pœnæ ſuſtinendæ, quam illis infliget Chriſtus. Statim enim poſt

verba (omne iudicium dedit filio) subiungit: (Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei. Et prodibunt qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem I V D I C I I) quod alij reddiderunt, condemnationis.

Impij non respuendo, sed recipiendo Christum, manducant iudicium.

Quòd autem impij iudicium manducent non respuendo, sed recipiendo Christum: ex verbis Pauli manifestum est, qui inquit: Panis quem frangimus, non'ne communicatio corporis Christi est: hoc est, cum illo pane corpus Christi communicatur, quisquis hunc panem edit. Sed hunc panem non solùm manducant pij, sed etiam impij. Ergo manducando, adeoq́ue recipiendo corpus C H R I S T I in eo organo, quod D E V S ordinauit, & non respuendo, manducant iudicium. Sed in formam Syllogismi redigamus.

Syllogismus. Impij M A N D V C A N D O corpus Christi, iudicium manducant.

Quisquis manducat panem Cœnæ Dominicæ, is manducat corpus Christi.

Impij manducant panem Cœnæ Dominicæ. Ergo impij quoque manducant corpus Christi. Et sic non respuendo, sed recipiendo Christi corpus, iudicium manducant.

D. B E Z A.

Probetur maior propositio.

D. I A C O B V S.

Paulus scribit, 1. Corinth. 10. Panis quem frangimus, communicatio corporis Christi est. Non dicit, communicatio remissionis peccatorum, sed communicatio corporis Christi est.

D. BEZA.

D. BEZA.

Proba per Syllogismum.

D. IACOBVS.

Scripturæ sacræ dicta non indigent, vt probentur per Syllogismum: sed propter authoritatem diuinam illis creditur.

D. BEZA.

Fac Syllogismum.

D. IACOBVS.

Hoc nouum & in omnibus scholis inauditum est, Scripturę testimonia per Syllogismum probari.

D. BEZA.

Fac Syllogismum.

D. IACOBVS.

Dictorum Scripturæ germana sententia non Syllogismo probanda, sed ex Scriptura demonstranda est. Et qualis est communicatio, vbi nulla est perceptio? Communicatio nulla est sine perceptione.

D. BEZA.

Corpus Christi communicatur intentione Dei, hoc est, offertur omnibus: sed impij non accipiunt, quia non induunt Christum, Gal. 3.

D. IACOBVS.

Nulla est communicatio, sed oblatio tantum, quando ali-

do aliquid offertur & non recipitur. Quando autem offertur & recipitur: tum dicitur communicatum, secundum naturam & rationem relatiuorum. Sic communicatio versatur inter communicantem & recipientem, aliàs nulla communicatio esse aut dici potest.

Communicatio corporis Christi, non beneficiorum.

Aperta autem sunt verba Pauli, quòd non dicit: Panis quem frangimus, est communicatio beneficiorum Christi. Si enim sic locutus esset, omnes intelligerent, impios ab illa communicatione exclusos esse, qui beneficiorum Christi non fiunt participes. Sed Paulus inquit: est communicatio corporis Christi: quid magis apertè dici posset ad probandum, omnes corpus Christi manducare, qui panem Domini manducant? quem communicationem corporis Christi esse dicit, quocunque tandem id fiat modo. Et hæc est germana, consensu omnium doctorum, Pauli sententia & intelligentia, nullo, inquam, doctore excepto, quòd videlicet cum hoc pane corpus Christi omnibus communicetur, qui hunc panem manducant.

D. BEZA.

Præbetur quidem corpus Christi omnibus panem manducantibus: sed non ab omnibus recipitur, qui panem manducant.

D. IACOBVS.

Quomodo impij corpus Christi non percipiant.

Si de receptione loqueris, quæ fit per fidem: nulla controuersia est, quòd corpus Christi infideles non percipiant, quoniam carent fide. Verùm Paulus hic non loquitur de manducatione fidei, sed de manducatione oris, cum inquit: Qui manducat panem hunc, &c.

Impij corpus Christi in Cœna sacra ore manducant.

Sed probabo expresso alio testimonio Pauli, qui suorum verborum optimus interpres est, quòd hæc manducatio oris non ad panem tantùm, sed etiam ad corpus Christi dirigatur:

tur. Sic autem sonant verba eius: (Quicunque manducauerit panem HVNC, & biberit calicem DOMINI indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane ILLO edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, *NON DIIVDICANS CORPVS DOMINI.*) Quid quęso magis apertè dici posset, ad explicandam mentem & sententiam verborum Pauli, quę paulò antè posita sunt: (Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est?) Vbi Emphatica vocabula in verbis Pauli diligenter obseruanda sunt, cùm inquit: Panem HVNC: De pane ILLO: calice DOMINI. Qui manducauerit panem HVNC, videlicet quem suis discipulis dedit Christus, & dixit: Hoc est corpus meum. Item, de quo priùs ipse dixerat: Panem quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est?

Emphatica vocabula in verbis Pauli diligenter obseruãda.

Sic etiam hoc loco non dicit Paulus, quòd indignè manducantes iudicium manducent, *QVIA NON DIIVDICENT HVNC PANEM* à communi pane: sed quòd non dijudicent *CORPVS DOMINI:* Ideóque etiam eos fieri reos *CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI.* Ex quo luce meridiana clariùs apparet, corpus Christi non modò præberi, sed etiam percipi ab indignis, sed ad iudicium, hoc est, ad pœnam vel temporalem, sicut Corinthijs accidit, quos peculiari morbo Christus puniuit: aut si impœnitentes permanserint, æternam.

Cùm igitur nullo modo negari possit, indignos & impios corpus Christi ad iudicium manducare posse: quod verbis Pauli ad oculum demonstratum est: hoc ipso etiam manifestè probatum est & demonstratum, quòd sit tertia manducatio inter manducationem, quæ fit per solam fidem, & inter Capernaiticam manducationem & lanienam carnis Christi: videlicet, Sacramentalis, qua non solùm panis qui frangitur, sed corpus quoque Christi, cuius communicatio est, ore percipitur: & non solùm vinum ex calice, sed sanguis quoque Christi, cuius communicatio calix benedictus est,

Tertius modus mãducandi corpus Christi in cœna Domini.

bibitur ab omnibus, qui de hoc pane & calice participant, siue boni siue mali sint, sicut Pauli verba aperta sunt: (Quoniam vnus panis, vnum corpus sumus multi (inquit Paulus) nam omnes de vno pane & vno calice participamus.) Quam multa autem putrida membra in hoc corpore fuerint apud Corinthios, eodem loco docet.

1. Cor 10.

Putrida etiam membra in corpore Ecclesiæ.

D. BEZA.

Hoc est concionari, non disputare. Quod paulo antè quæsiuisti, qualis sit communicatio rei, vbi eius nulla sit receptio? Respondeo, idem fieri in verbo, quod in Sacramentis. Scriptum est: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Inde non sequitur, quicunq; Euangelium audiunt, quod etiam illud percipiant.

Collatio Sacramenti cum prædicatione verbi.

Rom. 1.

D. IACOBVS.

Imò idem Euangelium in auribus, & corde impiorum est, qui pereunt & damnantur, quod in auribus & corde piorum est, qui saluantur: quod etiam auribus percipiunt, qui damnatur, & apud quos nullus fructus fert. Et gaudeo allatum esse hoc exemplum, quod præsentem controuersiam illustrare potest.

Argumentatur tua Reuerentia ab effectu ad causam, ad hunc modum: Impij Euangelium, quod est potentia Dei ad salutem, audientes, non percipiunt salutem. Ergo quod perceperunt, non est potentia Dei, adeoque non verbum Dei, sed duntaxat sonus quidam sine potentia. Quæ argumentatio est vitiosa.

Argumentatio de verbo prædicato.

Nam Euangelium & verbum Dei, quod audiunt impij iudicandi, est vnum & idem Euangelium cum eo, quod audiunt pij & saluandi. Sicut Christus loquitur: Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Et habet duplicem effectum, vel iudicandi eos, qui pereunt & non vera fide accipiunt: vel saluandi eos, qui vera fide accipiunt. Sicut idem Apostolus scribit: Bona Christi fragrantia sumus Deo, in his

Euangelium vnum in auribus piorum & impiorum.

Ioan. 12.

Euangelij duplex vis.

2. Cor. 2.

in his qui salui fiunt, ET IN HIS QVI PEREVNT. His quidem ODOR MORTIS AD MORTEM: illis vero odor vitæ ad vitam. Quibus verbis testatur: Verbum Euangelij, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, etiam odorem esse MORTIS ad mortem, in his qui audiunt, sed ei non credunt. Sunt enim omnibus temporibus & locis putrida membra Ecclesiæ, quam diu in terris militat.

D. BEZA.

Quando Impij audiunt Euangelium, non adest illis potentia saluanda, sed sonus tantum aures feriens, vt audientes non audiant.

D. IACOBVS.

Vna & eadem potentia est saluandi & damnandi, quamuis diuersa eius sit ratio. Et Christus non inquit: Sonus, sed verbum quod locutus sum, iudicabit illum in nouissimo die, sicut credentem saluabit vna & eadem potentia: sed diuersissimi effectus sunt, pro diuersitate auditorum.

Idque minimè absurdum esse, in rebus creatis alijs demonstrari potest, videlicet vnius causæ diuersos & contrarios effectus posse esse. Est vnus & idem radius solaris, qui lutum liquidum indurat, & ceram duram liquefacit: vna & eadem vis radij solaris, duos illos contrarios effectus operatur. Causa autem diuersitatis, non est in radio solis: quia vnus & idem radius, vna & eadem vis, atque potentia radij, non duo aut diuersi radij sunt: sed causa diuersorum & contrariorum effectuum, est in diuersitate subiectæ materiæ, in qua pro sua natura solis radius operatur.

Similitudo radij solis de diuersis effectibus.

Vna causa diuersorum effectuum.

D. BEZA.

Sol per accidens indurat. Sed ostende mihi duplicem vim in corpore Christi. Nam nos dicimus corpus Christi tantum saluificum esse, & viuificam carnem eius.

An corpus Christi duplicem vim habeat.

bibitur ab omnibus, qui de hoc pane & calice participant, siue boni siue mali sint, sicut Pauli verba aperta sunt: (Quoniam vnus panis, vnum corpus sumus multi (inquit Paulus) nam omnes de vno pane & vno calice participamus.) Quàm multa autem putrida membra in hoc corpore fuerint apud Corinthios, eodem loco docet.

1.Cor 10.

Putrida etiam membra in corpore Ecclesiæ.

D. BEZA.

Hoc est concionari, non disputare. Quòd paulò antè quæsiuisti, qualis sit communicatio rei, vbi eius nulla sit receptio? Respondeo, idem fieri in verbo, quod in Sacramentis. Scriptum est: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Inde non sequitur, quicunque Euangelium audiunt, quòd etiam illud percipiant.

Collatio Sacramenti cum prædicatione verbi.

Rom.1.

D. IACOBVS.

Imò idem Euangelium in auribus, & corde impiorum est, qui pereunt & damnantur, quod in auribus & corde piorum est, qui saluantur: quod etiam auribus percipiunt, qui damnantur, & apud quos nullus fructus fert. Et gaudeo allatum esse hoc exemplum, quod præsentem controuersiam illustrare potest.

Argumentatur tua Reuerentia ab effectu ad causam, ad hunc modum: Impij Euangelium, quod est potentia Dei ad salutem, audientes, non percipiunt salutem. Ergo quod perceperunt, non est potentia Dei, adeòque non verbum Dei, sed duntaxat sonus quidam sine potentia. Quæ argumentatio est vitiosa.

Argumentatio de verbo prædicato.

Nam Euangelium & verbum Dei, quod audiunt impij iudicandi, est vnum & idem Euangelium cum eo, quod audiunt pij & saluandi. Sicut Christus loquitur: Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Et habet duplicem effectum, vel iudicandi eos, qui spernunt & non vera fide accipiunt: vel saluandi eos, qui vera fide accipiunt. Sicut idem Apostolus scribit: Bona Christi fragrantia sumus Deo, in his

Euangelium vnum in auribus piorum & impiorum.

Ioan. 12.

Euangelij duplex vis.

2.Cor.2.

in his qui salui fiunt, *ET IN HIS QVI PEREVNT*. His quidem ODOR MORTIS AD MORTEM: illis verò odor vitæ ad vitam. Quibus verbis testatur: Verbum Euangelij, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, etiam odorem esse MORTIS ad mortem, in his qui audiunt, sed ei non credunt. Sunt enim omnibus temporibus & locis putrida membra Ecclesiæ, quàm diu in terris militat.

D. BEZA.

Quando Impij audiunt Euangelium, non adest illis potentia saluanda, sed sonus tantùm aures feriens, vt audientes non audiant.

D. IACOBVS.

Vna & eadem potentia est saluandi & damnandi, quamuis diuersa eius sit ratio. Et Christus non inquit: Sonus, sed verbum quod locutus sum, iudicabit illum in nouissimo die, sicut credentem saluabit vna & eadem potentia: sed diuersissimi effectus sunt, pro diuersitate auditorum.

Idque minimè absurdum esse, in rebus creatis alijs demonstrari potest, videlicet vnius causæ diuersos & contrarios effectus posse esse. Est vnus & idem radius solaris, qui lutum liquidum indurat, & ceram duram liquefacit: vna & eadem vis radij solaris, duos illos contrarios effectus operatur. Causa autem diuersitatis, non est in radio solis: quia vnus & idem radius, vna & eadem vis, atque potentia radij, non duo aut diuersi radij sunt: sed causa diuersorum & contrariorum effectuum, est in diuersitate subiectæ materiæ, in qua pro sua natura solis radius operatur.

Similitudo radij solis de diuersis effectibus.

Vna causa diuersorum effectum.

D. BEZA.

Sol per accidens indurat. Sed ostende mihi duplicem vim in corpore Christi. Nam nos dicimus corpus Christi tantùm saluificum esse, & viuificam carnem eius.

An corpus Christi duplicem vim habeat.

D. IACOBVS.

Duplex vis in Christo, saluandi & damnandi.

Suprà satis superq́ue demonstratum esse confido, quòd duplex vis sit in Christo, iudicandi & saluandi: vnde etiam simul & Iudex & Saluator est & dicitur. Propter vim saluandi, appellatur Iesus, hoc est, Saluator, quia saluabit populum suum à peccatis suis. Dicitur quoque iudex, quia Pater omne iudicium ei dedit, non solùm ratione gubernationis, sed etiam ratione infligendæ pœnæ temporalis & æternæ. Ideóque etiam non tantùm dicet in illo die, VENITE: sed etiam dicet, ITE in ignem æternum.

Matth. 1. Ioan. 5. Matth. 25.

Christus in impijs non est ociosus.

Sic Christus in terris, cùm impij ad Cœnam Domini accedunt commixti pijs, non quidem operatur in eis salutem: sed sicut non desinit in se ipso Saluator esse, ita in illis quoque minimè ociosus est, sed eos iudicat: sicut paulò antè dictum est, quòd iudicium manducent, & rei corporis & sanguinis Christi fiant.

D. BEZA.

An causa damnationis sit in Christo.

Non audio probationem. Et quæro: An causa damnationis sit in Christo? Glossam audio non Textum.

D. IACOBVS.

An glossam afferam, vel aperta Scripturæ testimonia, eaq́ minimè violenter detorta, sed perspicua & planissima: in iudicio auditorum repono. Non enim puto, aliquid magis apertè verbis Spiritus sancti demonstrari posse, quàm hoc loco ex verbis Pauli à me ostensum & probatum est.

Sed vt ad quæstionem propositam disertè & perspicuè respondeam, suprà dictum est: Causam damnationis, propter quam homo damnatur, esse in homine & ex homine, non in Deo, neque etiam ex Deo. Ea autem neminem damnaret, nisi iustitia Dei, Christi iusti Iudicis, & eius executio accede-

ret

ret. Ideoq́ue ipſa damnatio non poteſt vna ſolùm cauſa definiri, quæ inter duo verſatur, videlicet, Deum damnantem, & hominem qui à Deo damnatur.

Iudicium damnationis non vna cauſa definitur.

D. BEZA.

Iterum quæro: An cauſa damnationis ita emanet à Chriſto, ſicut ab eo emanat cauſa ſalutis?

D. IACOBVS.

An eodem modo cauſa damnationis à Chriſto emanet, ſicut cauſa ſalutis.

Reſpondeo: Nequaquam. Etſi enim virtutum in Deo eadem eſt ratio, ſi Deus ratione naturæ ſuæ conſideretur, ideoq́ue ſicut ab eo vis viuificandi proficiſcitur, ſic ab eodem quoque vis iudicandi procedit: (nam idem Deus eſt iuſtus & miſericors, qui ſaluat & damnat) veruntamen quando homines iudicandi, & ſaluandi conſiderantur: horum diuerſorum effectuum longè diuerſiſsima eſt ratio. Nam cauſa iudicij diuini, quod exercet in hominibus iudicandis & damnandis, & propter quam homines damnat: nō promanat à Deo, ſicut ſalus in ſaluandis.

Deus enim non eſt cauſa incredulitatis, propter quam homines damnantur: neque à Deo promanat incredulitas, ſed à Diabolo, & peruerſa voluntate hominis.

Quando autem homines ſaluantur: non modò miſericordia Dei cauſa eſt huius ſalutis, ſed fidei quoque tanquam cauſæ inſtrumentalis: quæ & ipſa donum Dei eſt, & à Deo & ipſius ſancto Spiritu promanat. Qua ratione nulla cauſa ſalutis eſt ex homine: ſed damnationis cauſa eſt in homine, & ex homine damnato.

D. BEZA.

Tu tranſis à Chriſto ad Deum: cùm Chriſtus ſit ſalus & vita noſtra, à quo emanant. In eo cauſa vnica ſalutis noſtræ

posita est. Causa verò efficiens damnationis vnica, est incredulitas nostra. Ideoq; dicimus, quòd incredulitas nos damnet: non Christus, aut Cœna Domini percepta.

Aliter etiam Deus, & aliter Christus considerandus est. Quoniam in solius Christi merito salus & vita nostra posita est: quæ inde in nos emanant, & nos viuificant & saluant.

D. IACOBVS.

Salus nostra à solo Christo emanat.

Verum est, me loco vocabuli (Christi) Deum posuisse: sed prorsus eadem ratio est. Cùm enim dixerim, salutem nostram ex Dei misericordia emanare: Christum quoque nomine misericordiæ complexus sum & inclusi, cum extra Christum, qui verus Deus est, Deus nemini misericors & propitius sit. Quæ igitur de Deo dixi, ea omnia de Christo dicta sunt, quòd ex ipsius misericordia & merito omnis salus nostra emanet.

Incredulitas quomodo efficiens causa damnationis.

Etsi verò incredulitas quoque efficiens causa damnationis dicatur, cùm instrumentales causæ etiam inter efficientes numerentur: non tamen propterea iustitia Christi à damnationis causa excluditur. Christus enim est, qui iudicat & damnat.

Sic fides quoque est causa instrumentalis, & ideò efficiens salutis & vitæ in credentibus saluandis. Id verò quum dicimus, videlicet, fidem quoque esse efficientem causam salutis nostræ: non obstat, quò minus solius Christi merito, omnem salutis nostræ causam adscribamus. Christus enim non solùm sua obedientia, passione, & morte omnia nostra peccata deleuit: sed idem quoque per Spiritum sanctum operatur fidem in electis, qua Christum vnà cum merito ipsius apprehendant & saluentur. Sic simul & causa efficiens principalis est Christus, & instrumentalis fides. Solius Christi, non nostrum opus est, vt ipsi soli omnis laus salutis, & vitæ tribuatur. Sicut scriptum est: Perditio tua ex te Israel, in me autem salus tua.

Ose. 13.

Ex quo

Ex quo manifestum est, quòd vel in saluandis, aut damnandis hominibus non vna duntaxat causa sufficiat, sed semper duæ concurrant, sicut dictum est. Christus est qui saluat, tanquam efficiens: fides est, quæ saluat tanquam instrumentalis causa, respectu hominis. Sic Christus est, qui iudicat & damnat, ratione iustitiæ suæ: & incredulitas quoque damnat, tanquam causa efficiens instrumentalis, propter quam homo damnatur. Nam causæ instrumentales etiam inter efficientes numerantur.

Duæ causæ in saluandis & damnandis hominibus concurrunt.

Sic fides est causa instrumentalis salutis, quia Deus neminem absoluta misericordia saluat: sed per fidem tantùm omnes saluantur, quotquot saluantur. Ita quoque iustitia Christi absoluta neminem damnat, aliàs totus mundus damnatus fuisset: sed propter incredulitatem, quæ est efficiens causa, respectu hominis, quòd mundus damnatur, Ioan. 3. Marc. 16.

Deus neminem absoluta iustitia damnat.

Sic cùm prædicatur Euangelium, (quod est potentia Dei ad salutem) non vna, sed plures causæ concurrunt. Principalis est, potentia Dei, tanquam efficiens causa salutis nostræ: instrumentalis, respectu Christi est prædicatio, seu ministerium verbi vocalis: Respectu hominum, est auditus verbi prædicati, per quem Deus fidem operatur, secundum illud Pauli: Fides est ex auditu, auditus per verbum Dei. Rom. 10.

Ita in Cœna Dominica, sunt corpus & sanguis Christi, tanquam cibus & potus vitæ æternæ, sub ratione causæ efficientis vtriusque, salutis videlicet, & iudicij. Instrumentalis respectu Christi, est verbum, & elementa panis & vini benedicti: respectu hominum siue dignorum, siue indignorum est os hominis, quo à Christo iubentur homines oblatum panem & calicem, edere & bibere. In qua actione, Christus pro dispositione cuiusque hominis, hoc pane & calice communicantis, vel vitam vel iudicium operatur.

Potest

D. BEZA.

Poteſt ne Reuerentia tua dicere, incredulitatem eſſe inſtrumentalem cauſam damnationis? Vt quemadmodum fides eſt cauſa inſtrumentalis ſalutis, ita incredulitas iudicij & damnationis?

D. IACOBVS.

Fides & incredulitas cauſæ inſtrumentales ſalutis & damnationis.

Omninò: Quoniam contrariorum eadem eſt ratio. Sicut enim ſine fide nemo ſaluatur: ſic, niſi incredulitas eſſet in damnandis, nemo damnaretur.

D. BEZA.

Cauſa efficiens ſecundum Bezam quid ſit.

Cauſa efficiens propriè ea eſt, quæ habet effectum καθ' αὑτὸ, in ſe, & per ſe: & habet vim illam in ſe, vt ſequatur eam effectus. Sed talis non eſt fides. Ergo non eſt cauſa efficiens.

Hîc Antonius Faijus, D. Bezam de cauſis inſtrumentalibus monuit ex Ariſtotele, ne ampliùs de his cum D. Iacobo contendat: Eas enim quoque inter efficientes cauſas numerari.

D. IACOBVS.

Diſcrimen cauſarum efficientium.

Cauſarum efficientium non eſt eadem ratio. Aliter enim ſe habent principales, & καθ' αὑτὸ efficientes: aliter inſtrumentales. Sic Deus eſt καθ' αὑτὸ & abſolutè cauſa efficiens, omnium creaturarum, ad quas creandas nullo inſtrumento indiguit. Nunc in creatione hominis vtitur inſtrumentis, Mare, & Fœmina. Non autem eſt fides ex cauſis καθ' αὑτὸ efficientibus ſalutem: ſed duntaxat, ſicut diximus, inſtrumentalis, quæ ſine Chriſto efficiente cauſa, ſalutem præſtare non poteſt.

Sic

Sic scriptum est: & erunt omnes à Deo docti: sed hoc nihil prohibet, quo minùs etiam verbi ministri inter causas efficientes, non καθ' αὑτὸ, sed instrumentales numerentur, per quos prima & princeps causa Deus homines conuertit, qui etiam sine ipsorum ministerio & voce, homines conuertere posset.

Ioan. 6. Isa. 48.

Quæ causæ in conuersione hominis concurrant.

Non igitur potentia Dei, à verbo Euangelij prædicato separanda est: propter quam vocale verbum seu scriptum, seu prædicatum, à Paulo potentia Dei appellatur. Quicunque enim hoc audit, non inanem sonum, sed potentiam Dei audit.

Potentia Dei à verbo vocali non separanda.

Quando autem fides, & incredulitas inter se conferuntur, vnde proueniant, sine quibus nemo saluatur, aut damnatur: res manifesta est, quòd eorum non eadem, sed longè diuersissima ratio sit. Nam fides donum & opus Dei est: Incredulitas autem Diaboli opus in homine. Et quemadmodum per fidem, quæ opus Dei in nobis est, saluamur: sic per incredulitatem, quæ opus Diaboli est, damnamur. Non autem propter fidem saluamur, quemadmodum propter incredulitatem damnamur. Incredulitas enim meretur damnationem: Fides autem ita donum Dei est in nobis, vt ipsa non tanquam opus vitam æternam mereatur, quoniam imperfecta est, & nemo tam firmiter (quàm firmiter credere tenetur) credit: sed fides apprehendit Christi meritum, quod solius Christi obedientiæ tribuitur.

D. BEZA.

Dico Christum non receptum, sed repudiatum impios damnare: ideoq́ solam incredulitatem causam efficientem damnationis impiorum, non Christum, esse dico.

D. IACOBVS.

Quæro igitur, Reuerende Domine Beza: num impij seipsos damnent?

R D. BEZA.

D. BEZA.

Impij dant causam Deo, vt eos damnet. Christus pronunciat sententiam.

D. IACOBVS.

Quomodo Christus damnet.

Quæro iterum: An Christus solùm pronunciet sententiam?

D. BEZA.

Non solùm pronunciat, sed etiam fert sententiam Christus contra impios.

D. IACOBVS.

Duæ causæ in iudicio concurrentes.

Manet ergo verum, quod dixi: iudicium, quod manducant impij, non vna solùm causa, sed duabus causis definiendum esse, videlicet, incredulitate hominis, & iustitia Christi: quæ in hoc iudicio & condemnatione concurrunt.

Christus executor iustitiæ.

Christus causa efficiens iudicij.

Et experti sunt Corinthij: quòd Christus non solum pronunciauerit & tulerit sententiam, sed etiam opere executus sit iustitiam, iudicando, hoc est, puniendo. Quod certè aliud est, quàm pronunciare tantùm, & ferre sententiam. Quapropter cùm iudicium sit executio iustitiæ, quod Christo à Patre traditum est, Christus est & manet eius causa efficiens.

Nemo absoluta Dei misericordia vel iustitia saluatur aut damnatur.

Quomodo causa iudicij & salutis sit in hominibus.

Quia verò Christus neminem, vel absoluta misericordia saluat, vel absoluta iustitia damnat: intrepidè dico, tam causam salutis in pijs, quàm causam iudicij in impijs esse hominibus. Hoc autem discrimine, seu hac differentia posita: quòd fides non sit ex hominibus, seu ipsorum viribus, sed ex Deo, tanquam donum Dei, quod virtute Spiritus sancti per verbum prædicatum operatur: Incredulitas autem à Diabolo est.

Hæc

Hæc causa damnationis efficiens est, sicut tu ipse in Thesibus vestris, & in hac collatione affirmas, & minimè negas: non autem sola, sicut paulò antè dictum est. Nisi enim iustitia Christi, & eius executio accederet: neque Diaboli, neque homines impij damnarentur: qui seipsos nunquam damnarent, si in ipsorum potestate positum esset.

D. BEZA.

Christus decreuit, & pronunciauit sententiam contra damnatos, non propter receptum, sed propter spretum corpus & sanguinem ipsius.

D. IACOBVS.

Christus non solum decreuit, & pronunciauit sententiam iudicij & damnationis contra impios: sed etiam exequitur decretam & pronunciatam sententiam: sine qua executione, decreta & pronunciata sententia, fulgur ex peluí esset. Neque enim Diaboli, vel seipsos, vel damnatos affligent tantùm: sed iustitia Dei affliget, & ipsos Diabolos, & homines: Cuius imperium ratione suæ iustitiæ se in infernum vsque, & non solùm in cœlos misericordia eius extendit.

Christus est executor iustitiæ Dei in impijs.

D. BEZA.

Fides non est salus, sed est illud quod apprehendit salutem, quæ est Christus. Sic Christus decernit & pronunciat sententiam: sed causam iudicij inuenit extra se in homine impio, videlicet incredulitatem. Ideo non est causa iudicij, seu damnationis: Ipse autem homo huius iudicij causa vnica efficiens est.

D. IACOBVS.

Nunc aliquoties dictum est, fidem non eo modo causam

salutis esse, quemadmodum incredulitas iudicij. Sed ex argumento D. Bezę planè contrarium sequitur, quod ipse probare intendit.

Inuersio argumenti D. Bezæ.

Sicut enim fides non est ipsa salus, sed Christus est salus, quem fides apprehendit: ita incredulitas non est ipsum iudicium, sed id quod respuit quidem Christum Saluatorem, sed apprehendit & mouet iudicem, qui est Christus, iudicantem impium propter incredulitatem. Quemadmodum ergo fides sine Christo nunquam saluaret: ita incredulitas sine Christo nunquam damnaret. Quoniam pater (sicut ipse Chistus loquitur) neminem iudicat, hoc est, extra Christum, & sine Christo, Deus pater neminem iudicat: sed omne iudiciū filio dedit, *QVIA FILIVS HOMINIS EST.*

Ioan. 5.

Et vt me rectè tua Reuerentia intelligat: Quoniam disputatio de causis efficientibus, & instrumentalibus ad Philosophiam pertinet, quam pauci ex auditoribus intelligunt: disputationem de terminis artis, hoc est, de causis efficientibus καθ' ἀυτὸ, & efficientibus instrumentalibus omittentes, de re ipsa dicamus.

Ezech. 18.

Quomodo Deus homines saluet & damnet.

Ego enim apertè dico: Deum neque peccati incredulitatis, neque damnationis causam esse. Sicut enim Deus non vult peccata: ita non vult mortem. Saluat autem hominem non absoluta voluntate, sed ad salutem dispositum: Sic quoque neminem damnat absoluta voluntate, sed ad damnationem dispositum. Dispositio ad salutem in homine requirit fidem, quæ reddit hominem habilem ad salutem recipiendam, quæ omnis in Christo reposita est. Absque fide enim inquit Apostolus, impossibile est Deo placere. Item, Iustus ex fide viuet.

Dispositio hominis ad vitam & salutem.

Heb. 11.
Hab. 2.

Ita quoque impius ad damnationem dispositus est per incredulitatem. Nemo enim nisi incredulus damnatur.

Dispositio hominis ad damnationem.
Marc. 16.

Sed discrimen in eo apparet, quòd Christus non modò salus est, sed ipse quoque hominem ad salutem percipiendam disponit, & per auditum Euangelij fidem in eo operatur. In impijs autem, incredulitatem non operatur, quæ opus Diaboli

Discrimen dispositionis ad vitam & mortem respectu Dei.

boli est, quam inuenit in impijs: qui cum sint & maneant contemptores verbi Dei, nec volunt discere à patre, qui per filium, per Apostolos, per synceros ministros loquitur: ideo in sua ipsorum incredulitate permanentes & perseuerantes iudicat, hoc est, non solum decernit & pronunciat sententiam, sed etiam efficaciter in ipsis eam exequitur.

D. BEZA.

Dispositio fidei, & incredulitatis tamen differunt naturâ sui. Nam fides quidem disponit hominem: sed non quòd propter ipsam homo saluetur, sed vt possit recipere Christum, qui est salus. Sed incredulitas ita disponit hominem ad damnationem, vt ipsa, sine respectu alterius, Deum impellat ad condemnandum: quod fit non quia Christum recipit, sed quia contemnit & respuit.

Sic audio aliquem mihi loquentem: sed quia Germanicè loquitur, non intelligo: quod perinde est, ac si non audirem, & ille mihi non loqueretur. Imò diaboli audiunt Christum, & intelligunt, & tamen non percipiunt eius verbum, quia non credunt. Fides autem aliquid amplius requirit, quàm auditũ duntaxat verbi prædicati. Nam de fide electorum propriâ loquimur, quæ sola saluat: quæ non modò percipit sonum, sed percipit rem ipsam sono expressam, & applicat sibi promißiones vniuersales de gratia in Christo promissas. Simile de homine ignota lingua loquente.

De hoc auditu loquitur Paulus ad Rom. 10. capite, quum dicit: quòd fides sit ex auditu verbi Dei: quod tantùm de fidelium auditu intelligitur, qui non modò sonum externum percipiunt, sed rem sono expressam quoq; intelligunt, percipiunt, & sibi applicant.

D. IACOBVS.

Incredulitas simpliciter & per se neminem damnat: sicut fides per se, & simpliciter neminem saluat. Sed sicut fides respectu Christi tantùm, cuius meritum per fidem homini applicatur, saluat: sic incredulitas respectu Christi damnat, cuius meritum non recipit, neque sibi applicat. Iudicem autem repellere non potest: quem in Cœna Domini, non minùs ore percipit, quàm pius & fidelis.

Deprauatio verborum Pauli, Rom. 10.

Mirabilis autem verbòrum Pauli explicatio est, qua Reuerentia tua dicit: Paulum tantùm de fidelium auditu loqui: cùm Paulus eo loco doceat, non quomodo fideles audiant, sed quomodo ex infidelibus fideles fiant, videlicet per auditum verbi Dei. Loquitur enim de externo auditu verbi, qui fidelibus, & infidelibus communis est. Sicut etiam de externa prædicatione, seu verbo vocali loquitur, quod pijs & impijs, fidelibus & infidelibus commune est. Quomodo (inquit) credent, de quo non audierunt? Quomodo autem audient, absque prædicante? Hęc verba omnia de externa prædicatione, & de externo auditu loquuntur, quę D. Beza ad internum refert, & ab externo separat: Quasi electi aliud verbum audiant, quàm damnati.

Rom. 10.

Inuersio argumenti ab analogia verbi prædicati, ad Cœnam Domini.

Rectè autem accommodatur hic locus ad explicationem verborum Pauli, quae ex Epistola 1. Corinth. 10. produximus: Panis, quem frangimus, communicatio corporis Christi est. Quemadmodum enim per verbum externum prædicatum offertur potentia Dei pariter ad salutem credenti, & ad iudicium non credenti: Sic per panem Cœnæ Domini offertur corpus Christi, omnibus in Cœna Domini vescentibus, vel ad salutem, vel ad iudicium. Et sicut infidelium auditorum aures non percipiunt tantùm sonum verbi prędicati, sed etiam rem verbo prædicato allatam, idem videlicet planè verbum, quod piorum aures percipiunt, non ab illa potentia separatum: ita etiam impij in Cœna vescentes, corpus Christi ORE SVO accipiunt, quod pij SVO ORE accipiunt.

Sicut

Sicut enim externum verbum, seu prædicatio & lectio verbi Dei, est organum, per quod Deus in animis hominum concionatur: sic panis & vinum Cœnæ Domini sunt organum, per quod Christus corpus & sanguinem suum, vel ad fidei nostræ confirmationem, vel ad iudicium communicat.

Quod autem non omnium corda conuertit, neque potentia hæc verbi salutem in omnibus operatur: Spiritus sanctus causam apertè ostendit.

Quidam enim prorsus audire nolunt, sicut scriptum est: Quoties volui congregare filios tuos, sicut Gallina pullos suos: ET NOLVISTI. Actor. 7. obturarunt aures, ne audirent verbum Dei ex ore Stephani. Hi quoniam organum Spiritus sancti contemnunt, per quod Spiritus sanctus fidem operatur: ideo nunquam conuertuntur, sed damnantur. Et tales sunt illi, qui extra Ecclesiam Dei, in cæcitate mentis suæ ambulant. Causæ cur non omnes ad fidem Christi conuertantur. Matth. 23. Actor. 7.

Deinde sunt impij in ipso Ecclesiæ cœtu, & externa professione fidei etiam membra Ecclesiæ: qui audiunt quidem verbum Euangelij prædicatum, sed oscitanter, quia non accedunt studio discendi à patre. Perinde ergo est, ac si non audirent: Ideoque etiam in illis virtutem suam non exerit ad conuersionem, sed ad iudicium. Sicut inquit Christus: Sermo quem ego locutus sum illis, iudicabit eos in nouissimo die. Ioan. 6. Ioan. 12.

D. BEZA.

Paulus eo loco incipit à fide: non ergo agit de sola prædicatione externa. Audiri enim potest verbum Dei, vt ipse sonus tantùm audiatur, non res sono verbi expressa: Vt si quis homini lingua ignota loqueretur: Sic impij quidem audiunt verbum prædicatum, sed rem ipsam non percipiunt.

Ad eundē quoq; modū Sacramenta habent rem externā, panem & vinū: hæc impij sibi applicant: sed corpus & sanguinē Christi his significata, quia fide carent, nō percipiūt.

D. IACO-

D. IACOBVS.

Paulus Rom. 10. de externo auditu verbi Dei loquitur.

Reuerende Domine Beza, Paulus non à fide, sed à prædicato verbo incipit, & ab effectu ad causam procedit, quæ fidem præcedit. Nam prædicatio verbi tanquam causa, præcedit fidem tanquam effectum, & non fides prædicationem. Et contextus totus eius loci indicat, Paulum de externo auditu loqui. Sunt enim correlata, prædicare & audire. Quomodo audient, inquit, si non prædicabunt? Ideoq́ue etiam Paulus Romanos ad auditum illius verbi externi reuocat. Non dicas (inquit) in corde tuo, quis ascendet in cœlum? Propè est verbum in ORE ET IN CORDE TVO. Audis verbum esse IN ORE? & idem quoq́, & non aliud verbum IN CORDE? Ideoq́ue Paulus non à fide, sed ab externa prædicatione verbi Euangelij incipit: & eos credere non posse dicit, nisi PRIVS illis verbum prædicatum fuerit.

Discrimen Iudicij.

Etsi verò etiam illi damnantur, qui non audiuerunt, & non crediderunt: fortiùs tamen damnantur, & maior est damnatio eorum, qui audiuerunt, & non crediderunt, quàm qui non audiuerunt, secundum illud Christi: Si non venissem & locutus fuissem illis, peccatum non haberent. Sic in Cœna Domini etsi iudicantur quoque contemptores Sacramenti, quòd eo non vsi sunt: fortiùs tamen damnantur, & maius illorum iudicium est, qui Sacramentum, hoc est, non signum duntaxat, sed rem quoque signatam accipiunt indignè: de quibus dicit Paulus, quòd iudicium manducent, quia non dijudicent corpus Domini. Hæc omnia, tam aperta, & manifesta sunt, vt mirum sit, posse hominem Christianum in his hæsitare, ne dicam contra ea disputare.

Ioan. 15.

D. BEZA.

Confirmatio D. Bezæ, quòd corpus Christi ore non percipiatur.

Quòd ore corpus Christi in Cœna Dominica nō percipiatur, aut percipi posit: quàm plurima Scripturæ testimonia manifestè confirmant. Quoniam in cœlis nunc est et non in terra.

terra, sicut oramus: Pater noster qui es in cœlis: Ad quos Christus suo corpore ascendit. Item: Vado vobis parare locum: Relinquo mundum: Peregrinamur à Domino: Cupio dissolui et esse cum Christo: Superna quærite, vbi Christus est ad dexteram Patris: Ille in nubibus veniet: & quæ sunt his similia quàmplurima. Quæ simul omnia confirmant, corpus Christi in cœlis esse, non in terris: ideoq; non esse eo loco, vbi panis: neque externo ore percipi, sed fide tantùm: quod per panem MENTI tantùm præbeatur, non corpori. Mar. 16. Ioan. 14. 16. 2. Cor. 5. Phil. 1. Col. 3. Act. 1.

Præterea verba Pauli: Quis ascendet in cœlum, &c. sunt verba hæsitantis: quam hæsitationem Paulus damnat. Non enim vult, vt absque medio in cœlum assurgamus. Et non simpliciter negamus, non posse de externo auditu intelligi: sed certum tamen est, Paulum de interiore auditu loqui. Rom. 10.

D. IACOBVS.

Quòd ad Scripturæ testimonia attinet à D. Beza allata, quibus demonstrare conatur, Christum corpore suo ita in cœlis esse apud Patrem, vt nobiscum non simul etiam sit in terris præsens: Respondeo, Testimonia allegata malè ad hoc Mysterium accommodari. Nam Christus quidem corpore suo in cœlis est apud Patrem, quod negari non potest: sed quod addit D. Beza: ET NON IN TERRIS: contradicimus. Etenim non minùs illustria testimonia habemus de illius præsentia in terris: Ego sum vobiscum omnibus diebus: Vbi duo vel tres, &c. Ascendit supra omnes cœlos, vt omnia impleret. Quapropter etsi vnus est Christus, & non duo, alter in cœlis, alter in terris: duplex tamen corporis, seu humanitatis eius consideratio est. Altera, quatenus verum, & essentiale corpus, nostris corporibus, excepto peccato, simile est: quod essentiales proprietates veri corporis retinet, & nunquam deponit.

Corporis Christi duplex consideratio.

Et hac ratione consideratum corpus Christi, duntaxat nunc

Quomodo Christi corpus in cœlis, & non in terris.

nunc in cœlis, hoc est, in statu alterius seculi est, cum Deo patre, & non in terris.

Sicut autem cùm oramus: Pater noster, qui es in cœlis: Pater non ita in cœlis est, vt in terra præsens non sit, aut non esse dicatur: est enim etiam nobiscum in terris, qui cœlum & terram implet, Ierem. 23. Sic quoque Christus non ita proprietate corporis sui, seu, vt Augustinus loquitur, propter veri corporis modum est in cœlis, vt non etiam alio modo suo corpore nobiscum in terris esse possit: Cùm corpus eius in diuinitatis proprium thronum (qui neque locus, neque in loco est) translatum & collocatum sit. Cœlum, inquit Dominus, Esa. 66. mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. In hunc thronum nullus beatorum hominum, vel angelorum, collocatus est: sed soli filio hominis Christo dictum est: Sede à dextris meis. Quî ergo non haberet modum in illo throno, quo nobis in terris quoque præsens esse posset?

Quando corpus Christi simul in cœlo & in terris esse possit.

Corpus Christi in thronum Deitatis proprium collocatum.

Psal. 110. Heb. 1.

Quapropter omnia Scripturæ sacræ testimonia, quæ de absentia Christi in terris loquuntur, simul omnia de Christo dicuntur, & intelligenda sunt, *NON SIMPLICITER*, quasi nullo modo adsit: sed secundum QVID, hoc est, de veri corporis modo, seu proprietate corporis, qua tanquam corpus sine vllius rei respectu, in sua essentia consideratur, & intelligitur.

Loca Scripturæ de absentia Christi in terris, quomodo intelligenda.

Nihil autem per ea maiestati Christi derogatur, qua in throno maiestatis diuinæ proprio collocatus, etiam in terris, in verbo & Sacramento Ecclesiæ suæ TOTVS, & TOTVM adest, Deus & homo, Diuinitate & humanitate sua: de qua suo loco plura.

De verbis Pauli: Non dicas in corde tuo: vt maximè sint hominis hæsitantis, qui cæcutiens viam salutis quærat: certum tamen est, quòd ijs verbis homines *AD AVDITVM EXTERNI VERBI EXTERNVM*, tanquam ad organum & instrumentum Spiritus sancti, Paulus reuocet: per quod ad agnitionem Christi homines perueniant.

Et quòd de SOLO externo, & non de interno audito intelligat,

telligat, ipsa verba expressè docent. Cùm enim auditus interior sit ipsa fides, seu fidei effectus, manifestum est, Paulum de illo interno auditu non loqui, cùm doceat fidem illam per AVDITVM VERBI dari, qua homines carent, priusquam audiant, & per verbum prædicatum Dominus fidem hanc in auditoribus operetur.

Consistit ergo immotum argumentum meum: Quemadmodum aures hominis sunt organum & instrumentum, per quod in externo auditu verbi prædicati recipiunt æternum Dei verbum, quod propriè est potentia Dei ad salutem omni credenti, propter quod, verbum externum potentia quoque Dei est & dicitur: Ita etiam in Cœna Domini externum os hominis, est organum & instrumentum, respectu hominis, per quod corpus Christi cum pane, vel per panem, (nam voculam IN declinas, propter metum opinionis de inclusione locali corporis Christi in pane) non solùm MENTI, sed etiam ORI præbetur, exhibetur, & etiam ore percipitur.

Sicut enim MENS per fidem in verbum promissionis respicit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, quo verbo MENTI offertur & exhibetur corpus Christi: Ita os corporis & oculi ad panem respiciunt, qui est communicatio corporis Christi: hoc est, respectu Dei organum & instrumentum, à Christo ad sacramentalem perceptionem corporis sui ordinatum.

Christi corpus per panem cœnæ Domini ori & menti simul offertur & exhibetur.

Quapropter manifestè falsum est, cùm dicitur: Quod pijs est Sacramentum, id impijs duntaxat panem & vinum esse. Nam incredulitas nostra non facit fidem Dei irritam. Et Sacramentorum substantia, non à nostra dignitate, aut fide pendet, sed solùm à verbo instituentis Sacramentum: quod incredulitas hominis mutare non potest, si institutio et vsus à Christo institutus seruetur.

Impij etiam integra Sacramenta percipiunt.
Rom. 3.

Et nota est similitudo Christi de homine seminante semen bonum: quod tamen in quarta parte agri solùm fert fructum. Non est aliud semen, quod in viam, quod super petram, & inter spinas cadit: sed illud ipsum semen, quod in terra bona fructum profert. Vis seminis in omnibus est vna & eadem: sed non in omnibus fructum fert.

Similitudo de semine. Matth. 13.

Verbum prędicatum ad corda impiorum penetrat.

Eadem ratio quoque est verbi prædicati in auribus & cordibus piorum & impiorum, eandem vim vbique secum retinens: non autem in omnibus proferens.

Ioan.12.15.

Nam non solùm aures, sed etiam corda impiorum transit verbum auditum, eosque coram Deo inexcusabiles reddit: qui virtute huius verbi excitati, interdum de emendatione vitæ cogitant: sed denuò ad vomitum redeunt, cùm Sathan verbum ex corde rapit, & deinceps ad flagitia & scelera impellit.

Luc. 8. Matth.13.

Ex quo intelligitur, verbis Christi verba Pauli consentire, & vtrunque duntaxat de externo auditu verbi loqui, qui pijs & impijs communis est. Vnum autem, & idem verbum in auribus piorum & impiorum esse.

D. BEZA.

Ego ipse distinxi inter auditum internum, & externum verbi. Oportet enim nos non solùm per externum verbum, sed etiam internè doceri: Sicut Iohan. 6. scriptum est: Et erũt omnes à Deo docti. Aliâs exterior doctrina nihil prodest. Et loquitur Christus in similitudine de semine, de generali fide. Habet enim fides sua rudimenta. Sicut fœtus in vtero mulieris, primùm formatur ex semine concepto: Ita etiam fides ab initio auditus verbi, est imperfectus fœtus, quæ sua incrementa habet, & non in omnibus ad perfectionem suam peruenit, quia verbum non apud omnes procedit. Sicut Diaboli quoque habent fidem, de qua Iacobus, & contremiscunt: Ita etiam eorum fides non est vera fides, apud quos semen in viam, super petram, & inter spinas cadit.

Ioan.6.

D. IACOBVS.

Reuerende D. Beza: Tu de verbo interrogatus, respondes de fide. Dico enim & manifestè probaui, verbum Dei verum, viuum, & viuificum esse, & sua natura manere, non modò in auri-

auribus, sed etiam in corde hominis NON CREDENTIS, quamuis impios non viuificet. Nam hoc quæsitum fuit: an verbum, quod impius audit, & non credit: & quod in cor eius penetrat, sit duntaxat SONVS, an verò ipsum verum Dei verbum viuum, quod in cordibus piorum fructificat: in impijs autem nullum fructum fert. Ad hoc cum tibi respondendum esset: de fide, & eius incrementis, de generali & diabolorum fide disputas: quæ omnia extra controuersiam posita sunt. Verbum Dei viuum in corde impij.

D. BEZA.

Nemo negat.

D. IACOBVS.

Quamobrem ergo Reuerentia tua contendit: non verbum Dei, sed nudum sonum esse in auribus impiorum? Et de duplici verbo disseruit, interno & externo: cùm vnũ sit verbum Dei in cordibus piorum & impiorum.

Deinde quamuis verum est, quòd omnes oporteat à Deo doctos fieri, & non solùm exteriùs, verùm etiam interiùs doceri à Deo: tamen hoc quoque verum est, quòd Deus interiùs non nisi per externum verbum doceat, nisi velimus homines ad occultas reuelationes citra verbum remittere, quod fanaticum est. Quapropter ex tua Reuerentia quæro: An idem verbum sit in auribus & corde impij, quod est in auribus & corde pij, quando prædicatur? Ad hoc cupio mihi Categoricè responderi. Quomodo omnes à Deo docti fiant & doceantur.

D. BEZA.

Quæstio est: an percipiatur ab impijs.

D. IACOBVS.

Oportet priùs statuere: an sit idem verbum, priusquam de perceptione disputetur. Ad hanc quæstionem cùm responsum fuerit, deinde quoque ad alteram respondebitur: An ab impijs percipiatur, nec ne? Nam duæ sunt distinctæ

quæstiones: altera de verbo, quod ab impijs auditur: an sit idem, adeoque verũ verbum Dei, cum eo, quod pij audiunt. Altera verò, an & quomodo illud percipiant pij & impij.

Ad vtramque autem quæstionem nos apertè respondemus: Esse in vtrisque pijs & impijs, vnum & idem verbum Dei verum: Et ab vtrisque pariter non solùm auribus percipi, sed etiam in cor penetrare. Et inde argumento, quod D. Beza attulit, inuerso, ad Sacramentum Eucharistiæ sic argumentor: Vnum & idem corpus Christi pane Sacramenti ori piorum & impiorum in vsu Cœnæ præberi & exhiberi, ab vtrisque etiam ore percipi: Sicut verbis Testamenti Christi, & Pauli duobus testimonijs apertè probatum est.

Sicut enim verbum per aures in cor recipitur, & impiorum cor vellicat, & excitat ad aliquem amorem veritatis & salutis suæ: sed quoniam indulgent voluptatibus, aut securi sunt, eis non ad salutem, sed in iudicium cedit: Sic etiam integrum Sacramentum, non panis duntaxat, sed corpus quoque Christi cum pane oblatum, per os accipitur ab ijs, quibus ad iudicium, & non ad salutem ac vitam cedit.

D. BEZA.

An verbum auditum in cor descendat.

Verbum Dei, seu potius sonus verbi in impijs non vlterius peruenit, quàm in aures eorum: Ad cor autem eorum non descendit: aliàs si corde reciperent, etiam crederent.

Hîc D. Lucas Osiander D. Iacobo assidens, verba Christi ex Euangelista Matthæo & Luca recitauit: Qui audit sermonem regni, & non intelligit: venit ille malus, & rapit quod SEMINATVM EST IN CORDE ILLIVS. Item Lucas: Qui iuxta viam, hi sunt, qui audiunt, deinde venit Diabolus, & tollit sermonem DE CORDE eorum, ne credentes seruentur.

Matth. 13. Luc. 8.

D. IACO-

D. IACOBVS.

Hîc videt, & audit Reuerentia tua, mi Beza, quòd verbum regni, quo videlicet homines ad regnum Dei adducuntur, seminatum sit non solùm in auribus, sed etiam in CORDE: & quòd Diabolus auferat ex CORDE impiorum, ne credant & saluentur. Potest ergo cor recipere verbum, & tamen non credere.

D. BEZA.

Concedo, integra Sacramenta offerri non modò pijs, sed etiam impijs: verùm ab impijs integra non percipi, sed duntaxat externa signa, & iudicari & damnari. Sicut ægrotus audiens sibi parari Medicamentum, quod vt maximè illi offeratur, ille tamen aut non sumit, aut statim reijcit: huic Medicamentum nihil prodest, sed ægrotus moritur: Ita quoque offertur quidem corpus Christi cum pane impijs, sed illi dum vera fide non percipiunt, sed respuunt & reijciunt, iudicium sibi sumunt, & spiritualiter moriuntur.

D. IACOBVS.

Nos ab initio testati sumus, quòd de manducatione & receptione, quæ fit per fidem, ad quam tu perpetuò recurris, inter nos nullum sit certamen vel controuersia: quam ab vtraque parte iam inde ab exorta disputatione confessi sumus. Cùm igitur impij veram fidem non habeant: quis non videret, eos per fidem corpus Christi non percipere? Quemadmodum ex parte nostra quoque Capernaiticam manducationem, seu lanienam corporis Christi, semper reiecimus & damnauimus.

Sed quæstio & controuersia est de tertio modo manducationis corporis Christi: Videlicet de Sacramentali modo, qui ore fit in vsu Cœnæ Dominicæ, quem nos ex verbis institutionis Christi, & Pauli verbis apertè probauimus, & ad oculum demõstrauimus. Vbi nihil vel de fide vera, aut tẽporaria, sed duntaxat de pane dicitur, qui est corpus CHRISTI, vt ver-

vt verba Christi sonant: seu, vt Apostolus loquitur, communicatio corporis Christi. Et Christus manducare iubet: quod non significat credere, sed ore percipere. Hic etiam domino Bezæ respondendum erat, & demonstrandum, quòd talis modus tertius manducationis sacramentalis, neque in verbis Christi, neque in Pauli verbis sit expressus: quod nunquam fecit, neque etiam facere potest. Ideoq́ue quoties de hac tertia manducatione corporis Christi, quæ sacramentalis est, vrgetur: quia non audet affirmare, quòd panis solùm manducetur, semper ad manducationem confugit, quæ fit per fidem: cum de ea nulla quæstio sit. Nam omnes iubentur priùs esse fideles & credentes, & per fidem manducare corpus Christi, quàm ad Sacramentum accedant, & id percipiant. Siquidem per fidem manducare corpus Christi, nihil aliud est, quàm credere, quòd Christus corpus suum in mortem tradiderit, & sanguinem pro peccatis nostris effuderit. Quisquis hoc non verè crediderit: hunc iubemus à Cœna Domini abstinere. Eum enim aliàs ad iudicium communicaturum, si corpus Domini sine fide cum pane accipiat, qui est corporis Christi communicatio. Quæ communicatio est mysterium, quod non videtur aut intelligitur, sed creditur & sentitur spiritualiter, vel ad consolationem & vitam, vel ad iudicium. De hac communicatione in hac collatione nihil categoricè respondet Beza.

Manducatio fidei præcedit in manducationem sacramentalem corporis Christi.

Similitudo de Medicamento oblato.

Deinde accipio similitudinem de Medicamento, quod ægrotanti offertur. Nunquam verò audiui, medicamentum alicui ad mortem cesisse, quod non sumpsit. Paulus verò apertè dicit, quod eiusmodi homines sibi iudiciũ MANDVCENT: non dicit, quòd non sumant, aut respuant, aut reijciant: sed quòd NON DIIVDICENT corpus Domini, quod secundum Christi & Pauli expressa verba, sumpserunt in Sacramento.

Inuersio argumenti Bezæ, à similitudine de medicamento corporis, sumpti.

Aliter ergo, & commodissimè hæc similitudo ad propositum negotium accommodari potest. Videlicet: Quemadmodum interdum à Medico ægrotanti medicamentum exhibetur,

betur, quod ægrotans non respuit, sed sumit: verùm propter stomachi & virium imbecillitatem, virtutem suam in eo exercere non potest, & hominem occidit medicamentum, quod ad recuperandam valetudinem exhibitum & sumptum fuit. Occidit autem, non quòd per se mortem afferat, sed propter malam corporis dispositionem, quæ est in homine. Quo nomine nec deinceps medicus accusatur, quòd eiusmodi hominem occiderit: istis enim impunè occidere licet, non homines, sed morbos. Sic corpus Christi in Cœna Domini cum pane, homini propter incredulitatem & impietatem malè disposito, exhibitum & sumptum, spiritualiter hominem occidit non sua culpa, quoniam caro viuifica & corpus viuificum est, sed culpa sumentis, quoniam impius & profanus est: Ideo illi ad iudicium cedit, quod alijs vitam & consolationem adfert.

Ad hunc modum fieri potest, vt vnum & idem medicamentum simul ex eadem massa per pharmacopœum paratum, duo sumant, est vnum & idem Recipe à Medico scriptum. Et quando vterque sumit, alter euadit sanus, alter moritur statim, post haustum Medicamentum. Sic in Cœna Domini sumit vnus, sumunt mille, tantum iste quantum ille: sumunt boni, sumunt mali: sorte tamen INÆQVALI: & sumptus non consumitur: sicut dictum pium & vetus sonat.

Sed quoniam Reuerentia tua, contra manducationis hunc tertium modum, quem sacramentalem Patres appellant, ascensum Christi localem, & commorationem eius in cœlo localem aliquoties mihi obiecit & vrsit: Quæro igitur: an ascensus ad Deum patrem fuerit localis?

De ascensu Christi ad patrem.

An ascensus Christi ad patrem sit localis.

D. BEZA.

Non dubito.

D. IACOBVS.

Quantum ergo itineris, & quot millaria ei conficienda

da fuerunt, donec perueniret ad patrem suum, ad quem ascendit.

D. BEZA.

Ego non sum mensus. Dominus nouit.

D. IACOBVS.

Quòd non de locali ascensu possit intelligi, ad oculum omnibus auditoribus demonstrabo. Nam Ioan. 14. cap. scriptum legimus: quòd Christus Philippo dixerit: Non credis, quòd ego in patre sum, & pater in me? Philippe, qui videt me, videt & patrem meum. Hæc Christi aperta verba nullam glossam admittunt, & apertè testantur: quòd pater non modò cum Christo, SED IN CHRISTO FVERIT, cùm adhuc in terris versaretur. Quid igitur opus fuit locali ascensu, vt ad patrem suum perueniret, secundum vestram opinionem? Hic cupio mihi Categoricè responderi.

Ioan. 14.

D. BEZA.

Christus voluit dicere, se diuinitatis ratione esse vnum cum patre. Agit enim de diuinitatis natura, in qua distinguuntur personæ, non duæ essentiæ. Loquitur ergo Christus de λόγῳ incarnato, seu persona incarnata, quam videbat Philippus. Ergo sciendum, quòd DISCESSV demum impleuit, quod Philippo dixerat. Et sufficiat nobis fides Centurionis.

D. IACOBVS.

Ego de præsentia quæro: An pater cum Christo in terris præsens fuerit, cùm hęc verba loqueretur. Hic responde. Non enim potest essentia à persona separari. Si essentia Diuinitatis adest, adest igitur & persona quoque: quod nunquam fallere potest. Et vos semper dicitis: Patrem in cœlis

lis esse illis summis, qui nomine dexteræ Dei intelligantur.

D. BEZA.

Non aderat Pater Christo in terris eo modo, vt Christus esset in gloria.

D. IACOBVS.

Hic nulla etiam fit mentio gloriæ, aut humanitatis: sed simpliciter de præsentia Patris in Christo sonant verba eius. Pater, inquit Christus, EST IN ME, & ego in patre: de hac duntaxat præsentia quæritur, non de gloria.

D. BEZA.

Pater & Filius sunt vnus Deus. Christus autem eo loco de se non agit simpliciter, tanquam de λόγῳ, hoc est, ratione Diuinitatis. Sed quoniam vtitur vocabulo videndi, ideo iussit Philippum videre & aspicere ipsum tanquam hominem, qui tamen sit verus Deus, quem nunc non ampliùs videmus.

D. IACOBVS.

Quæstio etiam non est de videndo Filio Dei, quomodo illum viderit Philippus. Nam extra controuersiam est, filium Dei non videri externis oculis, sicut corpus videtur. Ideóque certum est, quòd Philippus Christum Filium Dei non viderit, in proprietate essentiæ diuinæ, sed quatenus homo visibilis factus est. Quomodo Philippus filium Dei viderit.

Ideóque etiam hoc responsum, sicut priora de sensu verborum Christi, nihil ad quæstionem propositam facit. Nam de præsentia quæritur: An pater in terris verè, substantialiter, & essentialiter in Christo fuerit præsens, cùm hæc verba Christus loqueretur: vnde manifestè constabit, an de locali ascensu verba Christi intelligenda sint, quo Christo opus fuerit, DONEC ad patrem suum peruenerit.

Visibilis ascensus Christi ad cœlos, historicus.

Nam quod ad veritatem visibilis ascensus Christi in cœlum attinet: historia Actorum 1. capite, omnibus nota est, quòd Christus suo corpore à terra eleuatus ad aspectabiles cœlos sit euectus, & quòd nubes illum ab oculis eorum susceperit. Hanc ascensionem localem fuisse, nemo sanus negare potest.

Sed hoc quæritur: An illo locali ascensu opus fuerit Christo, vt ad Patrem perueniret: & quòd ante localem ascensum in cœlos cum patre non fuerit, nec sine illo ad patrem peruenire potuerit: hoc, inquam, quæritur: ad hoc Categoricè respondendum erat, sicut nunc aliquoties quæsitum est.

D. BEZA.

Non dicimus, quòd opus fuerit tali ascensu, vt perueniret ad Patrem: Sed vt perueniret ad cœlestem illam gloriam, quæ SITV ET NATVRA loci à terris distat.

D. IACOBVS.

Christus per resurrectionem in suam gloriam ingressus est.

Hæc glossa, & interpretatio verborum Christi, similiter quoque locum habere non potest. Quia Christus per resurrectionem suam ingressus est in suam gloriam, sicut Scriptura apertè confirmat: & nihilominus suis discipulis quadraginta diebus in terris ante illum visibilem ascensum conuersatus est. Quapropter ad ingressum suum in gloriam, tam non opus fuit illi hoc visibili ascensu, quàm ad præsentiam illam, qua cum Patre esset.

De situ, & gloria cœlorum humana somnia.

Quæ autem vos dicitis de SITV, ET NATVRA cœlorum, & gloria, ad quam Christus cum beatis hominibus supra aspectabiles cœlos ascendisse, à vobis creditur: humana & merè carnalis est imaginatio & phantasia, qua regnum cœleste & spirituale, quod gloria & beatitudine definitur, in similitudinem regni mundani transformatur.

D. BEZA.

D. BEZA.

Concedo sanè, quòd initium illius gloriæ fuerit, in quam Christus post resurrectionem suam ingressus est: & quòd per dispensationem ederit cum discipulis à resurrectione, vsque ad eius ascensionem. Nondum autem collocatus fuit plenè in illam gloriam, ad dexteram patris. Nam medius status est inter gloriam, qua Angeli aspiciunt faciem Dei patris: & eum statum gloriæ, in quem Christus ingressus est & fuit, donec visibiliter in cœlum ascendit: in quo medio statu homines angelorum conspectum non potuerunt ferre in terris.

D. IACOBVS.

Negare ergo non potes, quòd Christus etiam in gloriam ingressus sit, antequam visibiliter ascenderet ad cœlos. Ex quo manifestum est, te concedente, quòd CHRISTO neque ad præsentiam apud Patrem, neque ad consequendam gloriam, visibili ascensu opus fuerit.

Sed hoc quoque non ignoras, apud Scriptores Ecclesia- Triplex status Christi.
sticos triplicem statum Christi doceri. 1. Humilitatis. 2. Glo-
riæ. 3. Dispensationis. Humilitatis statum durasse vsque ad 1.
resurrectionem. Gloriæ, post resurrectionem secutum esse, 2.
qua Christus in gloriam suam ingressus dicitur. Tertium sta- 3.
tum οἰκονομίας seu dispensationis appellatum, à resurrectio- De statu œconomiæ seu dispensationis Christi.
ne vsque ad visibilem ascensionem durasse. Cùm enim disci-
pulorum fides, de vera eius resurrectione confirmanda esset,
qui gloriam resurrectionis propter naturæ imbecillitatem
ferre non potuissent: vt illis quadraginta diebus per inter-
ualla temporis conuersaretur: tectâ gloriâ alium atque alium
habitum corporis assumpsit, & nunc in persona hortulani,
sicut Mariæ Magdalenæ, nunc hominis peregrinantis,
quemadmodum duobus discipulis in Emaus euntibus, se
illis aperuit. Sic quoque D. Paulo post visibilem ascensio- Actor. 23.
nem in cœlum, non modò in die conuersionis eius, sed etiam

Christus post visibilem ascensum in coelos, in terris visus est.

postea, cùm in vinculis detineretur, IN TERRIS Christum astitisse scribitur, & Paulum confirmasse, ne reformidaret in conspectum Cęsaris venire, & de ipso testimonium perhibere.

Christus gloriam suam secum gestauit tectam.

Quod verò ad gloriam ipsius attinet, eam Christus iam inde à natiuitate, etiam in statu humiliationis secum habuit, sicut Ioan. 2. scriptum legitur: Hoc initium est signorum, quæ fecit Iesus in Cana Galileæ, & manifestauit GLORIAM SVAM. Hanc gloriam tegere voluit, donec opus redemptionis perficeret. Eam autem semper secum habuit, quoniam plenitudo Diuinitatis in ipso habitauit corporaliter: cuius gustum aliquem interdum suis discipulis præbuit. Sicut in monte Thabor factum legimus: cuius aspectu ita captus fuit Petrus, vt vxoris & totius Oeconomiæ oblitus, aliò non peteret, vt qui se in cœlo esse existimaret. Quòd si aduersarij carnales cogitationes de locali gloria, quam imaginantur, abijcerent: sese ex his labyrinthis facile expedire possent. Sic quoque patrem suum secum semper præsentem habuit, sicut inquit: Ego non sum solus, quia Pater mecum est: vt neque glorię, neque huius pręsentię causa, illi ascensu visibili opus fuerit.

Coloss. 2.

Matth. 17.

In Mysterio Cœnæ Domini omnes carnales cogitationes de locali gloria abijciendæ

Ioan. 16.

D. BEZA.

Reuelatio, de qua Actor. 23. scribitur, qua Christus Paulo apparuisse dicitur, nocturna visio fuit. Nam Christus post ascensum suum in cœlum, suo corpore in terris nunquam ampliùs præsens fuit, sed è tertio cœlo per visionem sese manifestauit.

D. IACOBVS.

Inspiciatur textus, & manifestum fiet omnibus, quòd hanc glossam vestram nō possit admittere. Sic enim verba sonant: Sequenti autem nocte *ASSISTENS EI DOMINVS*: ἐπιστὰς αὐτῷ κύριος, ait: Bono animo esto Paule. Vt enim testifi-

Hæc verba D. Osiander ex codice recitauit.

testificatus es de me Hierosolymis, sic te oportet & Romæ testificari. Vbi expresse ponitur vocabulum ἐπιστάς, ASSISTENS, quod non de visione intelligi potest. Id dum vestri interpretes contra expressam literam negant: tam varias interpretationes afferunt, vt se inuicem misere iugulent & confutent. Quod fieri necesse est, cùm veritati manifestæ cedere nolunt.

D. BEZA.

Sic de Stephano scribitur: quòd viderit cœlos apertos, & Iesum stantem ad dexteram Dei. Quæ reuelatio, sicut aliæ quoque, ex tertio cœlo facta est, vt non opus fuerit in terram descendere.

D. IACOBVS.

Hanc apparitionem minimè nego visionem fuisse: sed è tertio cœlo factam esse, cogitatio humana est, quæ se ipsam confutat. Cùm enim oculi nostri amplissima corpora cœlestia, quę magnitudine sua terram superare dicuntur, in firmamento vix videre queant: quî fieri posset, vt acies oculorum eò penetraret: & corpus humana quantitate nostris simile videret? Quapropter si visio fuit, in terra fieri potuit, vt tertio cœlo non indigeret. Sin verò ex tertio cœlo, corpore Christi ibidem existente, facta est: visio non fuit, aut esse non potuit. Et interpretes vestri etiam inter sese non consentiunt, sed se inuicem confutant.

In summa: Gloria Christi, in quam post resurrectionem suam ingressus est, nihil est locale. Quapropter ad reuelationes factas dispensatione vsus est, vt non appareret ea gloria, quam declarare potuisset, si voluisset: sed ea ratione, quam naturæ humanę imbecillitas requirit & ferre potest. Verè enim Christus, & non spectrum fuit, quod cum Paulo in itinere locutum est. Ego, inquit, sum Iesus, quem tu persequeris: & qui ei astitit in nocte illa, quando Hierosolymis captiuus tenebatur.

Gloria Christi post resurrectionem non est localis.

Actor. 9.

Videre

Cur apparitio Stephano facta, fit visio.

Videre autem Christum ad dexteram Dei stantem, hoc non est oculorum corporis, sed mentis. Quoniam dextera Dei inuisibilis est. Ideoq́ue visio fuerit necesse est, de qua Lucæ Actorum 7. scribit: Quòd Stephanus cœlos apertos, & Christum ad dexteram DEI STARE VIDERIT.

Sed, vt redeamus, vnde digresi sumus: gloria Christi, in quam ingressus dicitur, nihil locale est, sed est maiestas illa, quam quidem habuit ex vnione personali, sed in statu exinanitionis suę, forma serui sumpta texit: in cuius plenariam possessionem & vsurpationem, serui forma deposita, peruenit.

D. BEZA.

Opinio D. Bezæ de gloria Christi.

Semper habuit Christus gloriam, si de λόγῳ & diuinitate intelligas: sed non, si de humanitate intelligatur. Nam humanitas eius donata quidem est MAGNA gloria, supra omnes angelos & beatos homines: sed non ea gloria, quæ diuinitatis propria est. Eam gloriam interdum exeruit, quando libuit. Caruit itaque altera gloria, qua petit se glorificari, videlicet ea gloria, quam habuerit apud Deum, priusquam hic mundus esset, de qua quodammodo exciderat.

D. IACOBVS.

Christus gloriam suam non modò, vt Deus, sed etiam vt homo semper secum habuit.

Col. 2.

Si de gloria intelligenda sunt Christi verba, quæ Diuinitatis propria est: quomodo ea excidisse dici potest? nisi velimus dicere Diuinitatem mutabilem esse? Hanc autem gloriam non modò ratione Diuinitatis, sed etiam secundum humanitatem habuit, cùm in ipso secundum humanitatem omnis plenitudo Deitatis corporaliter habitauerit. A qua plenitudine Deitatis hæc ipsa gloria Diuinitatis non exclusa aut separata fuit. Nisi fortè dicere velimus, Deum, seu omnem plenitudinem Diuinitatis, sine sua gloria esse, aut extranea gloria ad sui glorificationem indigere, quę non sit ipsius

gloria propria. Quod planè absurdum esset de Deo cogitare: qui sibiipsi ad perfectissimam gloriam sufficit.

Quia verò hæc disputatio de gloria Deitatis, propriè ad locum de persona Christi pertinet, vbi de glorificatione Christi tractandum erit: & hora prandij est, nec Illustrissimus Princeps diutiùs cum molestia detinendus sit: eò reijciemus.

Ex his autem, de quibus hactenus collocuti sumus, constat omnibus: de duobus his capitibus inter nos prorsus non conuenire. Alterum est de præsentia sacramentali corporis & sanguinis Christi, qua cum pane corpus Christi omnibus exhibetur, quibus panis porrigitur: Alterum verò de perceptione sacramentali, qua non solùm menti, sed ori corpus Christi præsens, etiam ore corporis percipi dicitur. Nam Capernaiticam lanienam & Cyclopicam manducationem corporis Christi, vtrinque reijcimus & damnamus: sicuti nunc aliquoties repetitum est. De manducatione autem, quæ per fidem fit, nulla vnquam controuersia fuit.

In quibus adhuc dissensio sit.

D. BEZA.

Nos corpus Christi per panem Cœnæ Domini, menti repræsentari & præberi, offerrique dicimus: non autem ori corporis. Et perceptionem eius spiritualem esse tantùm affirmamus: ideóque neque à dignis vel indignis ore, sed sola fide percipi.

Quod si verò hora secunda denuò conferendum erit, non poterimus ad Theses de persona Christi allatas responsum nostrum scripto adornare. Et fratribus meis, qui mecum aduenerunt, ad Ecclesias redeundum est.

D. IACOBVS.

Toties nunc testati sumus, de illa præsentia, qua menti corpus Christi repræsentetur & offeratur: & de perceptione eiusdem,

Repetitio & inculcatio status controuersiæ.

eiusdem, quæ fit per fidem: sicut & de Capernaitica & Cyclopica laniena corporis Christi, nullam vnquam inter nos controuersiam fuisse: sed de tertio modo tantùm, qui Sacramentalis est: quo corpus Christi cum pane, non solum adesse, nec menti duntaxat, sed ori quoq; offerri dicimus: menti quidem per verbum, quæ sola verbum intelligit: per panem autem ori verè & realiter exhiberi.

Corpus Christi, quomodo menti & ori corporis in Sacramento simul offeratur.

Sic quoque mente in verbo, ore autem cum pane verè & realiter, non Capernaiticè, sed in mysterio, modo cœlesti & humano ingenio inperuestigabili percipi, secundum verbum Christi: Accipite, MANDVCATE, Hoc est corpus meum, &c.

Modus præsentiæ πιστός.

Dei autem potentiæ & sapientię committimus modum, quo id fieri possit. Cùm enim verax & omnipotens sit: fallere non potest.

Illustriss. Princeps Fridericus continuationem Colloquij vrget.

Quod ad continuationem colloquij attinet: Illustrissimo Principi consultissimum videtur, priusquam Domini peculiari scripto responsum suum ad Theses nostras adornent, articulum de Cœna Domini concludendum esse. Quod breuiter fieri poterit, nisi fortè noua argumenta pro assertione suę sententię producere voluerint: cùm ad ea, quæ & in Thesibus, & responsionibus vestris, & collatione instituta à vobis allata sunt, nostro iudicio satis responsum sit. Nec tempus deerit vobis ad alterum quoque scriptum adornandum: in quo minimè festinandum erit.

D. BEZA.

Quantum ergo intelligo, hoc vnum restat, vt à prandio primus articulus, qui est de Cœna Domini, concludatur.

D. IACOBVS.

1. Scopus instituti Colloquij.

Sic est. Auditoribus enim constare oportet, in quibus consentiamus, & in quibus dissentiamus. Et quibus fundamentis innixi, vel vos nobis, vel nos vobis cedere non possimus,

2.

mus. De quibus fundamentis deinceps singuli accuratè cogitare poterunt, vtri parti, meliore conscientia & firmiore fide adhærere posśint. Plerique enim persuasi sunt, cùm verbis nobiscum præsentiam & manducationem, non panis solùm, sed etiam corporis Christi concedatis: perexiguam aut nullam prorsus de rebus ipsis dissensionem esse. Et hoc modo controuersiam illam facilè conciliari & sopiri posse.

Communis & perniciosus error in multis, de controuersia Sacramentaria.

HORA SECVNDA POmeridiana, XXIII. Mart. &c.

LXXXVI.

D. IACOBVS.



REVERENDE & doctisśime Domine Beza, postquam placida collatione plæraque capita percurrimus, quæ in Thesibus & responsionibus vestris, & nostris, de Cœna Dominica posita sunt: eaqúe nostro iudicio sufficienter tractata sint, vt auditores omnes facile intelligere potuerint, vtra pars apertis & minimè detortis sacrę Scripturę testimonijs, aut humana glossa duntaxat nitatur, nec videantur plura produci posse: reliquum est, vt hunc articulum vel tandem concludamus.

Ἀνακεφαλαίωσις præcipuorum capitum collocutionis factæ, de cœna Domini.

1\. Primùm omnium igitur testati sumus aliquoties, quòd in Ecclesiis & Scholis nostris nunquam tradita sit Physica, seu localis præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna Domini.

De pręsentia & manducatione corporis Christi, Vvirtemb. Theologorum sententia.

2\. Quemadmodum etiam Capernaiticam & Cyclopicam manducationem corporis Christi, nunquam docuimus, nunquam scripsimus: neque in vllis nostrorum, Lutheri, Brentij, meis, aut aliorum scriptis, demonstrari potest.

 Quum

3. Falsus scopus aduersariorum.

Protestatio Vuirtenbergensium Theologorum contra omnia scripta Bezæ, & fratrum eius de cœna Domini.

Quum autem in omnibus vestris scriptis, hi duo errores nostris non modò tribuantur, & falso ascribantur: sed vnicus scopus scriptorum polemicorum vestrorum omnium, sicut theseon & responsionum vestrarum sit, vt Physicam & localem corporis & sanguinis Christi cum pane præsentiam, & Capernaiticam ac Cyclopicam lanienam carnis Christi in eadem Cœna, refutetis: Illustrissimo Principi, Comiti Friderico, & omnibus auditoribus, Baronibus, Nobilibus, Doctoribus, & Viris Ornatissimis testatum fecimus, illa dogmata de Cœna Domini ab ipsis damnata, nihil prorsus ad nos pertinere: sed nos passim per Galliam, & in alijs regnis apud optimos quoque iniustè & iniquè traduci, quasi tam crassam & impiam opinionem de Cœna Domini tueamur, à qua omnes pij meritò abhorreant & abhorrere debeant.

4. De manducatione fidei, nulla controuersia vnquam fuit.

Præterea quoque, sicut Theses nostræ habent, aliquoties testati sumus de manducatione corporis Christi, quæ fit per fidem, nullam vnquam inter nos controuersiam fuisse: sed eam à nobis adeò constanter assertam fuisse, vt docuerimus, & nostros auditores sedulò commonefecerimus, nisi per fidem corpus Christi manducauerint, priusquam ad hoc sacrũ Conuiuium accesserint, eos Cœnam Domini non ad vitam, sed ad iudicium percepturos.

Manducatio carnis Christi per fidem, quid sit.

Nam hæc manducatio nihil aliud est, quàm credere, quòd corpus Christi sit pro nobis in mortem traditum: & sanguis eius in remissionem peccatorum effusus.

Sacramentalis præsentia & manducatio carnis Christi.

Reliqua autem est tertia præsentia & manducatio corporis Christi, quæ sacramentalis dicitur: qua asseritur quòd corpus Christi secundum verba Testamenti Christi: Hoc est corpus meum: illud, inquam, ipsum corpus, sine respectu fidei aut incredulitatis hominum, verè & realiter cum pane Cœnæ adsit, modo supernaturali & cœlesti: & non solùm menti, sed etiam ori corporis virtute verbi Christi (MANDVCATE) exhibeatur, & ore corporis à credentibus ad confirmationem fidei & vitæ per fidem inchoatæ, ab impijs autem ad iudicium, percipiatur.

De

Cardo disputationis & controuersiæ de Cœna Domini.

Fundamenta assertionis sacram: præsentiæ corporis Christi in sacra Cœna.

De hac tertia sacramentali præsentia & manducatione quæstio est, in ea cardo Disputationis vertitur: quam nos verbis Testamenti Christi apertissimis (Accipite, manducate, hoc est corpus meum, &c. Bibite, hic est sanguis meus) & D. Pauli testimonijs (Panis, quem frangimus est communicatio corporis Christi: Item, qui indignè manducant, iudicium manducant, NON DIIVDICANTES corpus Domini: Item, rei sunt corporis & sanguinis Christi) ita confirmauimus, vt omnes intelligerent, ne quidem ad latum pilum à simplici & germana verborum Christi & Pauli sententia nos recedere.

Hæc doctrina de præsentia & manducatione corporis Christi, non est nostra glossa, non nostrum figmentum: sed verborum Christi, & Pauli, genuina & apertissima sententia. Hæc D. Bezæ & fratribus eius confutanda erat in collatione instituta: & si nobiscum sentire non possint aut velint, probandum illis erat, quòd hęc tertia manducatio non possit consistere, & quòd non alia corporis Christi præsentia esse queat, quàm localis & Physica, aut Relatiua, seu significatiua. Item, quòd non possit alia corporis Christi esse manducatio, quàm Capernaitica & Cyclopica laniena carnis Christi: aut quæ per fidem fit, quæ nihil aliud est, quàm in Christum credere.

Hæc si ex verbo Domini, & non humana glossa duntaxat, demonstrauerint: fatebimur eos victoriam obtinuisse: & nos paratos esse, ipsis credere, & nostram doctrinam publicè reuocare. Si verò non possunt probare, quod sanè ab ipsis hactenus non est factum: omnes auditores vident, nos à verbis simplicissimis Christi non posse recedere: nec vllam causam demonstratam esse, cur ab eis eorumque simplicissimo sensu recedere debeamus propter humanam glossam, quæ nullo testimonio Scripturæ probari, aut demonstrari potest.

D. BEZA.

Reuerende D Doctor, putauimus huius pomeridianæ col-

lationis scopum esse, non vt disputationem nouam aggrediamur: satis enim & heri & hodie disputatum est: sed vt dispiciatur inter nos, an ex illis, de quibus heri & hodie collatum est, colligi posit, in quibus consentiamus vel dissentiamus. Si autem noua disputatio persequenda est, persequamur. Sed mihi vtilissimum videretur dispicere, in quibus consentiamus vel dissentiamus: & in quibus alter alterum ferre posit, vt aliquis fructus ex hac collatione consequatur: quem hic cœtus, & alÿ quoq; absentes magno desiderio expectant & expetunt.

Consilium D. Bezæ de via perueniendi ad Concordiam.

Quapropter cum pace & venia Illustrißimi Principis, explicabo, quid mihi in mentem venerit. Nam in articulo de Cœna Domini, de quo hactenus collocuti sumus, expeditissima ratio fuerit, si nos seorsim scriptum componeremus: idem quoq; ex vestra parte fieret: vt deinceps ex communi collatione vtriusq; scripti (postquam de sensu cōtulerimus) cōmune fiat scriptum, quod in consessu auditorum legatur: ex quo cognosci queat, an pax & concordia aliqua inter nos constitui posit. Nam habemus communes hostes: & res ipsa docet, eos hoc certamine accendi, & audaciam concipere, non modò ex ipsa controuersia, sed etiam ex agendi modo, quòd tam acerbè vtrinq; hactenus pugnatum sit: qui modus agendi ostendit, animos ex vtraq; parte valdè exulceratos esse. Ego sanè pro mea persona fateor, me multa scripsisse, quæ vellem à me non scripta esse: idem etiam ex parte vestra fatebuntur.

Hæc proposita ratio, si Illustrißimo Principi placuerit, ineatur: nos ex parte nostra parati sumus eiusmodi scriptum adornare.

D. IACOBVS.

Reuerende Domine Beza, quod ad propositam rationem de scripto componendo attinet: eadem mihi & fratri meo

D.D.

D. D. Lucę Osiandro placet, & in eadem prorsus sententia sumus: vt ex collatione Scriptorum facta, colligantur: in quibus consentiamus, vel dissentiamus. Nam & hic scopus quoque Colloquij instituti fuit, vt maximè non concordia omnimoda constituatur, aut non constitui posit (quod tamen vnicè optandum esset) non modò auditores præsentes, sed etiam absentes, Galli, & Germani, & alijs in regnis pij homines in hac controuersia hęsitantes, certò cognoscerent, in quibus consensus, aut dissensio inter nos sit: cùm ab vtraque parte libelli editi, pleni querelis reperiantur, in quibus vtraque pars conqueritur, sibi ab altera iniuriam fieri, & quàm plurima falsò tribui, quę nunquam senserint, crediderint, docuerint, & scripserint. Vtra ergo pars alteri iniustè aliquid imputauerit, placida collatione doceri poterit: quod nos arbitramur in nostra collocutione de hoc primo articulo satisfactum esse. Quisquis enim cognouerit, quæ his diebus inter nos collata sunt: ex ijs facilè intelliget, quę constans & perpetua cuiusque partis sententia, & quę illius fundamenta sint.

Scopus Colloquij instituti.

Desiderium piorum in multis regnis, de constituenda Concordia pia.

Desiderio piorum in hac collatione satisfactum.

Donec ergo Domini consignationem fidei & Confessionis suæ in secundo articulo controuerso de Persona Christi expediuerint, & sententiam suam de Thesibus nostris oblatis scripto complexi fuerint: nos eiusmodi scriptum componemus. Qua ratione etiam tempus redimetur, si ab vtraque parte nos simul expedire studuerimus.

Non autem per me noua Disputatio instituta est, quod Colophonis vice quædam ex collatione facta recitaui. Ea enim instituto maximè seruiunt, quòd breuiter ostenderim, in quibus partibus, post collationem factam, vel consentiamus, vel dissentiamus. Primùm quidem de locali & Physica præsentia corporis Christi cum pane, quòd eam nunquam docuerimus vel scripserimus. Deinde quoque de Cyclopica & Capernaitica laniena corporis Christi in Cœna Domini: quam similiter apertè semper & constanter tanquam impiam damnauimus.

Anacephalæosis necessaria.

An verò hac nostrâ ingenuâ Confessione, nō videtur magnus gradus ad piā Concordiā factus? Cùm in omnib. scriptis vestris

Ad piam concordiam magnus gradus factus est.

vestris de hoc articulo, hæc duo potissimùm capita oppugnanda sumpseritis: quæ si ex scriptis vestris eximantur, *NE VNVM QVIDEM ARGVMENTVM* relinquetur, quod contra nos, nostramq́ue doctrinam hactenus produxistis. Quod vt optimi Auditores diligenter expendant, per Christum Iesum oro & obsecro.

Dissensio reliqua in quibus consistat.

Quòd ad dissensionis capita attinet: Ostendimus eam VNAM & TOTAM esse de tertio præsentiæ corporis & sanguinis Christi, & manducationis modo, in Sacramento Cœnæ Dominicæ: videlicet, an corpus Christi verè & realiter, non autem Physicè & localiter, nec etiam relatiuè & significatiuè tantùm, adsit? Item: an non solùm menti, sed corpori quoque nostro in terris præsens sit, & ore vescentium in Cœna cum pane percipiatur.

Hinc quæritur: An illum modum simpliciter negetis? an eum impossibilem esse affirmetis? quem etiam Deus ipse sua Omnipotentia re ipsa præstare non possit? Hoc, inquam, vnum quæritur.

Nam hunc præsentiæ modum vos hactenus in scriptis vestris, semper tamen sub nomine physicæ & localis præsentiæ, cùm alium modum non noueritis, non solùm tanquam absurdum, sed etiam planè impossibilem oppugnastis. Ideoq́ue etiam manducationem corporis, quæ fit ore, siue à dignis, siue ab indignis, prorsus negatis. Nihil me calumniari aut vobis falsò tribuere, præter collationem nunc factam, Theses vestræ, & omnia vestra scripta demonstrant: neque à vobis, vt opinor, negabitur.

Causa primaria erroris Caluin. de Cœna Domini.

In Responsione ad Dogma tertium.

Expressè enim Thesis in vestris respōsionibus ad nostram quartam Thesin posita, hæc verba habet: Ipsius corporis & sanguinis Christi, quantumuis glorificati substantiam *NON* » *VIDEMVS* posse re ipsa cum pane & vino præsentem statui » *ALITER, QVAM PHYSICA ET LOCALI CIRCVM-* » *SCRIPTIONE.* Quia glorificatio corpori Christi immor- » talitatem dederit, sed naturam non abstulerit. Item: quòd

DEVS

DEVS non desinat esse omnipotens, etiamsi EFFICERE NON POSSIT, vt Christi corpus vno eodemque tempore pluribus in locis essentialiter præsens, aut vt alibi NVNC SIT, quàm in cœlis. NB.

D. BEZA.

Duplex est ista quæstio, vt mihi quidem videtur: Vna continet coniunctionem corporis & sanguinis Christi cum signis: Altera verò coniunctionem nostram cum corpore & sanguine Christi.

Ad primam quæstionem: An Deus essentiam corporis & sanguinis Christi coniungat cum pane, vt IN, SVB, & CVM pane corpus Christi & sanguis eius inuisibiliter, nec tamen localiter, et circumscriptiuè ac visibiliter in terris sit præsens: non videmus, quomodo hæc verè dici, & asseri, aut simul consistere poßint. Id enim veritati corporis Christi repugnat, quæ eiusmodi præsentiam non admittit.

De præsentia σχετικῇ & relatiua.

Sacramentalem autem dicimus coniunctionem corporis & sanguinis Christi cum pane & vino Cœnæ Dominicæ σχετικὴν, id est, relatiuam signorum panis & vini in terris, ad corpus & sanguinem Christi in cælis.

Quod verò ad coniunctionem corporis et sanguinis Christi attinet cum hominibus in cœna vescentibus, fatemur, etiam corpus & sanguinem Christi nobis communicari, & à nobis percipi per Fidem, qua caro de carne, & os ex oßibus eius fiamus. Quam coniunctionem nostrûm cum Christi corpore & sanguine, cum Paulo magnum mysterium esse dicimus.

D. IACOBVS.

Ex hac responsione liquet, vos nullam prorsus præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna Domini statuere:

ſed corpus & ſanguinem Chriſti in ea tantùm ſignificari per panem & vinum Cœnæ Domini: non autem in terris VL-LO MODO REALITER pręſentia eſſe: quia non poſſit aliter præſens eſſe corpus Chriſti, quàm phyſicè & circumſcriptiuè: quem modum pręſentiæ omnes noſtri negant.

Ne autem ſimplices Chriſtiani hoc animaduertant, vos NVLLAM prorſus præſentiam ſtatuere: ambiguis & obſcuris vtimini verbis, quæ imperiti & indocti homines non intelligunt, quin etiam eruditi non facilè aſſequuntur.

Menti aliquid dupliciter adeſſe dicitur.

Nam quòd MENTI corpus Chriſti adeſſe & præberi dicitis: ambiguum eſt, & dupliciter intelligi poteſt.

1.
Realis & efficax præſentia rerum in mente hominis.

Alias enim verè & realiter aliquid adeſſe dicitur: vt, cùm inquit Chriſtus: Ego & pater meus veniemus ad eum, & manſionem apud ipſum faciemus. Sic quoque Spiritus ſanctus menti adeſſe dicitur, qui eam renouat ad veram Dei agnitionem. Qui Spiritus ſancti præſentiæ modus, non eſt repręſentatiuus ſeu ſignificatiuus: ſed REALITER Spiritus ſanctus EO LOCO præſens eſt, vbi MENS hominis eſt.

2.
Præſentia rerum abſentium in mente.

Alias verò res menti pręſentes dicuntur, de quibus mens cogitat: ipſæ autem res perpetuò abſunt. Vt quando homo in verbo de corpore Chriſti cogitat, quòd (veſtra opinione) vſque ad nouiſsimum diem nunquam in terris præſens eſt, ſed in cœlo tantùm. Hæc non eſt vera & realis præſentia: ſed cogitatio tantùm de re abſente, cuius merito fruatur homo per fidem in Cœna Domini: Sicut Abrahamo, & Patriarchis in veteri Teſtamento præſens fuit.

De σχετικῇ & Relatiua præſentia corporis Chriſti in cœna Domini.

Id verò ſic ſe habere, vt omnibus conſtet, peto abs te, Reuerende Domine Beza, vt auditoribus aſsidentibus & magno numero aſtantibus, explicare velis, quid ſignificet, aut quid tu intelligas per σχετικὴν præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna Domini. Non enim exiſtimo VNVM inter omnes eſſe, qui id intelligat. De hoc autem Myſterio ſic loquendum & diſſerendum exiſtimo, vt omnes etiam ſimplicisſimi auditores intelligant. Non enim pro doctis & eruditis tantùm; ſed etiam pro indoctis & minimè eruditis,

quorum

quorum in Ecclesia omnibus locis & temporibus maximus numerus est, hanc Cœnam instituit Dominus.

D. BEZA.

Explicabo. Sacramenta sunt signa, quæ non considerātur secundum suam substantiam, & materiam: sed secundum vsum à Deo in Sacramentis ordinatum. Sic panis & vinum ratione materiæ considerata, sunt substantiæ. Deinde eadem considerantur ratione vsus, in quē à Domino destinata sunt in Sacramentis. Vsus autem panis & vini in Cœna Domini est, vt sint signa externa, corporalia, in sensus incurrentia, vt repræsentent animo & menti spiritualia, videlicet corpus & sanguinē Domini: idq; per promissionem à Christo in verbis cœnæ factam, cùm inquit de pane: Accipite, manducate, hoc est corpus meum, &c. Et de calice: Accipite, bibite, Hic est sanguis meus N. Testamenti. Quibus verbis Christus promittit, se velle nos corporis & sanguinis sui participes facere in remißionem peccatorum, & vitam æternam. Non quidem quòd hoc nunc primùm facere incipiat, cùm Sacramento fideles vtuntur: sed quòd per vsum Sacramenti in illis hæc communicatio AVGEATVR.

Explicatio σχετικῆς παρουσίας, id est, relatiuæ præsentiæ corporis Christi in cœna Domini.

Vsus panis & vini in cœna Dominica secundum D. Bezam.

Nunc quæritur, quomodo in hoc Sacramento signa & res signatæ coniungantur? An ita, vt vbi est essentia signorum, ibi quoque sit præsens essentia rerum signatarum corporis & sanguinis Christi? Hîc respondemus, illam coniunctionem sacramentalem non requirere, vt eodem loco, vbi sunt signa, ibi etiam res signatæ sint: sed sufficit, vt signa quandam σχέσιν, id est, Relationem & habitudinem habeant ad illas res quas significant, repræsentant, et menti offerunt ac præbent. Hanc coniunctionem seu vnionem nos σχέσιν appellamus, seu relationem & habitudinem signorum ad res signatas.

Signa & res signatæ quomodo in Sacramentis coniungantur.

Localis coniunctio.

Hac ratione sunt in Prædicamento Relationis. Nam signum ratione vsus, est in Prædicamento relationis, & non in Prædicamento substantiæ. Sic quoque Sacramenta veteris Testamenti habuerunt χέσιν, id est, relationem & habitudinem ad corpus & sanguinem Christi, planè eodem modo & ratione, quemadmodum Sacramenta noui Testamenti habent. Alio enim modo Christi corpus neque nobis adest, quàm illis adfuit in Sacramentorum vsu: Quoniam corpus Christi respectu sui, realiter non potest ALITER adesse quàm LOCALITER & CIRCVMSCRIPTIVE. Natura enim corporis non est destructa: ideóque non potest illocaliter esse in loco, vbi panis Cœnæ Domini est. Tertius autem modus, de quo vos dicitis, præsentiæ, est materia collationis futuræ.

Axioma D. Bezæ: Corpus Christi nusquam adesse potest nisi localiter.

D. IACOBVS.

1\. Sacramenta non sunt tantùm signa.

Reuerende D. Beza: Si rectè percepi mentem tuam, tu Sacramenta dicis esse tantùm signa. Id nos simpliciter & categoricè negamus. Signa enim non sunt Sacramenta: sed tantùm pars Sacramentorum. Nam ad substantiam Eucharistiæ requiruntur duo: signum, & res signata: siue, vt Irenæus loquitur, res terrena, & cœlestis: terrena, panis & vinum: cœlestis, corpus & sanguis Christi.

2\. Deinde quod ad χέσιν attinet signorum, quemadmodum abs te explicata est, (quod tamen paucissimos intellexisse arbitror) hæc est tuorum verborum sententia: quòd in terris in vsu Sacramentorum sint duo: Alterum est substantia signorum, qua ratione in Prædicamento substantiæ collocatur: Alterum verò est χέσις, relatio seu habitudo signorum ad res signatas. Præter hæc duo nihil adest in terris, secundum tuam χέσεως explicationem: quia corpus Christi est & manet in cœlis, & (secundũ vestram sententiam) NVLLO MODO est

DO est in terris. Nam Corpus Christi dicitis non posse aliter adesse, quàm localiter & circumscriptiuè. Quando ergo Sacramentum Cœnæ Domini, secundum vestram opinionem, celebratur: communicaturis datur & exhibetur panis cum σχέσει, seu habitudine & relatione ad corpus Christi à terris absens, & in cœlo existens.

Sed, vt pace vestra dixerim, quid quęso opus est illis pręstigijs verborum? quæ, sicut dixi, imperiti, quibus Dialectica non est nota, prorsus non intelligunt: & interim in ea opinione & errore versantur, quia in σχετικῇ præsentia vocabulum præsentię audiunt, vt inde falsò opinentur, vos etiam veram pręsentiam corporis & sanguinis Christi credere & docere: quod vos minimè facere iam demonstratum est.

Præstigiæ verborum D. Bezæ, de præsentia corporis Christi in sacra Cœna Domini.

Nam σχετική illa præsentia siue habitudo, nihil aliud est, quàm repręsentatio & significatio duntaxat corporis Christi absentis. Quantò igitur satius esset & præstaret, vos simpliciter, sine inuolucris verborum loqui, & apertis verbis fateri, quod in corde sentitis: vt quæ vestra sententia sit, omnes intelligere possent? Sic enim facilius & vos ipsos, & alios expedire possetis: & omnibus constans, & perpetua vestra sententia nota esset: quam sub inuolucris verborum, quibus vtimini, homines simplices intelligere non possunt.

Σχετική præsentia nullam præsupponit realem præsentiam.

Quis enim ignorat, quando dicitur: Panis Cœnæ repræsentat corpus Domini, in cœlis existens, & à terra absens: quòd eo ipso manifestè corporis Christi absentia in Cœna Domini asseratur? Hęc facilius intelligi possunt ab omnibus, quàm quæ multis & splendidis verbis de illa pręsentia σχετικῇ disseritis: quæ etiam à multis doctis non intelligitur. Et vbi quęso sunt verba Christi? aut in quo Testamento Christi reperitur, quòd dixerit in institutione sacræ Cœnæ: Accipite, manducate, hoc est panis cum σχέσει seu habitudine corporis mei coniunctus? Vbi dixit: Accipite & bibite, hoc est signum, id est, vinum, cum σχέσει seu habitudine sanguinis mei coniunctum? Nusquam hoc dicitur. Nec

Explicatio opinionis Bezæ, de præsentia corporis Christi in Cœna Domini.

Paulus dicit: Panis est communicatio σχέσεως. Nihil hîc de significatiua habitudine, sed de reali communicatione, vel ad vitam, vel ad iudicium dicitur: Panis est communicatio corporis Christi: Calix est communicatio sanguinis Christi. Quis autem piorum hominum, æternæ suæ saluti consulens, his persuasionibus tam friuolis, à verbis Testamenti Christi expressis (Hoc est corpus meum: &, Hic est sanguis meus) ad σχέσιν & habitudinem illam corporis, se abduci patietur? Nemo sanè pius & intelligens faciet, qui suæ fidei certus esse, & suam conscientiam in vsu huius Sacramenti tranquillam reddere volet. Nec iubet nos Christus cogitationibus fidei assurgere, & euehi in locum cœli, vbi est corpus Christi, vt ibi eo perfruamur: sed verbis Testamenti sui, iubet nos oculis corporis respicere ad panem & vinum, tanquam externa elementa proposita: oculis aũt fidei ad VERBA TESTAMENTI, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: &, Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum: ad verbum, inquam, verbum, verbum Christi, & non in cœlos, respicere nos iubet: cui, sicut Chrysostomus loquitur, simpliciter credamus, nec dubitemus & esse, & dare Christum, quod verba eius sonant.

Christus non iubet nos mente, & per fidem in cœlum euehi.

Ex quo intelligi ab omnibus potest, quòd illa σχέσις in verbis Testamenti, locum habere non possit: cum quibus apertè pugnat.

σχέσις in verbis Testamenti Christi locum habere non potest.

Causa autem huius erroris est: quòd arbitramini & persuasi estis, nullã veram & realem corporis & sanguinis Christi in terris præsentiam esse posse, quàm localem illam & circumscriptiuam. Hic error si animis vestris eximi posset: non modò facilis via ad concordiam, sed ipsa concordia iam facta esset.

Causa erroris in doctrina de Cœna Domini.

Non enim veritas corporis Christi destruitur, si alio modo in hoc Mysterio adesse credatur, quàm quo modo secundum proprietatem corporis nunc in cœlis est. Date, quæso, gloriam Deo, & eius omnipotentiæ, ac veritati non detrahatis: qui modum nouit pro sua infinita sapientia, quem nos

Præsentia sacramentalis non destruit veritatem corporis Christi.

nos non nouimus: & sua omnipotente virtute præstare potest, & veritate infallibili secundum verba Testamenti etiam præstat.

D. BEZA.

Ὁμωνυμία est in vocabulo Sacramenti. Nam Sacramentum interdum sumitur pro signo tantùm Sacramentali, substantiali, & corporeo: quod ad res spirituales significandas & repræsentandas adhibetur. Sic circumcisio appellatur signum fœderis: & panis & vinum dicuntur Sacramenta corporis & sanguinis Christi, propter σχέσιν *& habitudinem, quam habent ad corpus & sanguinem CHRISTI. Interdum verò sumitur pro signo & re signata simul: vt cùm dicimus, Sacramentum Cœnæ Dominicæ non solùm panem & vinum, sed etiam corpus et sanguinem Christi complecti. Sed hoc non obstat, quò minus Sacramenta sint ex numero signorum. Ideoq; etiam ab Augustino visibilia verba dicuntur, quòd verbis Dei tanquam visibilia signa adhibeantur, & eorum virtutem confirment. Quoniam eadem est perceptio ipsius Christi in Sacramento, quæ est in simplici verbo: quæ externa quidem forma differunt, sed non re ipsa, quæ significatur & præbetur. In verbo per aures tantùm: in Sacramento autem per eiusmodi signa, quæ in reliquos sensus incurrunt. Sic verba voces sunt signorum. Dicimus tamen, etiam re ipsa adesse corpus Christi: SED NON IN TERRIS. Quod enim significatur: id simul etiam præbetur, non autem corpori, sed menti per fidem.*

De ὁμωνυμίᾳ vocabuli Sacramenti.

An Sacramenta ex numero signorum?

Sacramenta visibilia cur dicantur verba.

D. Beza, in responsione.

Si quis autem obijciat: Ergo fructus corporis Christi duntaxat ad animum peruenit? Respondeo: Etsi Fides vnicum instrumentum est, quo Christus percipitur: fructus tamen

men etiam ad corpus peruenit, quia corpora, communicatione huius cibi, immortalia redduntur.

D. IACOBVS.

Fallacia diuisionis.

Reuerende D. Beza: Non ignota est tibi fallacia diuisionis, qua disiunguntur quę coniungenda sunt, & inde falsò argumentamur. Sic in presenti negocio Cœnæ Domini, non disputamus de vna tantùm parte, sed de toto Sacramento, quod Irenæus testatur duabus rebus constare, videlicet terrena & cœlesti. Non dicit Irenæus, Sacramentum constare VNA RE, videlicet pane & vino cum σχέσει, hoc est, habitudine & relatione ad absens corpus Christi, coniunctis. Nam panis & vinum non est Sacramentum, corpus & sanguis Christi quoque non est Sacramentum: sed hæc duo simul in Mysterio per verba Testamenti coniuncta, sunt Sacramentum, quod appellatur Eucharistia. Et hæc est vnanimis sententia omnium Orthodoxorum Patrum, qui simul omnes Sacramentum non vna duntaxat parte, sed duabus simul definiunt.

Sacramentum duabus rebus constat.

Augustinus vocabulo Sacramenti abusus.

Non autem ignoro, Augustinum vocabulo Sacramenti abusum, & sæpe pro vna eius parte, pane & vino tanquam signis, vsurpasse. Idem tamen apertè testatur, quod Sacramentum Eucharistiæ duabus rebus constet, sicut verba eius apertè sonant: Caro eius est, inquit, quam forma panis OPERTAM in Sacramento accipimus: & sanguis eius, quem SVB vini specie & sapore potamus. Item: Sacrificium (vtitur autem sacrificij nomine pro Sacramento) Ecclesię DVOBVS CONSTAT, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine. Ideoque hac vocabuli homonymia euadere non potest T. reuerentia, quę in Scriptura nullum fundamentum habet.

Augustinus in sententijs Prosperi Di. 2 de Conf. cap. Hoc est.

Quòd autem dicis: Corpus Christi respectu sui, non posse in terris aliter adesse, quàm localiter & circumscriptiue: id pernegamus. Et hac voce omnipotentię Dei detrahi,

omnes

omnes mediocriter instituti intelligunt. Neque etiam id vllo Scripturæ testimonio doceri aut probari potest.

Et localem seu circumscriptiuam præsentiam nos in Cœna Domini nunquam asseruisse, iam aliquoties à nobis dictum est: contra quam vnam pugnatis, quasi eam doceamus, quod non est.

Quid enim, quæso, Consensus Orthodoxus, quem sic vocant, agit, quàm vt contra Lutherum, Brentium & nos doceat, primùm: In Cœna Domini corpus Christi localiter, & circumscriptiuè non adesse? Deinde: Corpus Christi in Cœna non Capernaiticè manducari? Sed quid opus erat, tam ingenti volumine, hoc à proprietate corporis, ab analogia fidei, & alijs argumentis probare: cùm nemo sit, qui hoc asserat? Hoc est proprium figmentum confutare. Negatio igitur localis & physicæ præsentiæ corporis Christi in Cœna Domini, & Capernaiticæ manducationis corporis Christi, est totius huius libri, qui Consensus Orthodoxus appellatur, breuissima & solidissima refutatio. Quia nemo est, qui illam præsentiam & manducationem corporis Christi asserat, quam ex æquo omnes damnamus.

Summa & argumentum libri Consensus Orthodoxi.

Breuissima confutatio Orthodoxi Consensus.

Deinde docet: Panem Cœnæ Domini, corpus Christi *NON ALIA RATIONE ESSE AVT DICI*, quàm hac sola, quòd sortitus sit nomen corporis Christi propter significationem, qua corpus Christi absens significet. Quod nos non modò constanter negauimus, sed etiam firmissimis argumentis solidè refutauimus. Non enim dixit Christus: Accipite & manducate, hoc est panis, qui habet nomen duntaxat mei corporis, quod repræsentat: sed dixit: Hoc est corpus meum: EST, EST (dicit Christus) corpus meum.

Quidam etiam ex vestris scripserunt: corpus Christi nunc in cœlo existens, suo in terris officio ita defunctum esse, vt ei nihil amplius nobiscum in terris negotij sit: quod similiter cum verbis Testamenti Christi pugnat. Quemadmodũ enim in cruce sacrificium fuit pro totius MVNDI peccatis: sic in Cœna Domini nunc cibus & potus est, non ventris, sed

Tigurini contra breuem Confessionem Lutheri de Cœna Domini.

vitæ æternę, tanquam ſpiritualis alimonia, qua fides noſtra confirmatur, & corpus noſtrum ad immortalitatem verè paſcitur.

Beza cum ſuis nobiſcum loquitur, ſed non nobiſcum ſentit.

Sæpe autem tam ſplendidè de vera & reali præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna Domini concionamini: vt auditores veſtri ſimplices, quin etiam eruditi, non aliter iudicare, aut pronunciare poſsint, quàm vos nobiſcum per omnia ſentire: modò Cyclopica Creophagia è medio tollatur. Et hac fide, quàm plurimos in veſtris Eccleſiis pios communicare, & Sacramentum ſumere à vobis, NIHIL DVBITO.

Quòd verò res longè aliter ſe habeat: ſpero auditores omnes in hac inſtituta collatione facilè intelligere potuiſſe.

Quando enim ad explicationem peruentum eſt, cùm dicitis: Corpus Chriſti adeſt verè & realiter: additis, σχετικῶς, id eſt, relatiuè, habitudine quadam ſacramentali, repræſentatiua & ſignificatiua: Item, quia panis habet nomen corporis Chriſti: Item, μετωνυμικῶς eſſe: hoc ipſo demonſtratur in verbis duntaxat, & non in rebus conſenſum eſſe.

Sicut etiam Cyclopicam illam κρεοφαγίαν, & Capernaiticam lanienam carnis Chriſti NVNQVAM credidimus, NVNQVAM docuimus, NVNQVAM ſcripſimus: ſed damnamus, & damnauimus ſemper. Sic ad oculum demonſtraui, vos NVLLAM veram & realem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna Domini credere aut ſtatuere: quod ex σχετικῇ relatiua illa habitudine manifeſtum eſt, quam in Cœna Domini docetis.

Metonymia in verbis Chriſti non habet locum.

Pręterea, omnibus manifeſtum eſt, Metonymiam, quæ à vobis in Teſtamento Chriſti, verbis eius affingitur, cum ipſis verbis tam apertis minimè conſiſtere poſſe. Neque enim hîc nominum tranſmutatio eſt, vbi nomen pro nomine ponatur: Et neque Chriſtus neque Paulus dicunt, quòd panis tantùm habeat nomen corporis Chriſti, non autem ipſum corpus in Myſterio ſibi coniunctum.

Idéoque

Ideóque hęc omnia, tanquam verbis Testamenti Christi & Mysterio huic minimè consentanea reijciuntur, in quibus σχέσις, relatio, habitudo & repręsentatio seu significatio hęc locum non habet.

Quapropter securissima, & longè omnium tutissima via & ratio est, si verbis Christi simplicissimè fidem habeamus: & credamus illorum verborum virtute, quæ Christus semel locutus est, corpus & sanguinem Christi in Cœna Dominica non significari, aut repręsentari, sicut in typis & figuris Sacramentorum veteris Testamenti factum est: sed cum pane & vino coenę corpus & sanguinem Christi verè adesse, cum pane distribui, & ore percipi, modo cœlesti & diuino, qui soli Deo cognitus est. Sic enim conscientia tranquilla reddi potest, quæ indubitato verbo Dei nititur. Expedita ratio ad piam concordiam.

Quod amplius in summa Confessionis doctrinę ipsorum de Cœna Domini, Fundamento IIII. Assertionis dicitur: si substantia corporis Christi ore perciperetur, & maneret quoque ipsa saltem in pijs et fidelibus, quòd fideles fierent substantialia membra Christi, nec mysticum corpus Christi Ecclesia esset: speciem aliquam veritatis haberet, si physica & localis præsentia cum Capernaitica laniena, & Cyclopica manducatione corporis Christi in Cœna Domini, à nobis statueretur. Cùm autem nihil minùs à nobis fiat, sed hæc tanquam portenta semper à nobis damnata sint: nulla hîc consequentiæ quoque ratio est. Pręsentia enim, & perceptio sacramentalis corporis & sanguinis Christi cum pane & vino Cœnę, & quæ fit ore, Mysterium est, quod neque ratio neque sensus capit, sed sola fides intelligit.

Crassa ratiocinatio de manducatione carnis Christi.

Refutatio eiusdem. Manducatio carnis Christi in cœna Domini, non est Capernaitica laniena.

D. BEZA.

Nos ex perpetua Sacramentorum natura & proprietate, Sacramenta signa esse dicimus: interim verò non negamus, ijs signis totum contineri, videlicet signum, & rem signatam, hoc est, rem Sacramenti: sed relatiuè & σχετικῶς. Relatiua præsentia.

 Quem-

Metonymica prædicatio.

Quemadmodum nemo sua mente potest concipere patrem, nisi simul filium cogitet. Prædicatio autem est Metonymica, qua nomen signati tribuitur signo.

Sic Patres dicunt, corpus Christi in terram cadere, dentibus atteri, dentes corpori eius infigi: Quæ non propriè accidunt corpori Christi, sed tribuuntur illi per χέσιν & relationem illam, qua signato tribuitur id quod signo accidit. Quæ Metonymia est tropus, quo natura Sacramentorum explicatur. Sic quoque panis dicitur corpus Christi. Et dicimus nos quoque, quòd panis SIT corpus Christi, quia Filius Dei non est mendax. Sed non est essentialiter corpus Christi. Sic dicimus adesse menti, sed non pani: quia propter panem non est, sed propter hominem: & Sacramentum non est panis, sed actio. In summa, conuenit inter nos, corpus Christi in Cœna Dominica esse præsens: sed de modo præsentiæ non conuenit.

Panis non est essentialiter corpus Christi.

Nihil minus verum est.

D. IACOBVS.

Sacramenta nõ sunt signa significantia tantùm.

Sacramenta signa esse, nemo vnquam negauit: sed tantùm signa significantia & repræsentantia esse rerum signatarum, per quæ fructus rerum signatarum applicetur percipientibus: hoc nunquam concessimus, neque vnquam concedemus.

In Sacramẽtis nõ est χεζικὴ præsentia corporis Christi.

Neque Relatiuam seu χεζικὴν hanc præsentiam esse concedimus. Vt, si quis Patrem præsentem habens, de Filio cogitet: eodem modo res signatas cum præsentibus signis adesse: quod nunc aliquoties refutauimus. Etsi enim Pater relationem habet ad Filium in mente hominis cogitatam: non tamen propterea Filius adest, vbi Pater præsens est.

Partes Sacramenti quomodo in prædicamento Relationis.

Nec partes substantiæ Sacramenti simpliciter relata sunt: sed ea solum ratione, qua inter se comparantur. Sed quatenus substantiam Sacramentorum constituunt: nequaquam relata

relata sunt, sed absolutam rationem habent, & singulæ pro sua ratione adsunt, qua actioni Cœnæ Dominicę inseruiuit, non diuisim & separatim, sed coniunctim pro natura vnionis Sacramentalis, qua neutrum sine altero in vsu Cœnæ agit. Neque enim in vsu Sacramenti Cœnæ corporalia à spiritualibus separanda, sed semper coniungenda sunt, & coniuncta manere debent, sicut verba institutionis coniuncta sunt.

In Sacramētis à corporalibus spiritualia non separanda.

Quod ad locutiones à Patribus de hoc Mysterio vsurpatas attinet, corpori Christi dentes infigi, & quę sunt his similes: nequaquam Metonymicæ sunt, sed corpori Christi hæc tribuuntur propter veram & realem corporis Christi præsentiam, & vnionem sacramentalem cum pane cœnę factam. Sicut suprà de columba & Spiritu sancto dictum est, qui descendisse dicitur non Metonymicè, vt nomen Spiritus S. pro columba ponatur: sed quia Spiritus S. verè præsens erat in specie illa columbæ, & sese ad hunc modum reuelauit. Ideo non columba, quę Spiritum sanctum repręsentauerit, sed ipse Spiritus S. descendisse dicitur.

De phrasib. Patrum Orthodoxorum, dentes infigi corpori Christi.

Ioannes videt Spiritum S. non est Metonymica oratio.

Quemadmodum etiam nequaquam Metonymia admittenda est in verbis Ioannis: (Quod vidimus, quod oculis nostris aspeximus, quod manus nostrę contrectauerunt de verbo vitæ.) Etsi enim verbum vitæ videri, & manibus in proprietate suæ essentiæ contrectari non potest, quia spiritus est: non tamen propterea Apostoli tantùm hominem, sed verè Deum contrectasse rectè dicuntur.

1. Ioh. 1.

Apostoli externis oculis viderunt verbum vitæ.

Non autem inde sequitur, panem cœnę essentialiter corpus Christi esse: sed sacramentaliter est corpus Christi, propter vnionem sacramentalem cum corpore Christi. Et qua ratione non solùm menti, sed etiam corpori & ori nostro adsit corpus Christi in Eucharistia: nunc aliquoties dictum & explicatum.

Panis non essentialiter, sed sacramentaliter est corpus Christi.

Neque ignoramus, Christum non propter panem, sed propter hominem adesse. Sed inde non sequitur, quòd propterea corpus Christi pani non adsit sacramentaliter, cùm

Corpus Christi non propter panem, sed propter hominem adesse.

Christus panem monstrans dixerit: Accipite, manducate, Hoc est corpus meum: quia non panem sine corpore suo, neque corpus suum sine pane, sed spiritualia hæc per corporalia, sicut Chrysostomus loquitur, in hoc Mysterio dispensare & percipi voluit Dominus.

Sacramentum non est actio.

Sic quoque non ignoramus, panem non esse Sacramentum, sed partem Sacramenti. Sed vicissim Sacramentum non est tantùm actio: sed ad Sacramentum requiritur actio, sine qua non est Sacramentum. Nam extra vsum à Christo institutum, non est Sacramentum. Substantia tamen Sacramenti, quæ exhiberi & percipi dicitur, in his duobus absolutis consistit, verbo Dei copulatis: videlicet re terrena, & re cœlesti (sicut Irenæus testatur, & verba Testamenti docent) pane & vino, corpore & sanguine Christi.

Substantia Sacramentorum in quibus consistat.

Cùm igitur D. Beza perpetuò repetat & inculcet, corpus Christi tantùm in cœlis esse, & in terris alio modo realiter adesse non posse, quàm locali & physica pręsentia, quam ab vtraque parte constanter negamus: vehementer miramur, quomodo toties asserere audeat, consensum inter nos de pręsentia corporis Christi in Cœna esse.

De præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna nullus consensus.

Nam relatio, quæ ex non agentibus est, nullam præsentiam efficit, sed respectum duntaxat, quo res procul abesse potest. Nos autem tertium pręsentiæ modum apertè & manifestissimè probauimus, qui neque physicus est, neque relatiuus, verus tamen & realis: qui in Mysterio consistit, quod ratio capere non potest, fides autem in verbo apprehendit. Hunc modum pręsentiæ Beza vel nobiscum probet necesse est, si inter nos consensus constituendus: aut refutet: quorum neutrum hactenus fecit. Ideoque dissensio inter nos adhuc manet.

D. BEZA.

An corpori Christi dentes infigantur.

Nos dicimus: fieri non posse, etiamsi inter corpus & panem sacramentalis vnio sit, vt corpori Christi propriè dentes infigi poßint: sed signo duntaxat hoc accidit. Ideoq. Metonymiam

tonymiam esse, seu per Metonymiam fieri dicitur. Nam infixio dentium signi corporis, non ipsius corporis signati est.

D. IACOBVS.

Reuerende D. Beza, hoc vnum tibi potissimùm obstat, quò minùs, ad nostram sententiam accedere possis, quòd perpetuò imaginaris, nos localem & physicam præsentiam corporis Christi asserere: quod nunc toties negauimus. Hinc etiam imaginatio tua, quòd arbitraris nos docere, dentes corpori Christi infigi, quemadmodum fit in esu carnis vitulinæ: quod nunquam cogitauimus. Sed hæc Chrysostomus, propter assertionem præsentiæ, corpori Christi tribuit: cuius pręsentia cùm sit spiritualis, nequaquam dentes illi infigi possunt. Sed sicut verbum vitę ab Apostolo verè visum esse dicitur: sic quoque de corpore Christi illud verè, piè & rectè dictum est à Chrysostomo & alijs doctoribus, etsi in proprietate substantiæ nihil horum fiat.

Quid Bezæ in cognoscenda veritate obstet.

Quomodo in vsu Cœnæ corpori Christi dentes infigi dicantur.

Ideoque dico, nec σχέσιν relatiuam, nec Metonymiam in hoc Mysterio locum habere. Nihil enim hic figuratum, sed omnia cœlestia, diuina & realia, in Mysterio tamen & verè pręsentia sunt, quæ pręter visibiles res verbis Testamenti Christi enunciantur & exprimuntur.

D. BEZA.

Christum suo corpore & sanguine adesse in Cœna non negamus: sed addimus, MENTI non PANI: sicut nunc aliquoties diximus.

D. IACOBVS.

Quęro igitur mi Beza, vbi nam celebretur Cœna Domini: in cœlóne, an in terra?

D. BEZA.

Corpore in terra, mēte in cœlo celebratur. Cùm .n. corpus Christi in cœlo sit, & non in terra, vsq; ad nouissimū diem: ideo mēte nostra in locū cœli ascendere oportet, vbi est corpus

Christi:

Christi, vt ibi eo perfruamur, quod nobis à Patre cum omnibus suis beneficijs donatum est.

D. IACOBVS.

Cœna Domini in terris celebratur corpore & mente.

Christus in verbis Testamenti sui, non iussit nos panem manducantes in cœlum respicere, aut euehi in cœlum mente nostra. Nullum Christi verbum extat de tali Cœna Dominica: sed iussit oculos in panem propositum, & MENTEM in verba proposita euehere: Accipite, manducate, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Sic in terris iussit hanc cœnam & corpore & mente vsque ad diem reditus sui ad iudicium, & quidem in memoriam mortis suæ, celebrare.

In Responsionibus ad Thesin.

Quòd autem in Responsionibus vestris dicitis: Vos VIDERE non posse, quomodo corpus & sanguis Christi, cum pane & vino re ipsa possint pręsentia statui, aliter quàm Physica & locali circumscriptione: fatemur, & nos quoque idipsum VIDERE non posse, sed credere, propter verba Christi & Apostoli eius, qui de hac pręsentia testantur, quamuis eam non videamus, quia neque physica, neque localis, nec tamen propterea nulla est coniunctio, quam Deus pro sua infinita potentia & sapientia facilè pręstare potest. Vnum autem peto & moneo, vt tua Reuerentia diligenter expendat. Non ignoras, in librum, cui Titulus, Orthodoxus Consensus, omnia congesta esse, quę pro assertione opinionis vestræ facere videbantur: In quo visus est Author, seu potius Authores (nam multorum labore & incredibili studio congestum esse, præfatio testatur) statum totius controuersiæ de industria transposuisse, & studiosè tenebris inuoluere voluisse.

Hebr. 2.

Falsum testimonium Authorum Orthodoxi consensus contra Theologos Augustanæ Confessionis de Cœna Dominica.

Scopus enim totius Libri, sicut paulò antè etiam monuimus, in his duobus capitibus positus est: vnum, vt probet præsentiam corporis Christi in cœna, non esse physicam, naturalem, seu localem: alterum, corporis Christi in Cœna Dominica non fieri Capernaiticam manducationem aut laniena

nienam Cyclopicam: Quorum vtrunque Lutherum, Brentium & nos asseruisse & asserere, cum vniuersa Ecclesia in eodem libro accusamur.

Cùm autem nihil horum vnquam docuerimus aut senserimus, neque adhuc sentiamus: quid quęso arbitraris, Autorem hunc cum omnibus suæ opinionis socijs in nouissimo die Domino nostro Iesu Christo responsurum Iudici iusto, de hoc falso testimonio, per tot regna publicis scriptis euulgato? cuius rei nunc quidem ne vllus modus est, quin toties publicis scriptis moniti, idem facere non desinant.

D. BEZA.

Author libri, vir doctissimus, nunc cum Filio Dei viuit: qui si adesset, fortassis respondere et se defendere posset. Ideoq; de eo nihil amplius.

D. IACOBVS.

Sed vos idem facitis in Responsione vestra ad dogmata à nobis improbata, vbi hæc portenta nobis tribuuntur, & quæ ex his sequantur, magis horrenda. Probationis autem loco additur, VOS NON VIDERE posse, quomodo hęc quantumuis absurda, falsa, & blasphema, oralem manducationem non consequantur: Quòd videlicet corpus Christi dentibus teratur, per guttur deglutiatur, in ventrem trajciatur, concoquatur, & tandem excernatur: quæ omnia auditu horrenda sunt. Friuola probatio eorum, quæ Luthero, Brentio, D. Iacobo. & alijs falsò tribuuntur.

Non autem satis est dicere: VOS NON ALITER VIDERE posse. Nam illud videre, soluitur per NON VIDERE.

Nondum enim probatum est, nos eiusmodi Cyclopicam manducationem carnis Christi vnquam docuisse, ex qua hęc blasphema deducantur: sed eandem apertè semper damnauimus, & adhuc constanter damnamus.

Status autem disputationis, & totius negocij cardo, quemadmodum nunc sæpe diximus, versatur in quæstione de tertio Controuersiæ status vrgetur.

tio modo præsentiæ corporis Christi, quo neque physicè & localiter, neque relatiuè, sed verè tamen & realiter corpus Christi præsens sit: Neque Capernaiticè, neque symbolicè, sed reuera tamen cum pane distribuatur & ore corporis percipiatur, eo modo, quo Deus per corporalia spiritualia distribui & percipi voluit.

Ad hoc respondendum: hic modus confutandus erat, quem nos verbis Christi & Pauli perspicuè demonstrauimus. Sed nullum hic responsum, neque in Orthodoxo Consensu, neque in omnium eorum scriptis, qui vsque in hunc diem aduersus nos scripserunt. Sed omnis illorum sermo est, vel de laniena Cyclopica, vel de manducatione corporis Christi, quæ fit per fidem, de quarum vtraque nulla vnquam controuersia fuit.

Exhortatio D. Iacobi ad D. Bezam.

Hæc, mi Beza, quæso diligenter apud animum tuum cum fratribus tuis expende. Vterque enim nostrum, vt vides, canus est & morti vicinus, & vtrique coram tribunali Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi comparendum, & doctrinæ, quam auditoribus nostris proposuimus, ratio reddenda erit. Demus igitur operam, ne per nos stetisse videatur, quò minus pia, sancta, & Deo grata concordia sanciatur.

Qua ratione pius consensus constitui possit.

Consensus autem omnis in eo positus erit, vt ab vtraque parte nos Christo & verbo ipsius subijciamus humili Spiritu: & intellectum nostrum, sicut Apostolus loquitur, in obsequium Iesu Christi captiuum ducamus: & explosa Cyclopica laniena & Capernaitica manducatione carnis Christi, vnà cum μετωνυμικῇ, σχετικῇ & relatiua præsentia eius, simplici fide verba Testamenti Christi honoremus, eique laudem veritatis, sapientiæ, & potentiæ tribuamus: qui nos non fallit, & quod promisit, præstare potest, etiamsi nos non intelligamus.

Qua simplicitate fidei ad cœnam Dominicam multi Galli accedant.

Quemadmodum non dubito, plurimos cùm ex Gallis circumstantibus, tum alijs quoque locis in vestris Ecclesijs non alia fide aut mente ad mensam Domini accedere, corpus & sanguinem Christi cum pane & vino accipere: nihil de

σχέσει

σχέσει, de relatione atque habitudine cogitantes, de quibus hic disseritis, oculis elementa proposita, mente verba Christi intuentes, simplicitate fidei Deo longè gratissima hoc Sacramentum suscipere. Quorum simplicitas Deo magis probatur, quàm de σχέσει, relatione, & habitudine conficta in hoc negocio disputantes. Hæc si vtrinque fecerimus, IAM PAX ET CONCORDIA inter nos de hoc Articulo constituta est. Et quid quæso periculi in assertione huius præsentię Sacramentalis? si Capernaitica damnetur, & simul spiritualis, quę per fidem fit ante sumptionem Sacramenti, piè doceatur?

D. BEZA.

Reuerende D. Doctor, Optamus & nos pacem et concordiam, eamq; maximo desiderio expetimus: sed eiusmodi pacē, quæ non perturbet conscientias nostras. Perturbarentur autem conscientiæ nostræ, si ijs reluctantibus vobis assentiremur. Nam quod fortaßis vestras conscientias tranquillas reddit, id ipsum nostras perturbaret.

Dissensio autem non est de præsentia, sed de modo præsentiæ. Nos ad Cœnam Domini accedentes, respicimus in promißionem, qua Christus pollicetur, se nolle pascere corpora nostra, sed præbere illa Sacramenta nobis, vt anima pascatur. Quapropter non disputamus, quid percipiamus: sed quo sensu dicatur, corpus Christi in Cœna Domini manducari. Dicimus non de substantia, sed vsu. Substantia panis in terris est: substantia corporis Christi in cœlis est. Est quoque in terris, quia verba nos monent, quis nobis loquatur. Et miraculosior est hic præsentiæ modus, quo corporis Christi substantia in cœlis est, & tamen nobis in terra communicatur, quàm si substantia eius adesse dicatur: Quando videlicet per fidem virtute Spiritus sancti corpori CHRISTI ita coniungimur, vt simus caro ex carne eius, & os ex oßibus eius, Nihil minùs est.

adeóque vnum corpus cum Christo (qui nostrum caput est) fieri nos certum est. Et manifestum est, veritatem corporis naturaliter obstare, nec admittere, vt simul sit in cœlo & in terra verè & realiter præsens.

D. IACOBVS.

1. Relabimur ad ea, de quibus hoc biduo disputauimus. Rectè disserit D. Beza de spirituali manducatione, quæ fit per fi-
2. dem. Sed de ea nulla vnquam controuersia fuit. Et verum quidem est, quòd corpus Christi non sit cibus ventris, quo vel fames naturalis pellatur, aut corpus naturaliter pascatur. Sed hoc ipso nondum confutatum est, Christum per corporalia ex parte sua, pane & vino, & ex parte nostra perceptione, quæ fit ore, velle nobis hæc spiritualia dona conferre & exhibere, eáque à nobis percipi. Hoc inquam nondum con-
3. futatum est hoc responso. Et corpus Christi substantia sua secundum proprietatem corporis, & veri corporis modum in cœlo esse, & non in terris, suprà diximus & assensi sumus. Sed propterea *NVLLO MODO REALITER IN TERRIS* Sacramentis in Mysterio adesse, hoc constanter negamus.
4. Et hic verè miraculosus modus præsentiæ est, quòd corpus Christi propter veri corporis modum in cœlis existens & permanens, absque omni locali motu alio modo in omnibus locis adsit, distribuatur, & percipiatur, vbi Cœna Domini celebratur. Qui modus præsentiæ neque physicus aut localis, neque σχετικὸς est & relatiuus, sed mysticus, sicut Antiquitas locuta est: Mysterium quod creditur, non autem intelligitur. Nam manducationis vocabulum aliter Ioan. 6. & aliter in verbis Cœnæ accipi, nulla probatione indiget: Quod Ioan. 6. credere, sed in verbis cœnæ Dominicæ ORE MANDVCARE & percipere, significat. Quod si quis de fide interpretetur, quàm id absurdum esset? Inde enim sequeretur, quòd in dubium vocandum sit, an panis Cœnæ ore manducandus sit, si manducare in verbis Testamenti Christi idem signi-

Quomodo corpus Christi non sit cibus ventris.

NB.

Miraculosus modus præsentiæ Sacramentalis.

Manducationis vocabulum ὁμώνυμον.

significaret, quod credere: & sic sine mandato Christi ore perciperetur, quod planè absurdum est.

Cùm igitur de spirituali manducatione, quæ fit per fidem, nulla fuerit controuersia vnquam: & D. Beza audiat, Cyclopicam lanienam carnis Christi apertè à nobis damnari: Tertium autem modum præsentiæ non possit refutare, quo Christus cum pane & vino exhibet corpus & sanguinem suum, & ore iubet manducare, & sic per corporalia, spiritualia non solùm offert & exhibet, sed etiam percipi velit: quæ causa est, vt diutiùs se veritati opponat? Ah quæso veritati manifestatæ cedas.

Nam sacramentalis illa distributio & perceptio corporis Christi, quæ fit cum pane & ore: ad confirmationem spiritualis per fidem factæ manducationis, à Christo instituta est: quod nemo negare potest.

Hæc omnia, mi D. Beza, vt cum tuis fratribus diligenter expendas, & Ecclesiæ Dei piam & salutarem pacem, vel tandem redimas, denuò obnixè oro. Videt enim tua Reuerentia, me non humana somnia, non humanas glossas, sed expressum & indubitatum Domini verbum attulisse. Huic subijciamus nostrum intellectum simplici fide, & omnis controuersia sublata erit. Nos enim ex parte nostra non possumus ab expressis verbis Christi, & eorum simplici & germana sententia recedere, cùm nulla necessitas vrgeat, vt id faciamus. Præsentia enim illa neque cum analogia fidei, neque cum veritate corporis Christi, aut vlla sacræ Scripturæ sententia pugnat: sed duntaxat sensibus nostris & rationi humanæ absurda videtur. Quibus expressum verbum Dei, simplex, planum, & perspicuum opponendum est, quod nobis in verbis Testamenti Christi expressè proponitur. In quibus conscientia nostra tutissimè, sine omni disputatione, simplicitate fidei acquiescit, & meritò acquiescere debet, vt quæ fallere non possunt, cum sensus & ratio falli possint.

D. BEZA.

Reuerentia tua satis cogitare potest, nobis tam charam pacem esse, vt ea nihil sit optatius. Sed illam non possumus cum perturbatione cõscientiarum redimere. Obÿcitur simplicitas fidei, quam putamus & nos sequi, & intellectum nostrum in obsequium Christi captiuum ducere. Nam caro & sanguis non docent, nos corpus Christi in cælo manens, præsens mente habere. Sub verbo ergo Domini captiuamus mentem nostram, quod coniungit nos cum absente corpore Christi. Perceptio hæc est mirabilis, quando manens corpus Christi in cælo, in Sacramentis nobis præbetur & percipitur, quamuis nos in terris maneamus.

D. IACOBVS.

Nequaquam consulimus, vt cum conscientiarum vestrarum perturbatione pacem Ecclesiæ redimatis. Eam vero facile expedire possetis, si sensus & rationem humanam in spiritualibus cæcam, captiuam ducentes, à simplicitate verborum Testamenti Christi non recederetis.

Doctrina D. Bezæ non fidei, sed carnis & sanguinis, in Cœna Domini est.

Quòd enim tua Reuerentia dicit: carnem & sanguinem non docere, corpus Christi in cœlo manens, in Sacramentis menti nostræ præberi, & nos in terra manentes cum illa coniungi. Respondeo: Si præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna Domini non alia est, quàm [illegible] & relatiua, sicut explicastis: certum est, eam à carne & sanguine doceri & intelligi. Nisi negare velis: Dialecticam, cuius pars est tractatus de relatione, à ratione doceri & intelligi. Et exempla de contractibus, quibus verba Christi suprà interpretatus es, certè caro & sanguis docet & intelligit. Quapropter vestra doctrina de Cœna Domini, & interpretatio verborũ Testamenti Christi, nihil aliud est, quàm caro & sanguis,

sanguis, hoc est, humana cogitatio de Mysterio, quod caro & sanguis non intelligit.

Et quod sæpe à nobis dictum est, quando Reuerentia tua ex nostra sententia dicit: Substantiam carnis Christi, cum substantia panis Cœnæ Domini coniungi: certum est, quòd non aliam quàm physicam & localem præsentiam & coniunctionem intelligatis & oppugnetis. Qua in re, ex parte vestra, erratum est.

D. Beza ex falsis præsuppositis pugnat.

Eam enim præsentiam, & coniunctionem nos quoque reijcimus, & damnamus. Neque discrimen vel pręsentiæ localis, & quæ est in Sacramento, sicut & modi manducationis carnis Christi in Cœna Dominica, & vulgaris modi manducandi ore, in eo collocamus, quòd ille visibiliter, hic vero inuisibiliter fiat. Non enim inuisibiliter tantùm, sed ita spiritualiter hæc à Christo fiunt, vt nihil carnale hîc sit cogitandum, quod vulgaris modus edendi secum affert: cùm præsentiæ modus planè sit spiritualis, non autem duntaxat Spiritus sancti virtus, sed ipsius Christi corporis pręsentia & manducatio.

Quomodo intelligendum sit: corpus Christi, inuisibiliter in Cœna Christi præsens, dispensari.

Quapropter mera imaginatio carnalis hęc vestra est, de nostra doctrina, non nostra doctrina: cùm nihil horum doceamus, quod vos, in scriptis vestris contra nos editis, damnatis. Nec docemus consubstantiationem (quæ nobis affingitur) corporis Christi cum pane: Sed quemadmodum transsubstantiationem reijcimus & damnamus: sic quoque omnem illam physicam consubstantiationem, siue visibilis sit, siue inuisibilis, prorsus reijcimus: & coniunctionem duntaxat sacramentalem docemus, & asserimus.

Imaginatio carnalis D. Bezæ, de doctrina Ecclesiarum Augustanæ Confessionis, in articulo de Cœna Domini.

Consubstantiatio, & transsubstantiatio damnata.

Nam coniunctionem corporis Christi cum pane dicimus esse Mysterium, quod caro & sanguis non capit, hoc est, humana mens non intelligit, sed sola fides in verbis Testamenti apprehendit, cui simpliciter credit: & modum infinitæ sapientię, potentię, & veritati committimus, quo id fiat, & id Christus efficere posit. Dicimus tantùm, quid non sit: videli-

Coniunctio panis cum corpore Christi, Mysterium.

videlicet quòd non sit physica, & localis præsentia, neque etiam χέσις seu relatio, quæ inter duas res absentes versetur. Item, quòd non sit Capernaitica manducatio, & laniena corporis Christi: neque etiam duntaxat fidei manducatio, quæ nihil aliud sit, quàm credere in Christum: sed eiusmodi manducatio, qua fides in nobis confirmetur, & quæ ore fiat, sicuti panis (qui est corporis Christi communicatio) ori præbetur, & ore percipitur: Quod in vsu Cœnę Domini auellere à pane, aut separare non debemus.

Mysterium est, quòd Deus spiritualia per corporalia distribuit.

Quomodo autem fiat, quòd Deus spiritualia per corporalia distribuat, & nos corporalibus instrumentis ea accipiamus, ignoramus: sed verbo credimus, quod iubet ore manducare, nulla hîc fidei mentione facta. Hoc si credere possent ex parte vestra, omnis controuersia sublata esset. Idem videre licet etiam ex participationis comparatione mensæ Dæmoniorum, & mensæ Domini: de qua Paulus ad Corinth. vbi reprehendit, quòd Corinthij ad fidem Christi conuersi, simul & mensæ DOMINI, & mensæ Dęmoniorum participes facti sint. Qui edunt hostias, inquit Apostolus, participes sunt altaris: & quia Idolothyta Dęmonijs immolabantur, socij erant Dęmoniorum, quotquot de illis edebant: sic quotquot edebant de pane Cœnę DOMINI, participes erant corporis Christi.

Comparatio mensæ Domini, & mensæ Dæmoniorum. 1. Cor. 10.

D. BEZA.

1. Cor. 10. An quis simul mensæ DOMINI, & mensæ Dæmoniorum particeps esse possit.

Paulus inquit: Non potestis, non potestis, inquam, calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum. Ideoq́; mensæ DOMINI, hoc est, corporis Christi non erant participes, qui mensæ Dæmoniorum participes erant.

D. IACOBVS.

Fuerunt tempore Pauli Christiani, qui in ea opinione versabantur, quia idola nihil essent, per consequens quæ illis immo-

immolabantur, nihil differre à communibus carnibus seu cibis. Ideo putabant sibi licere sine offensione Dei ad illa conuiuia accedere, ad quæ ab Idololatris inuitabantur. Sicut nostro tempore quidam reperiuntur, qui ex verbo Domini edocti, sacrificium Missæ nihil esse: ideo ad conuiuia in eius solennitate instituta, accedunt: quod D. Paulus in Corinthijs reprehendit.

D. BEZA.

Paulus inquit: Non potestis: Non potestis.

D. IACOBVS.

Quomodo quæso non possunt? Nisi enim à Corinthijs factum esset, Paulus hoc nomine eos non reprehendisset. Sicut igitur ore externo sumpserunt & manducarunt, quæ Idolis immolabantur: sic quoque ore externo panem manducabant, de quo Paulus inquit, quòd sit communicatio corporis Christi. Et vsitata phrasis est, qua dicitur: Tu non potes simul religionem Christianam profiteri, teque pro Christiano venditare, & simul etiam auaritiæ, libidinibus, ebrietati, alijsque flagitijs studere. Sed optimus suorum verborum interpres est Paulus ipse, cùm subiungit: omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Quibus verbis Paulus apertè docet, posse quidem Corinthios simul ad mensam Domini, & ad mensam Dæmoniorum accedere: sed hoc neque ipsis, neque alijs vtile fore. Deus enim iubet Idola fugere, & cauendum esse ab offendiculis, monet. Contra vtrunque mandatum Dei peccabant Corinthij, ad conuiuia gentilium sacra accedentes, quòd seipsos polluerent idolis, infirmos in fide offenderent, & Idolatras in sua impietate confirmarent. Sed interim Paulus non negat, eos simul mensæ Domini participes esse: sed iudicium saltem, & pœnam minatur. Ideo non vult eos socios Dæmoniorum esse.

Interpretatio verborum Pauli, per verba Pauli.

D. BEZA.

Corpus Christi (Ecclesia) ex cuiusmodi membris compactum.

Vnum est verum corpus Christi, quod constat tantùm viuis membris, hoc est, verè credentibus: ad quod socij Damoniorum non pertinent. Nemo potest enim simul membrum Christi, & membrum Diaboli esse.

D. IACOBVS.

In corpore Christi multa putrida membra.

Imò verò, sicut in vno corpore humano sunt multi praui humores, qui corpus molestant: sic in Ecclesia, quæ est corpus Christi, sunt multa quoque putrida membra, hoc est, externa professione Christiani, sed hypocritæ, socij Dæmoniorum: qui tamen etiam sacris Christianorum, & mensæ Domini communicant, imò interdum ita præ alijs splendent, vt optimi esse videantur.

Sed existimat Illustrissimus Princeps Comes Fridericus, Dominus noster clementissimus, satis de hoc articulo Cœnæ Domini, nos collocutos esse. Nihil enim noui amplius ex parte vestra affertur. Ex his autem quæ vtrinque dicta sunt, arbitror auditores omnes facilè intelligere potuisse, vtra pars glossa humana, aut solidis Scripturæ sacræ testimonijs doctrinam suam confirmauerit, quorum iudicio etiam commendamus.

Alterius autem partis Theologi, poterunt ex collatione facta etiam colligere, in quibus consentiamus, & in quibus dissentiamus. Et sciant nos ad pacem, & Deo gratam concordiam constituendam promptissimos esse. Si quid in doctrina nostra amplius desiderant ad explicationem, & rationem reddendam, omni hora parati erimus. DOMINVS sanctum Spiritum largiatur, vt concordia solida constituatur, quæ coram Deo, & Ecclesia eius consistere possit, vt in CHRISTO IESV vnum simus.

D. BEZA.

Beza studium pacis, & concordiæ declarat.

Hoc est quod optamus, vt quamuis maximè non possimus per omnia cōsentire: tamē appareat in quibus dissentiamus, vel cōsentiamus. Testor Deū, me ex animo loqui. Et nisi molestū fuerit, recitabo paucis, quæ ante annos 27. in fine Scri-

pti

pti adiecerã, quod contra Vvestphalum edidi, qui mihi occasionem præbuit, anno 69. Vbi in fine Apologiæ, hæc mea verba leguntur: Sed age, obtestor vos oẽs, qui hanc Apologiam estis inspecturi, ego omniũ infimus: seriò tandem non quis ista incendia excitarit, sed qua tandẽ ratione penitus extingui possint, consideremus. Plus satis est litiũ, plus satis conuitiorum, plus satis criminationũ, et apologiarũ: & nos tandem profectò pœnitere debet, tot annos Euangelij profectũ istis tam luctuosis contentionibus fuisse retardatum. Hactenus igitur (quando ita promerita sunt peccata nostra) sit odijs certatũ: cur non tandẽ charitate potiùs certamus? Certè communes habemus hostes, cõmunem confitemur Deũ patrem, Filiũ & Spiritũ S. de Mediatoris officio, de fide, de bonis operibus, de verbo Domini, de Ecclesia, de Magistratu, idem sentimus. In sacramentali causa, quicquid est dissidij, an obsecro eiusmodi est, vt scindi nos oporteat, & ludos communibus hostibus præbere? verbi simplicis prædicationem, non æquamus illi, quæ est Sacramentis veluti vestita. De vera veri corporis & sanguinis communicatione in cœna Domini inter nos conuenit: adeò præsentem esse Christum, vt verè nos sua carne & suo sanguine pascat in vitam æternam, profitemur. In modo tantùm communicationis controuersia est: quoniam contenti sumus spirituali, quæ fit per fidem. Hanc controuersiam satis intelligimus alias duas secum trahere: sed vtrasque obsecro, cuiusmodi? Christum in cælos ascendisse: cœleste regnum nostro nomine inijsse: eius vnius virtute, potentia, charitate nos regi & seruari scimus: eius spiritui, quicquid boni à nobis proficisci potest, acceptum ferimus in solidum. Sessionem ad dexteram, nonnulli cum ascensione confundunt: sed in eo, vnde pendet salus nostra, quod dissidium est? Quotcunque indignè, id est, sine fide, manducant ex sancto

" pane, & indignè bibunt ex ſacro poculo, reos eſſe corporis & " ſanguinis Domini agnoſcimus. Ergo in re ipſa quoq; conuenit. Manet hîc quoq; controuerſia, an ſola ſymbola indignè ſumãt, reiecto per infidelitatem corpore: an verò etiam corpus ipſum ſumant. An, obſecro, propter controuerſiam hanc de impijs, diutiùs perturbabuntur piorum animi? Si quid Dominus cuipiam reuelârit, depromatur: ſed eo modo, qui Christianos deceat. Inſtituatur doctorum & piorum hominum Colloquium: interponatur Chriſtianorum principũ autoritas, qui omnem acerbitatem mitigent, & (quandoquidem hoc requirit nõnullorum petulantia) effrenes iſtos motus coërceant: neutri certum præiudicium afferant, ſed animum paratum ijs cedere, quæ candida et ſimplex veritas docuerit. Neq; verò quum hæc ſcribo, mihi in mentem venit, vt ego homuncio inter tantæ doctrinæ & autoritatis homines, velut arbitri & diſceptatoris partes agã. Quis ſum n. ego, vt hanc cogitationem ſuſcipiam? ſed tamen quando ita tulit occaſio, quis meus ſit animus, & quæ quotidiana ſuſpiria, volui Eccleſiæ Dei teſtari: & hoc meum deſiderium ſum præſens expertus tum illuſtriſsimis aliquot principibus, tum etiam doctiſsimis Germaniæ Theologis haud ita pridem non diſplicuiſſe: quos ego iterum in nomine Domini ſupplex hortor & obteſtor, vt potiùs de miſerabili hoc diſsidio Eccleſiæ componendo, quàm de vllis alijs negocijs cogitẽt. Nihil enim æquè ad Chriſtianos Principes puto pertinere. Et quod ad noſtros attinet, confido fore, vt quoties liberi & Chriſtiani Colloquij cõditiones offerentur, in quo ſpes aliqua vel minima futuræ concordiæ affulgeat, non modò non refugiant, ſed etiam cupidiſsimè amplectantur. Hactenus verba Bezę.

Quæ adhuc mea ſententia eſt, DOMINVS pacem largiatur.

D. IACOBVS.

Reuerende D. Beza, Credo vos in hac collatione institu- ta re ipsa deprehendisse, quòd nulla animorum acerbitate hanc controuersiam tractemus, sed veritati, paci, & concordiæ ex animo studeamus. Et diuina prouidentia singulari factum esse existimo, quòd in præsentia Illustrissimi Principis, Comitis Friderici, Domini nostri clementissimi, & plurimorum optimorum & doctissimorum virorum ante obitum vtriusque conuenire, & placidè de controuersia hac & aliis colloqui licuerit. Quod ego diu multumquè exoptaui, non quòd de veritate & certitudine doctrinę nostrę dubitaremus, quam scio in verbis Testamenti Christi fundatam esse: sed cùm vtrinque in scriptis nostris publicis cōquesti simus, multa nobis à te, tuisque fratribus, tribui, quæ minimè doceamus: & similibus querelis vestros quoque libros polemicos repletos esse constet: vt placida collatione instituta, omnibus demonstretur, quid ab vtraque parte iustè vel iniustè, verè vel non verè, alteri parti imputatum sit.

D. Iacobus veræ & piæ pacis & concordiæ cum suis studiosus.

Scopus & fructus Colloquii instituti, cuius causa D. Iacobus cum D. Beza colloqui optauerit.

Et cùm plurimi in ea opinione ab vtraque parte hactenus versati sint, quòd arbitrentur, non procul nos ab inuicem dissentire, si modò alter alterum rectè intelligere, & alter alterius verba & sententiam candidè interpretari velit: spero Auditores præsentes, nunc eum fructum ex collatione placida & familiari percepisse, vt non modò intelligant, quæ vtriusque partis perpetua & constans sit sententia & doctrina, sed etiam vtra in verbo Domini fundata, vel eidem contraria sit. Vnde etiam facilè statuere poterunt, vtram posthac securè ac tutò absque periculo æternę salutis sequi velint aut possint.

Opinio plurimorum de controuersia in negocio de Cœna Domini.

1. Nam de manducatione carnis Christi quæ fit per fidem, nulla vnquam controuersia fuit. 2. Capernaiticam manducationem, & Cyclopicam lanienam carnis Christi, nunquam docui-

Ἀνακεφαλαίωσις breuis totius controuersiæ.

docuimus. 3. Physicam & localem præsentiam corporis Christi, siue visibilem, siue inuisibilem, semper in Cœna Domini reiecimus. 4. Repræsentationem, significationem, & vmbras corporis Christi, veteris Testamenti esse demonstrauimus. 5. Præsentiam autem veram & realem, & manducationem eiusdem corporis Christi sacramentalem, credimus: qua per corporalia, panem & vinum, Deus spiritualia, videlicet corpus & sanguinem Christi, non solùm menti, sed corpori quoque nostro præbet, exhibet, 6. & per corporale instrumentum, hoc est, ore percipere iubet, cùm inquit: Accipite, manducate (quod sanè non significat credere, sed ore percipere) Hoc est corpus meum: 7. vbi nihil carnale imaginandum, quod ad pręsentiæ aut manducationis modum attinet, qui sapientiæ, potentiæ, & veritati omnipotentis Dei tribuitur, qui modum solus nouit.

Quomodo pia concordia constitui possit.

Hæc vera & verbis Christi consentanea esse, omnes piæ mentes iudicabunt. Ea si vos quoque credatis, doceatis, & confiteamini: iam iam pius consensus constitutus est. Quod facilè fieri potest, si modò carnales imaginationes de hoc mysterio abieceritis. Quod vt faciatis, & Ecclesiam Dei, plurimos pios & fideles exhilaretis, etiam atque etiam oro: vt vnanimes coram tribunali Dei Christi saluatoris nostri, ad quod propediem sistendi sumus, læti & hilares compareamus.

Ἀποστροφὴ & exhortatio ad D. Bezam.

D. BEZA.

Declaratio voluntatis D. Bezæ.

Verè affirmare possum, nos placidũ, cõcordiæ amantem, & docilem animum, ad hanc collationem attulisse. Vnde confido, Dominum huic collocutioni benedicturum. Habet Deus sua momenta: si non hoc, saltem alio die, plenus consensus sequatur. Quamuis enim aliter ceciderit, quàm speraueram, & adhuc aliquam dissensionem inter nos esse videam:

deam: non tamen eam talem existimo, qua fundamenta religionis tollantur.

D. IACOBVS.

Et nos pariter animum concordiæ studiosum attulisse, re ipsa experti estis. Et confidimus nos quoque, hanc collationem sine fructu non abituram: quem Dominus suo tempore proferet. Sed tua Reuerentia cum suis fratribus, laborem in responsione ad alterum scriptum nostrum de persona Christi adornandum, suscipiat: in qua vt breuitati studeatis, oramus.

D. BEZA.

Grauitas argumenti tempus requirit: & vos parati aduenistis, instructi libris, quibus nos caremus: sed breuitati studebimus, quantum possumus.

D. IACOBVS.

Sancte vobis affirmare possumus, nos domi nihil prorsus, sed partim in itinere, partim hic omnia conscripsisse: idq; hanc potissimùm ob causam, vt tempus redimeremus; & libros nobiscum non attulisse.

D. BEZA.

Precamur Deum, vt nobis suo sancto Spiritu adesse velit.

D. IACOBVS.

Amen.

Postquam Articulus primus de Cœna Domini absolutus fuit: Theologi VVirtembergici peculiare scriptum adornarunt, (sicut inter collocutores con-

conuenerat) quo ostendebant, in quibus partibus cõsensus, & in quibus dissensio adhuc esset. Et viam quoque monstrarunt, qua ratione absque offensione conscientiarum, salua & illæsa veritate, pia concordia, in hoc articulo constitui posit. Quod cùm alteri parti exhibitum esset: ipsi suam quoque sententiam peculiari scripto complexi sunt. Cùm autem inter partes conuenire nõ potuisset: vtrique sua cõsignatio restituta, & de hoc articulo nihil amplius ad concordiam faciendam tentatum est. Pleraque enim cùm in scriptis vtrinque ante collationem cõmunicatis, tum in collatione instituta, ita explicata sunt, vt omnes facilè videre queant, in quibus consensus aut dissensio esset. Et quæ via ad piam concordiam constituendam, sit: satis perspicuè monstratum est.

DE PERSONA CHRISTI, XXV. MARTII HORA II. POMERIDIANA.



ANTE collationem de secundo Articulo cõtrouerso institutam, præsente Illustrissimo Principe, Comite Friderico, & Auditoribus Colloquij reliquis, consiliariis aulicis & Gallis exulibus: primùm, à D. Luca Osiandro Theses de persona Christi à Theologis Vvirtẽbergicis conscriptæ, publicè recitabãtur. Quem postea secutus D. Abrahamus Musculus, respõsiones D.

Bezæ

Bezæ, & fratrum suorum nomine conscriptas, quoque recitauit. De quibus postea D. Beza, & D. Iacobus coram vniuerso auditorio, non minùs placidè, quàm in Articulo de Cœna Domini, collocuti sunt.

THESES THEOLOGORVM VVIRTEMBERGICOrum, de Persona Christi.

I.



XTRA controuersiam est, quòd Filius Dei æternus assumpserit in tempore humanam naturam, anima & corpore constantem, ex substantia, carne & sanguine virginis Mariæ: qua ratione per omnia (peccato excepto) nobis fratribus suis similis est factus. Assumpsit autem humanam naturam in vnitatem personæ, ita vt in Christo non sint duę personę, sed vnica tantùm, & vnus tantùm Christus: neque hęc persona in omnem æternitatem solui potest.

II.

Etsi autem duę naturę in Christo arctissimè sint copulatę: tamen non est facta earum confusio, qualis est, cùm ex duobus integris fit quiddam tertium: vt, cùm ex aqua & melle fit mulsum. Neque vna natura in alteram est mutata. Et quemadmodum diuinitas non conuersa est in humanitatem: ita neque humanitas mutata est in diuinitatem, vel ante vel post ascensionem Christi in cœlum. Ad integram enim personam mediatoris Christi, requiruntur duę naturę.

III.

Constat etiam, quòd quęlibet natura in Christo suas habeat & retineat proprietates; verbi gratia: diuinæ naturæ

proprietates ſunt, eſſe omnipotentem, æternam, infinitã, &c. Humanæ naturæ proprietates ſunt, eſſe corpoream creaturam, finitam, circumſcriptam, quæ poſsit pati, mori, &c. Nec in omnem æternitatem proprietates vnius naturę, fiunt proprietates alterius naturę: inde enim ſequeretur naturarum confuſio, imò etiam earum abolitio.

IIII.

Præter proprietates naturarum in Chriſto, ſunt etiam in Chriſto hŏmine dona creata: quibus ille omnes homines & Angelos ſuperat. Sed hęc non in conſiderationem veniunt, quando de proprietatibus naturarum in Chriſto diſputatur.

V.

In perſona Chriſti eſt communicatio quædam proprietatum, qua toti perſonę tribuitur, quod alterius naturę eſt proprium: & de vna natura pronunciatur, quod altera natura proprium habet. Vnde doctrina de communicatione Idiomatum in Eccleſia orta eſt.

VI.

Cùm docetur: Filium Dei communicare ſuas proprietates naturæ humanę aſſumptæ: verbi gratia, omnipotentiam, omnipræſentiam: id non ſic intelligendum eſt, quaſi Filius Dei in aſſumptam naturam humanam, ita ſuas proprietates effuderit (ſicuti aliquid ex vno vaſe in aliud effunditur) vt humana natura, per ſe, & ex ſe (etiam in abſtracto, ſeu extra vnionem perſonalem conſiderata) habeat peculiarem omnipotentiam, quæ ſit iam ipſius non modò propria, verùm etiam ipſius proprietas. Sic enim in Chriſto conſtituerentur duę Diuinitates: & per conſequens in Deo non eſſet trinitas, ſed quaternitas. Itaque ſic ſentiendum eſt: ſi vnio perſonalis ſolui, & Chriſti tamen humana natura conſtare poſſet: tum humanę naturę, neque omnipotentia, neque omnipręſentia rectè tribui poſſet.

VII.

Neque ſtatuendum eſt, humanam in Chriſto naturam factam

ctam esse essentiam infinitam & incircumscriptam: aut in omnia cœli & terrę loca extensam: aut eam tali modo vbique esse, quo Diuinitas vbique est: aut eam cum diuina natura exęquatam esse. Nihil enim horum, ex vera & reali proprietatum communicatione, consequitur.

VIII.

Realem proprietatum communicationem cùm dicimus, non physicam intelligimus, qua natura vna in alteram transiret: sed vocabulum (REALIS) opponimus communicationi VERBALI, quę naturis tantùm NOMINA proprietatum facit communia.

IX.

Quæritur igitur: an inter diuinam & humanam naturam in Christo propter vnionem personalem, REALIS, hoc est, vera & reipsa existens in persona Christi, fiat quædam communicatio, vt vna natura alteri proprietates suas communicet: & præterea quæritur, quousque illa realis communicatio extendatur? Status controuersiæ.

X.

Nos credimus, quòd ex vnione personali sequatur talis proprietatum realis communicatio, qua Filius Dei communicet assumptæ humanæ naturæ suam omnipotentiam, omniscientiam, omnipræsentiam & vim seu virtutem viuificandi, &c. per quam communicationem, diuina natura in Christo non fit infirmior, humana autem natura exaltatur, non aboletur. Erudita antiquitas vsa est in hoc mysterio explicando similitudine animæ & corporis: Item, ferri candentis. Corpus enim re vera viuit, sed virtute animę viuit. Et ferrum candens re vera vrit, sed virtute ignis vrit. Neque tamen corpus in animam mutatur, neque propter illam communicationem aboletur: neque ferrum in ignem conuertitur, neque ferrum esse desinit.

XI.

Itaq; (propter vnionem personalem et proprietatum communi-

municationem) credimus, Christum etiam secundum humanitatem suam esse omnipotentem, seu (quod idem est) humanam in Christo naturam esse omnipotentem. Scriptura enim sacra Christo, etiam quatenus homini, omnem potestatem (quæ nihil aliud est, quàm omnipotentia) tribuit. Omnia (inquit Psaltes) subiecisti sub pedibus eius, Psalm. 8. Et Paulus hunc Dauidis locum explicans, inde probat: quòd Christo OMNIA sint subiecta præter eum, qui subiecit ei omnia, 1. Corinth. 15. Ioannes Euangelista inquit: Sciebat Iesus, quòd OMNIA dedisset ei pater in manus, Ioan. 13. Et Christus ipse (etiam ante passionem suam) dicit: omnia mihi tradita sunt à patre meo, Matth. 11. Et post resurrectionem inquit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, Matth. 28. Huc referenda sunt etiam miracula Christi, vt indubitata eius omnipotentiæ testimonia: Quòd tactu mundauit leprosos: visum cęcis restituit: quòd voce sua Lazarum in vitam reuocauit: quippe quæ miracula Christus non aliena virtute, (vt Prophetę & Apostoli) sed propria potestate edidit.

XII.

Christum etiam secundum humanam naturam (iam in statu gloriæ & Maiestatis) omnia quæ fuerunt, quæ sunt, & quæ futura sunt perfectissimè scire & nouisse, credimus. Ioannes enim Baptista testatur: Christo spiritum non ad mensuram, vt alijs hominibus, sed ita datum, vt nos de ipsius plenitudine accipiamus, Ioan. 3. Et Christus in statu exinanitionis videbat Pharisęorum COGITATIONES. Et Paulus de Christo loquens dicit: In quo sunt OMNES THESAVRI sapientiæ & scientię absconditi, Colos. 2. Et necesse est Christum OMNIA scire: cùm sit futurus Iudex viuorum & mortuorum, Ioan. 5. Quòd enim diem iudicij ante passionem suam ignorabat, non simpliciter ad humanitatem eius, sed ad formam serui quam deposuit, referendum est.

XIII.

Quòd autem Christus omnibus creaturis, in primis verò

Eccle-

Ecclesiæ & electis suis, vbique etiam humanitate sua, præsens sit: id sacræ literę euidenter testantur. Vbi (inquit Christus) sunt duo aut tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum, Matth. 18. Et alibi: Ecce (inquit) ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi, Matth. 28. In quibus dictis, nihil opus est diuellere humanam naturam à diuina: quia personam Christi, ne mors quidem ipsa diuidere potuit. Paulus de ascensu hominis Christi in cœlum scribit: Ascendit super omnes cœlos, VT IMPLERET OMNIA, Ephes. 4. Et in eadem Epistola de Christo homine testatur, quòd omnia in omnibus impleat, Ephes. 1. Implere autem omnia secundum Scripturę phrasin, omnibus rebus cœlesti modo præsentem esse significat. Ego cœlum & terram impleo, dicit Dominus, Ierem. 23.

XIIII.

Modus autem huius pręsentiæ in sacris literis non exprimitur: Itaque QVOD Christus non localiter quidem & physicè, sed supernaturaliter omnibus creaturis verè præsens sit, credimus. QVOMODO autem id fiat, ignorare nos in vera & pia humilitate libenter fatemur.

XV.

Quin etiam carnem Christi verè viuificam esse, cum pia antiquitate (quæ etiam mortuorum resurrectionem, ex carnis Christi viuificæ sumptione, confirmauit) credimus. Christus enim dicit: Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt Manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, &c.

XVI.

Hanc Maiestatem omnipotentiæ, omniscientiæ, omnipræsentiæ, & virtutem viuificandi habuit Christus, quatenus

nus homo (propter personalem vnionem) etiam cùm in vtero matris esset: sed tum eam non exeruit aut vsurpauit. Postea verò natus in hunc mundum, quoties opus fuit, eam in miraculis & distributione corporis & sanguinis sui demonstrauit & vsurpauit: quantum quidem ratio vocationis & officij eius postulabat. Erat enim tunc Christus in forma serui, & se exinaniuerat, vt pati & mori posset, Philip. 2.

XVII.

Status autem exinanitionis & formæ serui, quæ ad breue tempus in Christo durabant, nihil derogant eius Maiestati, in quam plenè ingressus est, cùm ascenderet ad cœlos, & consideret ad dexteram Dei patris Omnipotentis: quæ dextera Dei est Maiestas Christi, secundum vtramque naturam præsenter regnantis in cœlo & in terra. Itaque iam Christus, in, cum, & per assumptam humanam naturam, omnia in cœlo & in terra gubernat. Hoc est enim sedere ad dexteram Dei. Itaque Apostolis in orbem terrarum emissis, cooperatus est Christus, & sermonem Euangelij confirmauit sequentibus signis, quæ ex virtute, & potentia, & in nomine Iesu Christi fiebant, Marc. 16.

XVIII.

Quin etiam propter indissolubilem vnionem personalem rectè & verè dicitur: Homo Iesus Christus est Deus verus: & Deus æternus, homo factus est. Nihil aliud enim dicit Ioannes, cùm inquit: *VERBVM CARO FACTVM EST*, Ioan. 1. Verbum enim illud (teste eodem Apostolo in eodem capite) erat DEVS: Caro autem secundum phrasin Scripturæ significat HOMINEM. Itaque hæc propositio: Verbum caro factum est: nihil aliud significat, quàm, Deus homo factus est. Eam ob causam Paulus de Christo sic scribit: Ex quibus (Iudæis) est Christus secundum carnem: QVI est super omnia DEVS benedictus in secula, Rom. 9.

XIX.

Hanc ob causam rectè & verè dicitur; Deus passus est pro

n obis;

nobis: Deus mortuus est pro peccatis humani generis: etsi libenter fatemur, quòd diuinitas in se nec passa sit, nec mortua: sed quòd Christus passus sit in carne, vt Petrus loquitur, 1. Petr. 4. Interim tamen, etsi diuinitas mori non potest, contumeliæ non modò ad filium hominis, sed etiam ad Filium Dei pertinebant, quia non sunt duæ in Christo personæ, sed vnica tantùm. Nisi enim Dei sanguis pro nobis effusus esset: nos nec ab æterna morte redempti, nec à peccatis nostris emundati essemus. Ideo Paulus Ecclesiam Ephesinam verbi Ministris commendans, ait: Spiritus sanctus posuit vos Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit SANGVINE SVO, Actorum 20. Et Ioannes inquit: Sanguis Iesu Christi FILII eius, emūdat nos ab omni peccato, 1. Ioh. 1.

XX.

Et hic mediator & redemptor noster Iesus Christus, totus religiosa adoratione est adorandus, secundum vtramque naturam: quia non habemus duos Christos, quorum alter sit adorandus, alter non adorandus. De toto enim Christo scriptum est: Adorent EVM omnes Angeli eius, Hebr. 1. Et cæci illi adorationem & inuocationem dirigebant, non tantùm ad Filium Dei, sed etiam ad filium Dauidis, hoc est, ad humanam naturam in Christo, dicentes: Domine miserere nostri FILI DAVID: neque tamen à Christo eam ob causam reprehenduntur, sed potiùs curantur, Matth. 20. Marc. 10. Luc. 18. Et Stephanus Martyr, qui certè solidam cognitionem Christi mediatoris habebat, in agone animam suam Christo commendans, dicebat: IESV suscipe spiritum meum: Deo & homini IESV Christo, animam suam commendans.

XXI.

Hæc sana & pia doctrina de inseparabili vnione personali duarum naturarum in Christo: de communicatione Idiomatum reali: de exaltatione humanæ naturæ ad dexteram, hoc est, Maiestatem & virtutem Dei: adeò non

tollit

tollit præsentiam corporis & sanguinis Christi è sacra Cœna, vt eandem potius confirmet. Quia humana natura in Christo cum Filio Dei INDISSOLVBILITER vnita, & proprietatum diuinarum particeps facta, atque ad dexteram Dei collocata, non modò in sacra Domini Cœna, sed etiam toti Ecclesiæ semper præsens est. In sacra autem Cœna caro & sanguis Christi dispensantur, &c.

SEQVENTIA DOGMAta cum Scriptura sacra pugnare iudicamus.

I.

QVOD in Persona Christi nulla sit alia proprietatum communicatio, respectu naturarum, quàm ea, quæ faciat communia nomina: qua ratione Humanitas in CHRISTO nihil acciperet à Diuinitate: neque ea, quæ acciderunt humanitati, quicquam pertinerent ad Filium Dei æternum. Et quòd affirmatur, phrasin tantùm esse, & modum quendam loquendi, cùm dicitur: Deus est homo, & homo est Deus. Deum enim nihil cum humanitate, & humanitatem nihil cum Deitate REALITER, hoc est, verè & re ipsa cōmune habere. Et in propositione, Homo est Deus: vocabulū (Hominis) non significare verū hominem, sed Filium Dei, qui sustentat humanam naturam. Itaq; hanc propositionem (Deus est passus) sic interpretantur: Deus, id est, humanitas Deitati vnita, est passa: & homo est omnipotens, id est, Deitas humanitati vnita, est omnipotens. Hoc est dogma Nestorij, qui dixit: Noli gloriari Iudæe: non Deū, sed hominem crucifixisti. Hoc. n. dogma facit duos Christos, quorum alter diuinam haberet Maiestatem: alter cum ea nihil haberet com-

commune. Alter passus esset pro genere humano: alteri verò cum passione nihil omnino fuisset commune.

II.

Quòd omnis potestas in cœlo & in terra, quæ Christo in tempore data est, data sit personæ Saluatoris secundum VTRAMQVE naturam. Et quòd Christo secundum DIVINAM suam naturam in resurrectione & ascensione ad cœlos, iterum RESTITVTA fuerit omnis potestas in cœlo & in terra: perinde quasi dum in statu humiliationis erat, eam potestatem etiam secundum diuinitatem deposuisset & exuisset. Hoc dogma Arianismum sapit: quia talem in Christo diuinitatem statuit, quæ patiatur incrementum & decrementum: cùm veræ diuinitati nihil addi, nec detrahi possit.

III.

Quòd TOTA persona Christi, secundum VTRAMQVE naturam, officij respectu, maneat SVB DIVINITATE. Et hoc Arianismum redolet. Christo enim talis diuinitas tribuitur, quæ sit SVB DIVINITATE: cuiuscunque tandem respectu id fiat.

IIII.

Christum secundum humanitatem, omnipotentiæ, aliarumque proprietatum diuinæ naturæ, prorsus non esse capacem, eumque (secundum humanam naturam) cum omnipotentia Dei nullam habere communicationem: sed habere mediam inter diuinam atque Angelorum & hominum potestatem.

V.

Quòd asseritur, Christo secundum spiritum suum humanum, certos limites positos esse, quantum videlicet, ipsum scire oporteat, & quòd non plus sciat quàm ipsi conueniat, & ad executionem sui officij, iudicis nimirum, necessariò requiratur. Et Christum ne hodie quidem habere perfectam cognitionem Dei, & omnium ipsius operum. Et Chri-

sto impossibile esse, humano suo spiritu nouisse, quicquid ab aeterno fuerit, quid iam nunc vbique fiat, & quid in omnem aeternitatem sit futurum.

VI.

Quòd Christo impossibile sit, propter humanae naturae proprietatem, vt simul eodémque tempore IN PLVRIBVS, nedum in omnibus locis suo cum corpore esse possit. Et Christo, postquam nos passione & morte sua redemerit, secundum humanitatem suam nihil amplius nobiscum esse negocij.

VII.

Quòd docetur, carni Christi vim & virtutem viuificandi aliam non tribuendam, nisi quatenus Christus passione sua in carne nos redemerit.

VIII.

Quòd is, qui ad ipsam Christi carnem, suam adorationem aut inuocationem dirigit (etiam in illa vnione personae manentem) ex ipsius Dei ore sit maledictus. Christum enim esse CONSERVVM nostrum, (quasi verò non sit Dominus gloriae) idéoque eum esse Idololatram, & in Deum blasphemum, qui Christi carnem etiam glorificatam, & in vnione personae manentem, adoret, &c.

Iacobus Andreae D.
Lucas Osiander D.

RESPONSIO AD THEses de Persona Christi, à dominis collocutoribus, Mart. 23. exhibitas.

ANNOTATIONES Marginales D. Iacobi Andreæ.

Ad I. & II.

VTramque probamus.

Ad III.

Assentimur & valdè probamus illam formulam, qua dicitur: proprietates nunquam egredi sua subiecta.

a. Non vsi sumus hac phrasi, tametsi rectè intellecta non improbatur; vos autem ea ad verbalem communicationem asserendam abutimini.

Ad IIII.

Assentimur, & hîc probamus distinctionem inter [b] *gratiam vnionis, qua homo ille est Deus: & gratiam, quam habitualem vocant, qua homo ille ornatus est habitibus, & qualitatibus tot & tantis, quantis nulla alia res creata ornari potest.*

b. Quid gratia vnionis sit & complectatur, de eo disputatio est.

Ad V.

De persona Christi interdum prædicantur voces, vtriq; naturæ siue toti Christo conuenientes: vt, cùm Christus, & Iesus, & Mediator, cæterisquè eiusmodi nominibus appellatur. Interdum verò [c] *propter vnitatem personæ, ab altera tantùm natura denominatur, idq; dupliciter: interdũ enim habet prædicata, illi ipsi naturæ conuenientia, à qua* [d] *denominatur: vt cùm dicitur Deus benedictus, æternus, omnipotens, &c. quemadmodum etiam si dicas, hominem illum*

c. Hanc vnitatem sola combinatione, sine reali communicatione propriorum intelligitis & describitis; quod falsum esse demonstrabitur.

d. Non denominatur tantùm, sed alteri naturæ realiter communicatur.

fuisse passum, mortuum, pro nobis crucifixum, &c. Et istiusmodi enunciationes sunt maximè [e] *propriæ. Interdum verò habet prædicata toti quidem Christo, quia vnica est persona indissolubilis, verè & propriè conuenientia: at non tamen eis naturæ* [f] *in sese, ne in vnione quidem consideratæ, competentia, à qua* [g] *denominatur: vt cùm dicitur, Deum redemisse Ecclesiam suo sanguine, et Dominus gloriæ crucifixus, itemque filius hominis in terris loquens cum Nicodemo, fuisse in cælo: quod loquendi genus à veteribus vocatur* ἀντίδοσις, *à recentioribus, communicatio proprietatū. Hæc autem prædicatio vsurpari non potest, nisi in* [h] *concretis nominibus: quoniam tota persona Christi nunquam in abstracto, ab vlla duarum suarum naturarum denominatur. Et ex huius inter concreti et abstracti voces discriminis ignoratione orta est hæresis. tum* [i] *Nestorij, qui Deum (nempe τὸν λόγον) negabat & filium esse Mariæ, & crucifixum fuisse: tum Eutychetis, qui* [k] *Deitatem Christi passam asserebat. Stat ergo illa* [l] *regula vniuersalis: neque naturam de natura, neque proprietates vnius naturæ posse alteri attribui.*

Ad VI. & VII.

Nos verò vt proximè præcedenti responso diximus, docemus ex hypostaticæ vnionis definitione, neque Deitatem, neque Deitatis proprietates de Humanitate [m] *vllo modo, ne in vnione quidem, verè dici posse.*

Ad VIII. & IX.

[n] Ὁμωνυμία *(i. æquiuocatio) est in vna voce communicationis, quæ modò pro vnione hypostatica, modò pro illius effectis accipitur. Itaque communicationem realem, id est,* vnio-

e. Enunciationes illæ non sunt propriæ sed inusitatæ: quia res, hoc est, Mysterium vnionis naturarum est inusitatum.

f. IN SESE, æquiuocum est, aliâs proprietatem naturæ denotans, aliâs communicationem realem factam significans.

g. Non est denominatio tantùm Grammatica, sed realis communicatio.

h. In concretis vocabulis latet error aduersariorum, quem vocabula abstracta aperiunt.

i. Nestorij hæresis nequaquam ex ignoratione harū vocum orta. Quia Nestorius vnam singularem personam confessus est, sed communicationem idiomatum negauit: inde hæresis eius orta est.

k. Non ideo hæreticus iudicatus: quia Cyrillus idem dixit: sed quia vnam tantùm naturam in Christo post assumptionem in cœlum asseruit.

l. Regula falsissima, quòd proprietates vnius naturæ, non possint alteri tribui: Nam hæc hæresis Nestoriana fuit.

m. Hæc hæresis, Nestorianâ est longè deterior. Nestorius enim communicationem duntaxat proprietatum Humanitatis impugnauit. Hi verò etiam communicationem proprietatum Diuinitatis negant.

n. Nulla hic æquiuocatio, sed natiua significatio vocis communicationis: quæ propter vnionem, & naturis & earum proprietatibus tribuitur.

vnionem naturarum admittimus, in qua manent singulæ naturæ per se, etiam in vnione, suis proprietatibus distinctæ, [o] citra vllam aliam communicationem. Itaq; communicationem, cuius hîc fit mentio, qua dicitur Humanitas suo quodam modo vbique & omnipotens, [p] ne verbalem quidẽ esse dicimus: sed tàm falsam esse existimamus, [q] quàm falsum est, vnione hypostatica humanitatem euasisse Deitatem. [r] Quamuis, vt suprà diximus, homini vnito cum λόγῳ, id est, toti personæ in concreto, ab altera natura, nempe humanitate denominato, siue Christo ὅλως, non κατὰ μέρη, siue in naturis distinctè considerato, & rectè & verè, quæcunque sunt Dei propria, attribuantur.

Ad X.

De humanitatis omnipotentia, omnipræsentia, omniscientia, aliquoties respondimus, illa, nõ humanitati etiam vnitæ, sed homini illi [s] κατ᾽ ἄλλο attribui: & rursus infrà sigillatim dicemus. Et quod attinet ad illas similitudines [t] ferri igniti, & corporis cum anima cõiuncti: ex illis definiri nequit hypostatica vnio, sed tantùm delineari, nedum vt inde possit cõmunicatio, quam statuitis, exoriri. Nam plurima sunt in his dissimilia, ac proinde nõ aliò trahenda, quàm quo sensu, à patribus Orthodoxis, hæ similitudines sunt accõmodatæ: nempe, quod ad similitudinẽ ferri igniti, attinet, vt docerent cõtra Eutychianos & Monothelitas, proprietates & operationes naturarũ, quamuis vnitarum inter [u] se non cõmunicari, nec subiecta sua egredi, tantùm abest, vt vestræ sententiæ faueat. Similitudo aũt vnionis animæ et corporis ad constituendũ hominẽ, notũ est, [x] quàm multi-

o: Hæc hæresis est Samosateniana, vnionem naturarum sine communicatione asserere.

p: Blasphema hæc assertio: Humanitatem Christi, ne quidem verbaliter omnipotentem, contra illud Christi: data est mihi omnis potestas, Matth. 28.

q: Non sequitur: quia alio modo Deitas omnipotens dicitur, videlicet per se: & alio modo humanitas in Christo, videlicet participatione omnipotentiæ.

r: Præstigiæ verborum, quibus oculi imperitorum perstringuntur. Omnia enim verbalia sunt, non realia: & hoc est verba dare.

s: Ludus Verborum est, & deprauatio particulæ distinctiuæ, quæ non tantùm ostendit, cuius naturæ proprium sit, sed causam indicat quoque, cur quod vnius naturæ proprium est, alteri tribuatur, videlicet propter vnionem cum altera natura, qua ei personaliter, id est, verè & realiter communicatur.

t: Per has similitudines Patres mysterium vnionis, & realem communicationem propriorum, quòd sine confusione naturarum fieri possit, declararunt.

u. Imò contrarium verum est: nam communicationem realem inde demonstrarunt. Contra Eutychianos ita quidem, quòd inde nulla confusio naturarum, vel abolitio alterius sequatur.

x: Nulla similitudo quatuor pedibus currit: sed in eo quadrat, ad quod à patribus accommodata fuit.

multipliciter ab vnione duarum in Christo naturarum, differat. nec aliò ab Orthodoxis fratribus est accommodata, quàm ad vnitatem personæ, in duabus perfectis naturis, ostendendam, nec longiùs est trahenda. Stat denique hæc regula, in hac hypostatica vnione, tum distinctas manere ipsas naturas, [y] tum agere vtranq; distinctè, quod sibi proprium est: ac proinde τὸ λόγον esse distinctè id, quod est λόγος, & [z] agere distinctè id, quod est τοῦ λόγου. Sicut manet etiam caro distinctè id, quod est caro, & exequitur distinctè id, quod est carnis. Ac proinde, vt paucis omnia: sicut, licet non separatæ, duæ tamen sunt numero distinctæ οὐσίαι: ita duæ quoque sunt voluntates & ἐνέργειαι, & [a] duo ἐνεργήματα, vnicum autem ἀποτέλεσμα, sicuti vnica est persona. Nec aliter intelligendū est [b] illud Athanasij: placuisse τῷ λόγῳ potentiam suam diuinam per illam carnem, in ipsa, & cum ipsa, exercere.

y. Falsa est hęc regula. Nam actiones in persona Christi, nequaquam distinctè, hoc est, seorsim aut diuisè naturis, sed toti personæ tribuuntur.

z: λόγος nihil sine carne agit, sicut anima distinctè nihil sine carne, neque caro sine anima: quamuis naturæ sint & maneant distinctæ, sed tota persona Christus agit.

a: Nestorianismus crassissimus. Sunt duæ voluntates distinctæ in Christo, & duæ distinctæ οὐσίαι & ἐνέργειαι: actiones autem sunt communes ad vnum finem directæ.

b. Athanasij sententia hæc non patrocinatur errori de distinctis naturarum actionibus, sed eam refutat & euertit.

c: Hæc non modò sine omni Scripturæ sacræ testimonio, sed contra eam dicuntur. Ideo falsa.

d: Potentia Christo homini collata, nunquam inter creata dona numeranda, consensus sacræ Scripturæ & Patrum apertus est.

Ad IX.

Hæc omnis potestas, vt ex omnibus testimonijs, quæ hic citatis, cōstat, diuersa prorsus est ab ea, quæ est in Deo essentialis, & absolutè consideratur. Nihil .n. aliud est, [c] quàm summa secundum Deum, potestas, in rebus omnibus creatis administrandis, ad quas etiam ipsa refertur: [d] ac proinde inter dona in carnem Christi collata, id est, ad gratiam habitualem referenda est, quam tamen thesi 4. ab hac vestra communicatione exclusistis. Et quod ad miracula à Christo edita pertinet, sequimur Orthodoxæ veteris Ecclesiæ vniuersalem consensum, ex analogia fidei depromptū, quo confossi sunt Nestoriani, Eutychiani & Monothelitæ: ex quibus patribus satis sit ista descripsisse. Ex Tertulliano aduersus Praxeam: videmus duplicem statum non confusum, sed coniun-

coniunctum in vna persona, Deum & hominem Iesum: & adeò salua est vtriusque substantiæ proprietas, vt & spiritus, id est, [e] *Diuinitas res suas egerit in illo, id est, virtutes, opera, signa: & caro passiones suas functa sit, esuriens sub Diabolo, & sitiens sub Samaritide.*

Ex Cyrill. lib. de Trinit. Quæ diuino modo facta sunt à Christo, non sunt humanæ φύσει attribuenda, sed naturæ ineffabili, & omnẽ mentem transcendenti. Ex Nysseno cõtra Eunomium: Neq; humana natura Lazarum viuificat, nec deflet iacentem impassibilis potentia: sed lachryma quidem hominis [f] *est propria, vitæ aũt ea, quæ veræ vitæ sunt.*

Ex Damasceno lib. 3. de Orthodoxa fide, cap. 15. Neque humana natura Lazarum à mortuis excitauit, nec rursus diuina potentia lachrymatur. Nam lachrymæ quidem sunt quiddam humanitatis proprium, vita verò eius, qui est ipsa in sese subsistens vita.

Ad XII.

Quæcunq; fuit tempore humilitatis, & nunc est in gloria, [g] *scientia Christi quatenus homo est, donum fuit & est creatum, & subiectiuè Christi animæ insitum: ac proinde ad illam, quam ponitis, communicationem, nihil pertinet.* [h] *Formam aũt serui, id est, humanitatem, absit, vt Christum deposuisse, aut vnquam depositurum esse doceamus, vtpote quam ab humilitate ad illã eminentem, supra ipsorum etiam angelorum gloriam, transtulit, supra omnes cælos collocatam.*

Ad XIII. & XIIII.

De omnipræsentia aliter etiam statuimus, quàm de superioribus duobus, id est, potestate & scientia: quibus agnosci-

e: Orthodoxi Patres his dictis ostendere voluerunt, cuius naturæ propriæ sint actiones, vel passiones in Christo: sed sine communicatione & distinctè eas executas esse, nunquam somniarunt. Sic accipienda esse dicta Tertulliani, Cyrilli, ipsi optimi suorum verborum interpretes, docent.

f: Nyssenus non tàm sui, quàm Tertulliani & Cyrilli verborum interpres est, quòd de naturarum proprietate, non de communicatione loquatur: quæ non pugnant. Quod Damascenus quoque apertè confirmat. Etsi enim non proprium est humanæ naturæ excitare Lazarum: diuina tamen potentia, sine humana natura Lazarum non excitauit. Sicut non purus homo, sed Deus fleuit, quamuis Dei proprium non est, flere.

g: Hæc contra Scripturæ aperta testimonia dicuntur: In ipso absconditi sunt omnes thesauri scientiæ & cognitionis, Col. 2.

h: Forma serui non est humanitas, sed seruilis conditio hominis Christi. Qui est Dominus, Ioan. 13. Vos appellatis me Dominum, & rectè facitis, sum enim.

agnoſcimus abundantiſſimè et ineffabiliter donatam & ornatam eſſe à λόγῳ aſſumptam carnem. Iſtam verò omnipræſentiam, quæ infinitam [i] eſſentiam neceſſariò præſupponit, vni Deitati prorſus, & quarto, vt loquuntur, modo propriam, [k] nullo modo in humanitate Chriſti, quantumuis hypoſtaticè vnita, & nunc glorificata, circumſcriptionem tamen ſuam retinente, agnoſcere poſſumus. Denique ὑπερφυσικὰ quæ cognoſcimus, & quibus ſummè exornata eſt Chriſti humanitas, ab [l] ἀντιφυσικοῖς, quibus humanitas aboleretur, penitus diſcernimus: & quæ hîc profertis teſtimonia, partim ad vnicam [m] Deitatem τοῦ λόγου (licet ab humanitate non ſeparatam, diſtinctam tamen) referuntur, partim ad ipſius, tanquam capitis, in membra ſua vim ſeſe exerentem, ſpectant.

i: Abſoluta omnipræſentia præſupponit infinitam eſſentiam. Sed participatæ ſufficit, vt natura eius particeps facta, vnita ſit cum infinita natura, cuius participatione habet, quod infinita natura per eſſentiam eſt

k: Non ſufficit dicere: nullo modo fieri poſſe: ſed oportet probare. Nam contrarium aperte ſacra Scriptura teſtatur, Epheſ. 1. 4.

l: Omnipotẽtia, omniſcientia, omnipręſentia non ſunt ἀντιφυσικὰ, ſed ὑπερφυσικὰ, ſupra naturam humanam, non contra eam: Ideoque etiam eam non euertunt.

m: Verba Chriſti aperta ſunt, qui ſe ipſum interpretatur, & vim illã CARNI tribuit, quæ ipſi à λόγῳ communicata eſt, quæ à Chriſto tanquam capite deriuatur

Ad XV.

Quod ad viuificationem attinet, carnem Chriſti viuificatricem eſſe non negamus: [n] at non eo ſenſu, de quo hîc agitur. Eſt enim viuificatrix, nõ tamen ea vi, quæ eſt propria Deitatis, & prorſus ἀκοινώνητος: ſed primùm, quoniam in hac carne Chriſtus mortem pro nobis aboleuit, impletis ijs omnibus, quæ ad vitã æternam nobis acquirendam requirebantur: Deinde, quia non niſi huius carnis ſpiritualiter nobis per fidem cõmunicatæ interuentu, vitam illam æternam ex Chriſto Deo & homine nanciſcimur: & eò accommodanda ſunt Scripturarum teſtimonia à vobis prolata.

n: Carnem Chriſti viuificam eſſe, VI DEITATIS PROPRIA: totus chorus Patrum Orthodoxorum confirmat. Ideò aperte falſum, quod in hac reſponſione aſſeritur.

Ad XVI.

[o] Dona in carnem Chriſti ſubiectiuè effuſa (cuiuſmodi ſunt, quæ hîc recenſetis) nec ſtatim, nec perfectè, vt nunc, CHRISTI animæ & carni collata fuiſſe, liquet ex eo, quòd

o: Dona in carnem Chriſti ſubiectiuè effuſa, non eſſe omnipotentiam, omnipræſentiam, omniſcientiam, vim viuificandi, ſuprà demonſtratum eſt. Quia non ſunt accidentia neque in DEO, neque in aſſumpta humana natura: ſed in Deo eſſentialia, in aſſumpto homine perſonaliter donata.

p quòd creuisse vt corpus staturâ, sic anima sapientiâ & gratiâ verè dicitur, Luc. 2. & diem illum vltimum ignorasse, Matth. 24. Et omnibus carnis nostræ infirmitatibus, excepto peccato, verè obnoxius fuisse humiliationis suæ tempore ab Apostolo dicitur. Quo sensu παθητὸς, Act. 26. dicitur, non autem κατὰ δόκησιν, vt Marcion blasphemauit. Hæc autem caro q nullo modo simul & eodem tempore παθητὴ, & talis esse potuit, qualem illam in ipso veræ suæ abiectionis tempore fuisse statuitur. Vnde consequitur, per ascensionem ad cælos & per sessionem ad dexteram Patris, Christi carnem non duntaxat declarationem & vsum huius gloriæ & potestatis, sed ipsius gloriæ & potestatis r consummationem fuisse adeptam.

p. Hæc testimonia omnia ad statum humilitatis & exinanitionis referenda sunt.

q. Contrarium Paulus, qui dicit; Christum fuisse in forma Dei, & simul gestasse formam serui, Phil. 2.

r. Consummatio hæc fuit Maiestatis communicatæ reuelatio, quæ priùs forma serui tecta fuit.

XVII.

Assentimur huic thesi, duobus exceptis. Primùm, quòd formam serui, & statum exinanitionis, quem s vocatis, pro vno eodémque accipitis, & à Christo vtrumque depositum arbitramini. Nos autem per t formam serui ipsam humanitatem, secundum quam semper fuit, est, & erit, seipso u λόγῳ inferior, & nobis ὁμοούσιος intelligimus: quamuis infirmitates omnes peracto redemptionis nostræ ministerio, deposuerit. Inter illas autem infirmitates, minimè reponenda est x circumscriptio, vtpote quæ ipsam humanitatē formaliter cōstituat. Alioqui cùm vltimo illo die venturus est visibilis, ac proinde corporea substantia circumscripta, dicendus tunc esset nō gloriosissimus, sed rursus hac infirmitate resumpta, humilis appariturus. Deinde Christum regnare nunc quidē, & tum in cælo, tum in terra omnem potestatem, secundum vtramq; naturā habere profitemur: at non y præsenter, quod

s Videantur verba Pauli, & res manifesta erit.

t. Vos dicitis, sed non probatis; quod non sufficit.

u. Etsi humanitas naturâ λόγῳ semper inferior; tamen non ampliùs est serua, Act. 2. 12.

x. Maiestatis communicatio, cum circumscriptione non pugnat, nec eam abolet, aut naturam euertit, sed in summum gradum gloriæ in thronum proprium Dei exaltat.

y. Præsentissimus, quia non per vicarios, sed se ipso dominatur, sicut suprà dictum est.

ad carnem attinet: dicente Apostolo, quòd nunc in terris [z] *peregrè à Christo absimus, & desiderante migrare ex corpore, vt cùm eo coniungeretur: qui etiam propterea non iam venisse, aut adesse sua carne, vel ex inuisibili visibilis denuò futurus, sed* [a] *venturus conspicuus dicitur.*

z. Peregrinatio est illa physica & localis, quæ illam spiritualem præsentiam non adimit, qua Christus nobis præsentissimus est.

a. Visibiliter, qui nobis nũc inuisibiliter hic in terris cœlesti modo præsens est.

Ad XVIII. & XIX.

Assentimur: sed hoc præterea à vobis requirimus, vt quemadmodum rectè & piè, propter hypostaticam vnionem, et respectu totius personæ, Deo incarnato tribuitis per Idiomatũ communicationẽ, quæ assumptæ humanitatis sunt propria: [b] *ita etiã homini, quæ Deitatis* τȣ̃ λόγου *assumentis propria sunt, attribuatis. Et ne rem nouã à vobis petere videamur, petere nos dicimus, quod iam olim D. Lutherus totidem istis verbis faciendum esse scripsit, in nouissima verba Dauidis:* [c] *sicut duæ naturæ in vnam personam vniuntur: sic vniuntur etiam nomina vtriusq; naturæ, in nomen vnius personæ, id quod nominatur cõmunicatio idiomatũ vel proprietatum. Vt homo dicitur & est natus ex Maria virgine, & crucifixus à Iudæis: Idem nomen debet etiam tribui filio Dei, & dici: Deus est natus ex Maria virgine, & crucifixus à Iudæis: quia Deus & Homo est vna persona, & non duo filij, alter Dei, alter Mariæ: sed vnus idemq; est Filius Dei et hominis. Quamuis autem assumens natura excellat omnibus modis, & præsertim in eo, quòd per se subsistens subsistentiã humanæ naturæ præbeat:* [d] *tamen non dissimili, sed vna & eadem vnionis ratione, Verbum carni, & caro Verbo, vnitur. Et ingens illud discrimen, quo fit, vt Deitas assumens, nihil à natura, quam assumit, accipiat, sed contrà humanitas inde locupletetur, non ad vnionem ipsam hypostaticam, sed ad illud eius effectum pertinet, quod* [e] *gratiam habitualem vocari diximus.*

b. Diuersa est communicationis ratio, propter naturarum diuersitatem, & naturæ diuinæ immutabilitatem.

c. Nos & verba & sententiam Lutheri amplectimur. Non autem intelligimus duntaxat de verbali, sed reali naturarum vnione. Vos autem de verbali duntaxat accipitis, quod falsum est.

d Hoc falsissimum est. Quoniam duæ illæ naturæ ita vniuntur, vt altera det, altera accipiat. Sed hîc diuina nihil neque perfectionis neque imperfectionis, ab humana accipere potest, propter summam perfectionem & immutabilitatem Ideo ratio vnionis diuersissima est.

e. Ex vnionis gratia habet humana natura, quæ Deitatis propria sunt.

Ad

Ad XX.

Nos in adoratione vnica, vnici illius nostri, secundum vtramque naturam, mediatoris personam [f] *minimè diuidimus: sed naturas sicuti par est, distinguimus. Est enim* λόγος *verum* [g] *& absolutum adorationis nostræ obiectum, vtpote qua Deo soli debeatur. Carnem autem illam assumptam sic ab adoratione illa non excludimus, ne cum Nestorio personam diuidamus, vt tamen illam (non* [h] *in sese) sed respectiuè (id est, quatenus est caro filij Dei, vnicam cum & in illo* λόγῳ *personam constituens)* [i] *simul adoremus. Simpliciter enim humanitas illa in* [k] *sese & non in alio respectu considerata, inquit Cyrillus, seipsam adorantibus connumerat, & adorat etiam Christus, vt homo, postquam factus est homo. Adoratur autem semper cum Patre & Spiritu, quia Deus verus secundum naturam est. Et idem de recta fide ad Theodosium: Nam vt hominem (in sese videlicet, absolutè, etiam in vnione consideratum) Immanuelem adorabimus? Absit. Deliramentum enim hoc esset, & deceptio, & error. In hoc enim nihil ab ijs differremus, qui creaturam vltra factorem & conditorem colunt. Deniq; vt paucis omnia, Anathematismum* [m] *octauum Concilij Calcedonensis secuti, vna adoratione colimus Immanuelem: sed secundum quod essentialiter Dei filius factus est hypostatica vnione caro.*

f. Verbis videri non vultis, sed re ipsa facitis, dum Christo secũdum humanitatem adimitis, quæ ad adorationem religiosam necessariò requiruntur, videlicet omnipotentiæ communicationem.

g. Quia soli Deo debetur, ideo carni sine blasphemia tribui non posse, asseritis.

h. Hic manifeste excluditis, quia IN SESE, intelligitis ipsam substantiam naturæ humanæ, quæ non sit inuocanda, sed λόγος, cui vnita est.

i. Sicut pileus, seu corona Regis, cùm Rex adoratur, quam nemo alloquitur. Lib. in Ioh. 2. cap. 92. in hæc verba. Nos adoramus, quod scimus.

k. In sese. Cyrillus intelligit hoc loco & hac phrasi proprietatem substantiæ humanitatis, si per se consideretur; & simul statum exinanitionis complectitur.

m. Verbis probant illum Anathematismum, sed re ipsa improbant.

Ad XXI.

Sanam et piam doctrinã de inseparabili vnione hypostatica, & ipsi profitemur. [n] *Communicationem Idiomatũ realem agnoscimus, vnitatis personæ respectu. Hominem etiam illum, aduersus Nestorium, agnoscimus, tum illa hypostatica vnione ad Deitatem ipsam, nedũ ad maiestatem & virtutẽ*

n. Communicatio idiomatum ipsis nihil aliud est, quàm naturarũ & proprietatum vnio; cùm hæc tanquam causa & effectus differant.

NB.

o Homo euasit Θεὸς καὶ λόγος, quod hactenus in nobis reprehenderunt: sed quid intelligant, sequetur.

p. An non hoc est aperte communicationem Idiomatum cum Nestorio negare?

q. Peruersa interpretatio dexteræ Dei & sessionis ad dexteram Dei; de qua in collatione plura dicentur.

r. Manifesta est contradictio in verbis Thesium. Negant enim hypostaticam vnionem efficere præsentiam sacramentalem; toti autem Ecclesiæ sua virtute, & quia vnica est persona Christi, adesse.

s. Proprietate naturæ in cœlis, & non in terris dicimus esse; quod præsentiæ Sacramentali nihil derogat.

t. Cùm hæc insinuatio sine reali præsentia non fiat; quæ causa est, quòd non datis Deo gloriam, & eam ingenuè nobiscum fatemini?

eius euectum fuisse, vt qui per illam [o] *euaserit* θεὸς καὶ λόγος: *tum etiam ineffabilibus donis, supra ipsos angelos ornatum. Ipsam autem humanitatem, contra Eutychetem, negamus illa hypostatica vnione Deitatem euasisse, vel* [p] *proprietatum diuinarum factam fuisse, vlla inde exoriente communicatione, participem.* [q] *Collocationem verò ad dexteram Dei, ad incarnationem minimè putamus referendam: sed partim tempus exinanitionis* τοῦ λόγου *finire: partim consummatione gloriæ & gratiæ habitualis carnis Christi declarare. Præsentiam denique carnis Christi in Cœna Domini,* [r] *non ad hypostaticã vnionem, sed ad institutionis sacramentalis verba referimus, qualem illã esse superiore nostro scripto diximus, spiritualem videlicet: qua etiam ratione illum secundũ carnẽ, nunc toti Ecclesiæ, partim sua virtute, partim quia vnica est persona Iesu Christi, adesse, & ad consummationẽ vsque seculi adfuturum, ex sacris literis discimus. Cùm* [s] *alioqui realis corporis sui substantiâ, sicut cùm in terris esset, à cœlis aberat: ita nunc in cœlo positus, à terris absit. Verissimè tamen & efficacissimè carnem suam iam nunc* [t] *admirabili & imperscrutabili mysterio suis ad vitam æternam, tum in verbo, tum in Sacramentis spiritualiter per fidem insinuat.*

Mompelgarti 24. Martij, 1586.

Theodorus Beza, Geneuensis Ecclesiæ Minister.
Abrahamus Musculus, Bernens. Eccles. Minister.
Antonius Faius, Geneuensis Ecclesiæ Minister.
Claudius Alberius D. Professor Philosophiæ in Academia Lausannensi.
Petrus Hübnerus, Græcæ linguæ in Gymnasio Bernensi pub. Professor.

AD

AD DOGMATA, QVÆ D. Collocutores iudicant cum Scriptura S. pugnare, &c.

RESPONSIO I.

[a] *Damnamus & nos eos (si qui sunt eiusmodi) qui existimant per hypostaticam vnionem naturas nominibus tenus vniri, quasi per illam λόγος non sit, sed tantùm dicatur homo, & vicissim homo ille nō sit re ipsa, sed nomine tantùm dicatur Deus. Sed ex hac vnitione humanitati cōmunicari aliter quàm vniri proprietates τοῦ λόγου, quasi sit re* [b] *ipsa in λόγῳ omnipotens & omnipræsens, &c. negamus. Quia* [c] *hæc cōmunicatio & vnio, vnum & idem est: & vt respōdimus ad Thesin 18. & 19.* [d] *pari prorsus ratione oporteret τὸν λόγον aliquid accipere ab illa humanitate. Ad nos igitur ista nihil pertinent, quæ hîc primo loco reprehenduntur. Communicationem aut Idiomatum realem facimus, vt & ipsam vnionem:* [e] *non tamen naturarum, sed vnitatis personæ respectu: & hāc enunciationem, qua Deus dicitur passus, sic interpretamur:* [f] *Deus, id est, caro Deitati vnita est passa. Hoc .n. sentire didicimus ex Petro Apostolo, qui* [g] *CHRISTVM (id est, illam personam) dicit passum esse in carne, id est, in humanitate, nō in Deitate sua. Et vicissim interpretamur:* [h] *Homo est omnipotēs, id est, Deitas humanitati vnita, est omnipotēs.* [i] *Nec ppterea diuidimus personam cum Nestorio, sed naturas, & earū proprietates, vt poscit hypostaticæ vnionis definitio, aduersus Eutyche-*

a: Verbis damnatis quidē, sed re ipsa idem asseritis: quod paulò pòst planum fiet.

b: Quid magis apertè dici posset? Humanitatem negant re ipsa in λόγῳ omnipotentem esse.

Vnio sine communicatione asseritur.

c: Vnio & communicatio plurimùm differunt.

d: Non sequitur: quia ad vnionem illam sufficit Deitatem dare, & humanitatem accipere.

e: Nulla prorsus est communicatio, si neutra natura alteri communicet, quod suum proprium est. Et hic fuit Samosateni error.

f: Aperta negatio communicationis idiomatum Nestoriana.

g: Deprauatio verborum Petri, quæ priorem assertionem euertunt. Nam aliud est dicere: Christus passus est in carne: & aliud, caro Christi passa est.

h: Quid hîc homini tribuitur, nisi inanis titulus? Imò etiam illi homini derogatur, quæ soli Deitati adscribitur, omnipotentia.

NESTORIANISMVS.

i: Idem Nestorius dixit, sed eius nulla ratione habita, Patres Concilij eum hæreseos damnarunt.

k: Hoc non est distinguere, sed separare.

tem [k] *distinguimus. Denique respondeat vobis D. Lutherus, cuius hæc sunt verba in sermone Natalitio super 1. cap. Epistolæ ad Hebræos:* [l] *Humanitas Christi æquè ac alius sanctus & naturalis homo, non semper omnia cogitauit, dixit, voluit, animaduertit, sicut quidam omnipotentem hominem ex ipso faciunt, imprudenter confundentes duas naturas, & earum operationes.*

l: Hæc Lutherus de Christo scripsit, quatenus in statu exinanitionis fuit: & vt discrimen naturarum in Christo ostenderet. Nequaquam autem negat, Christum omnipotentem hominem esse in Deo.

II.

Nescimus, an quisquam ita insaniuerit, vt existimarit, τῷ λόγῳ *aliquid in* [m] *sese decessisse, cùm carnem assumeret, et rursum accessisse: cùm illa caro, peracto nostræ redemptionis Ministerio, in illam suam gloriam, supra omne nomen eueheretur. Sed hoc quidem docemus Paulum secuti,* τὸν λόγον *non in sese, sed quatenus quasi latêre, dissimulata sua ad tempus gloria, sustinuit, [quodammodo] sese exinaniuisse: sicuti rursus, cùm illa caro plenè glorificaretur, non in sese, sed in illa [quodammodo] gloriam illam suam priorem recepit, quam etiam à patre postulauit, Ioan. 17. v. 5.*

m: Extant scripta, quibus permoti quidam, hominis Christi diuinitatem negarunt.

III.

Mediatoris officium docemus, & toti Christo, & toti Christi cõpetere: sed vt naturis, ita etiam earum operationibus [n] *distinctis. Humanitas igitur semper infra* τὸν λόγον *subsedit, & adhuc subsidet, quantumuis glorificata.* Ὁ λόγος *verò (etsi quatenus redemptor, medius est inter Ecclesiam & Patrem, cui nos suo sanguine acquisiuit, & cuius Ecclesiæ caput est) non est propterea Deus* ὁμωνύμως *vel patris persona inferior.*

n: Per distinctas intelligit seorsim agentes, sine omni communicatione: quod falsum est.
Nihil respondet ad Thesin.

Huma-

IIII.

Humanitatem Christi, vt subiectum semper Deitate inferius, affirmamus sine blasphemia exæquari non posse, siue οὐσίᾳ *siue* [o] ἐξουσίᾳ τοῦ λόγῳ, *à quo assumpta est, quod & res ipsa indicat. Et Paulus 1. Cor. 15. disertè exprimit, de huius regni potestate disserens, cùm ait: illum excipi, qui filio omnia subiecit. Est autem ipse* λόγος, *etsi personâ distinctus à patre, & officio medius inter patrem & Ecclesiam, tamen secundum essentiam vnus cum patre: & quatenus filius, patri suo æqualis.*

o: ἐξουσία non absolutam Dei potentiam (quæ ipsa Deitatis οὐσία est) sed eius participationem significat.

V.

Respondit antea vobis [p] *Lutherus, loco suprà citato, Christum hominem (id est, secundum hominem) tantum potuisse & sciuisse, quantum voluit* λόγος *ipsum et posse & scire. Et certè agnoscere nos oportet, Christum hominem omnia sciuisse, & scire sine vlla mutatione, secundum Diuinitatem suam: tempore autem humilitatis suæ, secundum humanitatem suam multa ignorasse, propter nos,* [q] *quorum tamen in gloria sua nihil est ipsi ignotum.*

p: Lutherus nihil minus voluit docere: ideo locus inspiciatur, & accuratè examinetur.

q: Non tamen apertè asserere volunt, vel audent, quòd omnia sciat.

VI.

[r] *Priorem huius Articuli partem asserimus: posteriorem abominamur.*

r: Multi præsentiam & omnipræsentiam reijciunt apertis verbis.

VII.

[s] *Falsò quidem in nos istud dictum fuerit, vt apparet ex nostro responso ad 15. Thesin superiorem.*

s: Dissimulatio erroris.

Respon-

VIII.

t: De Danæo dicuntur, cuius formalia verba hic recitata, & aliâs sæpe repetita sunt.

[t] *Respondimus quoq; ad illud immeritò nobis obiectum, (si in nos hæc dicuntur) ad Thesin. 20.*

Mompelgarti, 24. Mart. Anno 1586.

Theodorus Beza, Geneuensis Ecclesiæ Minister.
Abrahamus Musculus, Bernensis Ecclesiæ Minister.
Anthonius Faius, Ecclesiæ Geneuensis Minister.
Claudius Alberius, D. & Professor Philosophiæ in Academia Lausannensi.
Petrus Hübnerus, Græcæ linguæ, in Gymnasio Bernensi publ. Professor.

D. IACOBVS.

Quis causam disputandi de persona Christi dederit.


EVERENDE D. Beza, qua ratione in certamine de Cœna DOMINI, ad disputationem de persona Christi peruentum sit, tua Reuerentia non ignorat.

Postquam enim ex parte nostra, verbis Christi demonstrata est VOLVNTAS, quòd Christus suo corpore & sanguine in Eucharistia adesse, & illud cum pane distribuere, & ore à nobis manducari velit, qui dixit: Accipite & manducate, Hoc est corpus meum, &c. Accipite, bibite, hic est sanguis meus, &c. nostros auditores, adeoque omnes pios & fideles sedulò hortati sumus, cùm scriptis, tum sermone, vt verbis Testamenti Christi simpliciter fidem habeant, sine omni disputatione aut dubitatione: quod nunc quoque facimus. Quoniam Christus non solùm sit verax, qui

Theologi Vvirtembergici omnes ad simplicitatem fidei hortantur.

qui fallere & mentiri non posit, sed etiam omnipotens, apud quem non est impossibile omne verbum, sicut Angelus Mariæ loquitur. Ibi ab aduersarijs nostris de potentia non solùm Christi hominis, sed etiam de absoluta potentia Dei disputari cœptum est.

Luc. 1. Disputationis de omnipotentia Dei, occasio.

Nam Petrus Martyr in suo Dialogo expressè scripsit: NVLLA VI FIERI POSSE, vt res creata sit vbique. Et haud ita pridem Lampertus Danæus in libello Geneuę impresso scripsit: CHRISTVM ne quidem VELLE POTVISSE, vt corpus ipsius simul & semel in pluribus locis præsens sit, quia præstare non posit. Et in Thesibus vestris de Cœna Domini, idem quoque affirmatur, de quo in pręcedenti articulo etiam dictum est. Quod in Responsionibus vestris de persona Christi repetitum est, vbi contenditis, Deum propterea non negari omnipotentem, etiamsi hoc præstare non posit.

Impia vox Petri Martyris in absolutam Dei potentiam.

Blasphemia Lamperti Danæi in assertione contra D. Iacobum Andreæ.

In Responsionibus de cœna Domini, & de persona Christi, Beza cum suis eandem opinionem probat.

Huic doctrinę opposuerunt sese Theologi Confessionis nostræ: & demonstrarũt, non solum VOLVNTATEM, sed etiam FACVLTATEM, quòd non modò velit, sed etiam posit suo corpore in pluribus, adeóque omnibus locis, diuino et cœlesti modo, adesse, in quibus Cœna Domini in toto terrarum orbe vna hora celebratur.

Ex quo manifestum est, controuersiam & disputationem de persona Christi NON A' NOBIS ORTAM: verùm aduersarios non modò eius occasionem, sed etiam causam dedisse. Si enim verum esset, quod Martyr & Danęus cum suis socijs dicunt, Christum vniuersa sua virtute, adeóque omnipotentia sua efficere non posse, vt corpus ipsius in pluribus, adeóque omnibus locis verè & realiter adsit, in quibus Cœna Domini, in toto terrarum orbe celebratur: frustra ex verbis Testamenti ea de re disputaretur.

Controuersia de omnipotentia Dei Christi, à quibus orta & excitata.

Cur de omnipotentia Christi necessariò disputandum.

Sin verò concedatur, & de potestate Dei nihil dubitetur, aut disputetur, quòd præstare posit, sicut nos semper fecimus, & nunc quoque facimus, ac porrò etiam facturi sumus: illam disputationem prorsus omitteremus, & omnes ad

Lutherani contra suam voluntatem in disputationem de omnipotentia Dei pertracti.

ſimplicem fidem verborum Chriſti hortaremur, vt quia dixit: Hoc eſt corpus meum: ſimpliciter credant eſſe corpus Chriſti, quod illis dedit. Et quoniam iubet ore manducare: manducent, & in memoriam mortis eius faciant. In qua ſimplicitate fidei ſi permanſiſſent aduerſarij noſtri, ad hanc diſputationem de perſona Chriſti nunquam peruentum eſſet.

Diſputationis autem huius exigua mentio facta eſt in collatione de Cœna Domini, quamuis vos eius in Theſibus de Cœna Domini memineritis, vbi de duplici diuinitate & omnipotentia quædam inſeruiſtis: ſed in hunc locum reſeruauimus, ne materia & doctrina diuerſorum locorum commiſceretur & confunderetur, quum ab initio collationis inter nos conſtitutum fuerit, ne cuiquam in alterum articulum deſcendere liceat, priuſquam propoſitus locus abſolutus, & collatio de eo perfecta eſſet.

Principalis quæſtio in loco de perſona Chriſti, videlicet de reali communicatione Idiomatum.

Tota autem diſputatio circa vnam potiſſimum quæſtionem verſatur, quæ eſt de reali communicatione proprietatum diuinitatis & humanitatis. Ea ſi expedita fuerit, ad omnia reſponſum confido, quæ in Theſibus & aſſertione veſtra continentur.

In quibus de perſona Chriſti conſenſus.

1. Nam quod in Chriſto duæ naturæ ſint, diuina & humana: 2. Quod in Chriſto ſingulæ naturæ ſuas eſſentiales proprietates, etiam in ipſa vnione perpetuo retineant, neque vnquam deponant vel amittant:

3. Quod proprietates naturæ vnius, nunquam poſſint alterius naturæ proprietates fieri: Quod neque natura diuina
4. in humanam, neque humana in diuinam mutari poſſit:
5. Quod neque naturæ, neque earum proprietates commiſceantur, vt vna tertia fiat, quæ neque diuina neque humana
6. natura eſſet: Quod neque naturæ ſeparentur, quamuis naturæ, earumque proprietates perpetuo ſint & permaneant
7. diſtinctę: Quod in Chriſto vna perſona & non duę perſonę ſint:

De

De his capitibus omnibus in doctrina de persona Christi, vt ego quidem iudico, nulla inter nos controuersia est. Nam idem ab vtraque parte & ore & scriptis fatemur.

De communicatione autem quęstio est, eáque duplex: Altera de Naturis ipsis: Altera de Naturarum proprietatibus. De communicatione duplex quæstio.

Queritur enim, an talis sit vnio Naturarum in Persona Christi, in qua neutra natura alteri quicquam pręter nomen communicet? vt: Cùm Homo Christus, Deus appellatur: an duntaxat nomen Deitatis, an verò ipsa Deitas humanæ naturę communicetur? 1. De communicatione naturarum in persona Christi, quæstio.

Deinde quęritur etiam: An naturarum proprietates in persona Christi per vnionem, non verbaliter duntaxat, sed realiter quoque communicentur, in abstracto? aut in concreto? vt cùm dicitur: Deus est passus: Homo Christus est omnipotens. In his enim duabus quęstionibus cardo totius disputationis de persona Christi versatur. In quibus nos ex parte nostra affirmatiuam tenemus: quòd videlicet naturarum & proprietatum realis communicatio sit in persona Christi, hoc est, in concreto, & non in abstracto, siue extra vnionem in se & per se consideratis naturis & proprietatibus. Vos negatiuam hactenus propugnastis. 2. De communicatione proprietatum quæstio. Cardo totius disputationis de persona Christi.

Nunc in arbitrio Dominorum relinquimus, & positum est: An ipsi nobis opponere velint? aut nos eis opponere debeamus: in quo parum differre existimamus, siue nos respondentis, siue opponentis partes sustineamus. Cùm in ipso tractatu disputationis vtrique parti & opponendum, & respondendum, atque soluendum sit, si quid ex aduerso obiectum fuerit.

D. BEZA.

Reuerende domine Doctor, in ijs quæ libuit dignitati tuæ afferre, commendasti quoque simplicitatem fidei Christianæ

1\. Verbis Testamenti quomodo simplici fide credendum.

diligenter, & affirmasti peccare eos, qui ab hac simplicitate recedant: quod speciosè dicitur, sed in nos non conuenit. Nemo enim ex nostris hoc vnquam negauit. Etenim assentimur, verbis Christi simplicissima fide credendū, quia Christus non mentitur, sed est ipsa veritas. De interpretatione autem verborum Christi in Eucharistia inter nos contenditur, quæ sit eorum germana & vera sententia. Nos enim aliter quàm vos intelligimus & interpretamur.

Ioan. 14.

2\. Cur meminerint creatæ omnipotentiæ & Deitatis.

Deinde meminimus creatæ et increatæ Diuinitatis et omnipotentiæ. Memini enim me legere, non constitui posse præsentiam illam realem corporis & sanguinis Christi in Cœna Dominica, nisi omnipræsentia corporis Christi posita sit, & concessa fuerit: de qua nunc agitur. Et memini quoque, me hæc in scriptis tuis legisse. Superest ergo, vt dicam & explicem, quæ sit nostra sententia & doctrina de hoc articulo, quod breuiter faciam.

3\. Confessio D. Bezæ. de persona Christi.

Verum est, in eo nos consentire, quòd in vnione hypostatica sine omni separatione, confusione, aut permixtione sint vnitæ duæ naturæ, diuina & humana. Et quidem sic vnitæ & coniunctæ, vt CONSTITVANT vnam personam, non compositam ex partibus, sicut homo compositus est ex anima & corpore: sed quia λόγος in indiuiduo assumpsit naturam humanam.

4\. Status controuersiæ de PERSONA CHRISTI.

Et cùm proprietates inseparabiles sint à naturis, dicimus in hac vnione singulis naturis saluas retineri, et non aboleri aut misceri proprietates. Sicut enim naturarum substantiæ, sic etiam proprietates naturarum saluæ et distinctæ manent. In his omnib. nos consentire arbitror. Sed quæritur, an propter & per hanc vnionem hypostaticam naturarum, in persona Christi, præter illa eximia, singularia, et ineffabilia dona, qui-

na, quibus humana Christi natura, præ aliÿs beatis hominibus, ornata est, & quæ assumpta Caro per vnionem personalem à λόγῳ adepta est, putandum sit: aliquam communicationem realem proprietatum factam esse, vt proprietates diuinitatis essentiales, humanæ naturæ assumptæ ALIQVO MODO re ipsa communicentur? Hoc video vos sentire, nos negamus, sed ita:

Confitemur huic Homini communicata esse, quæcunque possunt communicari, & quorum natura humana capax est. Cùm igitur ille Homo assumptus sit Deus, necesse est ei proprietates Deitatis conuenire. Sed ita, vt non sint in homine PER SE, sed in λόγῳ. Et quamuis scimus in illa hypostatica vnione diuinã naturam infinitis modis excellere & superare carnem assumptam: vna tamen ratione λόγου vnitum carni, & carnem λόγῳ vnitam esse dicimus. Vnde etiam eâdem ratione dicitur: Homo est Deus: &, Deus est Homo. Item, Deus redemit suo sanguine Ecclesiam: Deus est crucifixus, seu, Dominus gloriæ est crucifixus: sic quoque rectè & eadem ratione dicitur: Hic Homo est omnipotens Deus, omnipræsens & omniscius.

5. Confessio D. Bezæ, de communicatione Idiomatum.

6. Vna ratio vnionis Naturarum in Christo.

Sicut enim propria humanitatis tribuuntur Deo: sic propria diuinitatis tribuũtur Homini, videlicet propter vnionem hypostaticam: & sic etiã oportet loqui, & ita dicimus esse loquendum. Quia .n. vnum est ὑφιστάμενον: ideo etiam cõmunicationis vna & eadem ratio est. Falsa aũt enunciatio est, quando dicitur: Humanitas est Deitas: Deitas est Humanitas: quamuis veræ sint enunciationes, Deus est Homo: &, Homo est Deus. Fundamentum huius discriminis est, discrimen abstracti & cõcreti. Abstractũ enim in scholis dicitur, nõ quiddam auulsum ab alio, sed forma intelli-

Abstractum in scholis quid significet.

gitur, quæ accidentaliter alicui inest. Sic iustitia & Iustus differunt tanquam abstractum & concretum. Vbi iustitia non significat quiddam ab homine iusto abstractum: sed formam homini iusto inhærentem. Est enim iustitia accidens in homine iusto, non quiddam ab eo abstractum.

Sic Homo & Humanitas differunt, vt concretum & abstractum. Et quando de humanitate loquimur, non abstrahimus aut auellimus illam ab homine. Quemadmodum etiam, si Deitatem nominamus, eam à Deo non abstrahimus: sed consideramus vtramque naturam diuinam & humanam, QVALIS illa in se est propriâ suâ naturâ.

Prædicationes in abstracto & concreto.

Hoc igitur posito fundamento, dicimus: Sicut natura non potest dici aut prædicari de natura: Deitas est humanitas: Humanitas est Deitas: sic quoque proprietates essentiales naturarum de se inuicem dici aut prædicari aut inesse non posse. Quapropter etsi in concreto dici possit, & verè: Homo est omnipotens: tamen dici verè non potest: Humanitas est omnipotens.

Nam in concreto tantùm, quæ Deitatis propria sunt, tribuuntur homini: & vice versa, quæ humanitatis propria sunt, tribuuntur Deo.

D. IACOBVS.

Reuerende D. Beza, quicquid de simplicitate fidei dixi, & an ab ea recedatis, qui in verbis Testamenti τὸ ῥητὸν impugnatis, & necessariò ad tropum confugiendum docetis, quem Metonymiam esse dicitis, qua nomen pro nomine ponitur: iudicio auditorum relinquimus. Satis enim de hac re in præcedenti collatione de Cœna Domini dictum existimamus.

De Di-

De Diuinitate & omnipotentia duplici, creata & increata: an ea à me vel ab alijs vnquam tradita & ſcripta ſint, quorum hic mentionem facis, quemadmodum etiam, quomodo doctrina de Cœna Domini à perſona Chriſti dependeat: ſuo loco dicetur.

Niſi enim eſſet caro Filij Dei, in Cœna Domini cibus vitę & viuificus eſſe non poſſet, & fruſtra in eum finem manducaretur, ſi maximè adeſſet & diſtribueretur.

Sic quoque, quæ de vnione perſonali diſſeruiſti duarum naturarū in vna perſona Chriſti: nulla inter nos diſſenſio eſt, ſicut ex breui mea commemoratione præmiſſa conſtat.

Fateor quoque, ſtatum controuerſiæ de hoc loco rectè à te poſitum eſſe, videlicet: Num proprietates diuinæ naturæ ALIQVO MODO naturę humanæ REALITER in perſona Chriſti communicatæ ſint? Quod auditores diligenter meminiſſe velint.

Optarim autem vocabula (abſtractum & concretum) omnibus auditoribus tàm nota eſſe, quàm nobis nota ſunt. Quia autem metuo, illis minùs cognita eſſe: quantum fieri poteſt, hæc & alia ſcholaſtica vocabula vitabimus, & de re ipſa eo modo loquemur, vt ab auditoribus omnibus & ſingulis probè intelligamur. Nam ipſorum quoque cauſa, collatio hæc inſtituta eſt. Ideoquè breuiter ad ea reſpondebo, quæ de ſignificatione vocabuli abſtracti monuiſti. Nam diſcrimen vocabulorum concreti & abſtracti, per gratiam Dei mihi bene notum eſt.

Quòd autem mones, per abſtractum non ſignificari quiddam auulſum aut ſeparatum à re, ſed rei ipſius formam: quod exemplo iuſtitiæ & iuſti declaraſti: vbi iuſtitia propterea non ſit ſeparata à iuſto, quia abſtracta ſit, hoc eſt, quemadmodum IN SE EST, conſideretur, ſed in homine iuſto permaneat cum eo vnita.

Reſpondeo, aliquid dupliciter ab alio abſtrahi. Primùm, mente ſeu cogitatione, quando res in ſe ipſa conſideratur, ratione ſuę formę, ſiue ſubſtantialis ſiue accidentalis ſit, vt quaſi Abſtractio dupliciter fit.

Idæa

Idæa ſit eius rei, à qua abſtrahitur. Et hæc abſtractio ſit in individuis ſeu ſingularibus rebus.

Altera eſt abſtractio, quæ non fit mente & cogitatione tantùm, ſed etiam re ipſa, quando alterum ab altero ita abſtrahitur, vt ab eo ſeparetur & auellatur. Exemplo à te allato explicare volo. Iuſtitia dicitur abſtractum, hoc eſt, forma quædam per ſe abſque ſubiecto conſiderata, cui ineſt: à quo etiam re ipſa, ſalua manente ſubſtantia ſubiecti, auelli & abſtrahi poteſt. Concretum eius eſt Iuſtus, quod ſignificat ſubiectum, illam formam habens. Ex quo manifeſtum eſt, vocabulo abſtracti vnum tantùm, videlicet formam ſignificari, eamq́ue vel mente tantùm, vel etiam re ipſa abſtractam.

Quid abſtractum ſignificet.

Concretum quid ſignificet.

Concretum autem ſignificare duo, videlicet formam, quæ ineſt alicui rei, & rem, cui ineſt hæc forma. Si igitur in Diſputatione de perſona Chriſti, vocabulum (Humanitas) abſtractum, hoc eſt, formam hominis ſignificat: Homo autem concretum, hoc eſt, quod hanc formam habet, ſicut iuſtus iuſtitiam habere, & ideo iuſtus eſſe dicitur: Quæro ex te, an Filius DEI humanitatem illam abſtractam aſſumpſerit, an verò concretum, quod dicitur Homo? Hic mihi categoricè reſpondeas.

D. BEZA.

Filius Dei aſſumpſit indiuiduum.

D. IACOBVS.

Nihil ad quæſtionem meam reſpondetur de abſtracto & concreto propoſitam. Ego enim quæro, cùm ex tua ſententia humanitas ſit abſtractum, Homo autem concretum (quæ minimè confundenda ſunt, & hoc nomine nos à vobis reprehendimur, quòd vocabula abſtracta & concreta confundamus) An Filius Dei hominem aut humanitatem aſſumpſerit?

D. BEZA.

Ego dico, quòd Filius Dei aſſumpſerit indiuiduum.

D. IACO-

D. IACOBVS.

Nihil ad quęſtionem meam reſpondetur de abſtracto & concreto propoſitam. Ego enim quęro, cùm ex tua ſententia Humanitas ſit abſtractum, Homo autem concretum: (quę minimè confundenda ſunt, & hoc nomine nos à vobis reprehendimur, quòd vocabula abſtracta & concreta confundamus) An Filius Dei hominem aut humanitatem aſſumpſerit?

D. BEZA.

Ego dico, quòd Filius Dei aſſumpſerit indiuiduum.

D. IACOBVS.

Quęro igitur, in quo prædicabili ſit homo inter quinque prędicabilia?

D. BEZA.

In ſpecie.

D. IACOBVS.

Ergo hęc duo vocabula (Homo & Humanitas) ſunt in eodem prædicabili, quod eſt ſpecies, qua ſignificatur forma & quaſi imago indiuiduorum, quam mens abſtrahit ab indiuiduis, & ſecum circumfert ad omnia eiuſdem ſpeciei indiuidua.

Quę formę extra mentem non ſunt, ſed in mente tantùm. Sic homo extra mentem nihil eſt: nec ego vnquam hominem hoc eſt, abſtractam talem formam vidi, ſed Petrum vidi, Paulum vidi, Ioannem vidi: Petrus autem non eſt ſpecies ſeu abſtractum hominis, ſed eſt indiuiduum, ſic Paulus quoque & Ioannes. Ita de reliquis omnibus. Ex quo vides, diſcrimen abs te poſitum, conſiſtere non poſſe, quòd ais, vocabulo (Homo) concretum, & vocabulo (Humanitas) abſtractum ſignificari, cùm ambo vocabula ſub eodem prędicabili comprehendantur.

D. BEZA.

Ego loquor de illo Homine, qui est indiuiduum. Et de tali humanitate, qua præditus est Homo ille. Aliud ergo est humanitas, & aliud Homo ille.

D. IACOBVS.

Homo ille non est species, sed indiuiduum. Si enim Pronomen Demonstratiuum addas, non species hominis, sed certus quidam homo significatur, Petrus, Paulus, Ioannes vel alius. Ego autem quæsiui, in quo prædicabili sit Homo? Vbi tu recte respondisti: In specie. Species autem non est indiuiduum, sed indiuidui forma seu imago substantialis. Quid enim Homo est aliud, quàm quod constat corpore & anima rationali?

Et quid nomine humanitatis seu humanæ naturæ (quia Synonyma sunt) significatur aliud, quàm creatura corpore & anima rationali constans? Quod cùm nemo mediocriter eruditus negare posit: hinc factum est, vt orthodoxi veteres doctores Ecclesiastici, Augustinus inprimis, vocabulo (Homo) pro (HVMANITATE) vsi sint, & per assumptum hominem, ipsam humanam naturam intelligant: quos nomine ignorantiæ vocabulorum abstracti & concreti accusare, durum esset.

Homo & humanitas synonyma.

Quapropter omittentes disputationem de abstracto & concreto, quam pauci intelligunt: nobis abstractum, significat omne id, siue substantia siue accidens sit, quod aut mente, aut re ipsa ab eo, cum quo coniunctum est, abstrahitur, & per se in suæ naturæ proprietate consideratur. Qua ratione Lutherus in hac disputatione, sicut Brentius, & nos quoque semper, eo vsi fuimus. Sic humanitas in abstracto considerata, nihil aliud significat, quàm ipsam humanam naturam, quæ corpore et anima rationali constat, quam Filius Dei assumpsit, *QVANDO SINE RESPECTV DIVINITATIS IN SE IPSA ET PER SE IPSAM CONSIDERATVR.*

Vsus vocabuli abstracti, apud veteres & neotericos doctores Ecclesiæ.

RATVR. Quæ consideratio nihil differt à consideratione humanitatis, in alio quouis homine, qui cum Filio Dei personaliter non vnitus, sed ab eo separatus est.

Cùm enim dico: Homo est Deus: quero mi Beza: an hęc propositio sit vniuersalis, aut particularis?

D. BEZA.

Est singularis, quia tantùm hic Homo est Deus, qui dicitur & est Iesus Christus.

D. IACOBVS.

Vocabulum (Homo) est vniuersale vocabulum, quod omnibus hominibus tribuitur. Nam si dicitur: Homo est animal rationale, est creatura Dei, est mortalis, & similia infinita, quę humanę naturę conueniunt: non opus est addere signum vniuersale, OMNIS, quia vocabulum Homo non significat indiuiduum, sed speciem, quę omnia indiuidua eiusdem speciei sub se continet. Quapropter vt vera sit hæc propositio: Homo est Deus: necesse est, vt addas Pronomen (HIC) vel proprium nomen Christi: Hic Homo est Deus: vel, Homo Iesus Mariæ filius, est Deus: aliàs non est simpliciter vera. Ex quo manifestum est omnibus, quòd vocabulum (Homo) si sine determinatione ponatur, non sit concretum, sed abstractum. Sed si determinatio addatur: hic Homo: Homo Iesus Nazarenus, Mariæ filius: tum demum est concretum, & significat eiusmodi hominem, qui cum Deo personaliter vnitus, & propterea Deus est & esse dicitur.

Homo species, non indiuiduum est.

Vocabulum (HOMO) quando sit concretum.

D. BEZA.

Cùm ago de homine, ago de homine assumpto. Sed longè aliud est humanitas, quàm Homo. Falsa enim est hæc enunciatio: Humanitas est Deitas: sed vera est hæc enunciatio: Homo est Deus.

D. IACOBVS.

Ego iam demonstraui, hanc propositionem: Homo est Deus, NON ESSE VERAM, nisi addatur Pronomen HIC, vel ISTE, & dicas: Hic Homo (solum Iesum Mariæ filium monstrans) est Deus. Ideo vocabulum (HOMO) non est concretum, sed abstractum. Quapropter in disputatione de persona Christi, promiscuè & rectè eodem vti licet loco Humanitatis, vt idem prorsus significet Homo, quod humanitas, seu humana natura.

Disputatio de abstracto & concreto cur necessaria.

Neque verò quisquam arbitretur, hanc disputationem de abstracto ociosam, aut minimè necessariam in hac disputatione esse. Nam res ipsa in hac collatione docebit, sub vocabulo Hominis latibulum erroris maximum positum esse, quo aduersarij nostri non literaliter, sed figuratè & tropicè, Christum hominem Deum esse dicunt, sicut suo loco apertè omnibus ad oculum demonstrabitur. Sed aliud quæro ex D. Beza: cùm Ioannis primo scriptum legimus: Verbum caro factum est: an hoc loco vocabulum (CARO) abstractum vel concretum vocabulum sit?

Latibulum erroris sub vocabulo (HOMO.)

D. BEZA.

Est concretum.

D. IACOBVS.

Quid Beza concreta vocabula appellet.

Quomodo concretum vocabulum dicere potes, cùm nihil aliud significet phrasi Hebrea, quàm solùm naturam humanam assumptam? Nam vos concreta vocabula in hac disputatione appellatis, QVAE TOTAM PERSONAM, non alteram duntaxat naturam significant. Vt cùm dicitur, Homo est omnipotens: Homo ideo concretum vocabulum esse dicitis, quia totam personam significet, quę simul Deus & Homo est, aliàs non esset enunciatio vera. Sic quando dicitur: Deus est passus: vocabulum (DEVS) vobis est concretum vocabulum, quia denotat totam personam, quæ non tantum Deus,

Deus, sed verè etiam Homo est. Si ergo vocabulum (CARO) est vocabulum concretum, quod totam personam significat, quæ diuina & humana natura constat: sequeretur, quòd Verbum assumpsisset carnem, quæ priusquam assumeretur, Deus fuisset: quod absurdum esset. Quemadmodum ergo (VERBVM) in hac enunciatione: Verbum caro factum est: non est concretum vocabulum, quod personam denotet, quę simul Deus & Homo sit: aliàs enim Verbum priùs incarnatum quàm caro factum fuisset: quod similiter absurdum esset: Sic vocabulum (CARO) non est vocabulum concretum, sed significat humanitatem, seu humanam naturam, quæ sunt abstracta vocabula, quod nemo sanus negare potest. Nam Verbum, hoc est, Filius Dei, qui sine carne assumpta, ab æterno persona fuit Trinitatis secunda, factus est caro, hoc est, assumpsit carnem in suæ personę vnitatem, qua priùs caruerat. Ideoq; in hac enunciatione: Verbum caro factum est: Verbum significat Filium Dei sine carne: & caro significat Humanam Naturam sine Verbo: adeoque SOLVM NATVRAM Humanam. Nam Verbum, quod nihil, nisi Verbum erat, factum est caro, hoc est verus Homo.

Caro non est concretum vocabulum.

Quod, oro omnes Auditores diligenter obseruent. Plurimùm enim in hoc situm est, vt rectè intelligatur. Sed satis est de vocabulo (abstracto) dictum: quod in disputatione de persona Christi, aliquid auulsum & per se consideratum significat, quod tamen non re ipsa, sed mente duntaxat fiat, hoc est, naturam sine respectu alterius, siue humanæ, siue diuinæ consideratam, quocunque tandem nomine, siue Deus, siue Deitas, siue Homo, siue Humanitas, appelletur.

D. BEZA.

Nos per vocabula abstracta formam intelligimus, non auulsam ab ea re, cui inest, sed in ea permanentem consideratam.

D. IACOBVS.

Quomodo hæc vocabuli significatio huic disputationi non conueniat, satis dictum est. Cuiusmodi verò error sub illis vocabulis, quæ vos concreta appellatis, occultetur, paulò pòst magis perspicuè demonstrabo. Nunc omissis vocabulis illis artis (concreti & abstracti) ad rem ipsam accedamus.

Status disputationis de COMMVNICATIONE Idiomatum.

Quæstio est: An à Diuinitate seu λόγῳ, assumptæ naturæ aliquid eorum, non verbotenus, aut titulotenus, sed verè & realiter communicatum sit, quæ sunt Diuinitatis propria? Oro autem auditores pariter omnes, animum diligenter attendere velint. Suprà autem dictum est de duplici communicatione: Altera est naturarum, quæ vnio personalis dicitur: Altera est proprietatum naturarum, quæ prioris effectus est. De prima communicatione, quæ est naturarum, D. Beza interrogatus, de vnione naturarum semper respondet.

Communicatio duplex: 1. Naturarum, 2. proprietatum.

Vnio naturarum Bezæ sine communicatione reali.

Discrimen inter cõmunicationem & vnionem naturarum.

Ingens autem discrimen est inter vnionem & communicationem. Possunt enim res vniri, quæ sibi inuicem prorsus nihil communicent, ita, vt vna ab alia nihil accipiat. Sicut hæ duę pennæ (habebat autem D. Iacobus duas pennas in manibus) si copularentur, & altera esset ex puro auro, altera verò anserina, sibi inuicem nihil communicarent: neq; enim aurum anserinæ, neque anserina aureæ quicquam daret, sed duntaxat combinatę & coniunctæ essent. Quæ vnio harum duarum pennarum, sicut videtis, sine omni communicatione fieri potest. Deinde ipsa quoque communicatio duplex est: Alia esse essentialis, seu naturalis, & hæc tribus personis Diuinitatis in Trinitate duntaxat communis est. Pater enim ab æterno gignens filium, eidem & essentiam, & proprietates suas essentiales communicauit. Sic Spiritus sanctus ab vtroque procedens, cum patre & filio essentiam Diuinitatis, eiusque propria essentialiter & naturaliter communia habet. Est enim vna trium personarum Diuinitatis essentia & natura. Ideoq́ue propter illam communicationem non tres omnipoten-

Communicatio duplex.

I. Communicatio essentialis.

nipotentes Dij, sed vnus omnipotens est Deus. Hoc modo essentia Diuinitatis nulli creaturæ communicatur cum suis proprijs. Si enim hoc modo communicaretur creaturæ, efficeretur essentialiter & naturaliter Deus. Altera communicatio personalis est, vbi non vna duntaxat natura est: sed duę diuersæ naturę in vna persona filij Dei conueniunt sine omni confusione: neque simpliciter vniuntur, sed ita vniuntur, vt vna alteri suam essentiam cum suis proprijs communicet. Sic Filius Dei secunda persona Trinitatis, in suæ personę vnitatem naturam humanam assumens, essentiam Diuinitatis suę, & propria eius ei communicat. Hic aduersarij dicunt, quòd communicatio hęc ita fiat in persona Christi, vt vtraque natura se ipsam & sua propria PERSONÆ huic communicet, quæ dicitur Christus, propter naturarum concursum, quæ in illa persona vniantur, non autem sibi inuicem communicentur: vnde hęc persona dicatur Deus omnipotens, Creator cœli & terræ, omnipręsens, omniscius, viuificator, adorandus: Item, Homo mortalis, passus, crucifixus: quia vtrumque est, Deus & Homo, ideo etiam propria vtriusque naturę huic personę tribuantur: Sicut autem naturę sunt diuersæ, & manent etiam in ipsa vnione distinctæ: ita quoque distinctè agant, quod singulis naturis proprium est: Ita vt λόγος distinctè agat sine omni communicatione reali, quod est λόγου: & caro distinctè exequatur, quod carnis est. Talem autem vnionem naturarum in Christo, neque Scriptura sacra, neque Orthodoxi Patres docent, sicut suo loco ostendemus. Vnionem enim duarum naturarum in Christo personalem sine communicatione non definierunt. Ad quam explicandam similitudinibus ferri igniti, & animæ cum corpore vsi sunt. Nam in ferro ignito duæ concurrunt substantiæ, ferrum & ignis. Non autem eo modo, quo dixi duas pennas vniri, quarum neutra alteri aliquid communicet. Nam ignis se vnà cum suis proprietatibus ferro ita communicat, vt totum reddatur ignitum, quasi in ignem conuersum sit. Hoc ferrum incendit: hoc ferro perforatur in momento lignum, quod ferrum sine igne, & ignis

2. Communicatio naturarum & proprietatum personalis.

Communicatio naturarum & proprietatum in Christo qualis secundum Bezam.

D. Beza in Responsione ad Thesin. 10.

Refutatio huius opinionis de communicatione.

Sententia Patrum de personali vnione.

Simile de ferro ignito.

Communicatio substantiæ ignis & proprietatum eius in ferro.

Communicationis effectus.

& ignis ſine ferro non faceret. Neque propter hanc communicationem ignis & proprietatum eius, ferrum in ſubſtantiam ignis conuertitur, vel aboletur, ſed illuſtratur. Si ignis abſque ferro eſt: eiuſmodi foramen in ligno non efficit, ſed lignum conſumit. Fit igitur ferrum ignitum, neque tamen ſubſtantia eius in ſubſtantiam ignis mutatur. Sic anima rationalis cum corpore vnitur, ſed non ſine communicatione. Nam anima ſubſtantiam ſuam cum omnibus potentijs ſuis corpori communicat. Non autem eiuſmodi eſt vnio, in qua anima diſtinctè, & corpus quoque diſtinctè operetur, ſed operationes animæ & corporis ſunt communes, vt non modò vnum ἀποτέλεσμα, hoc eſt, vnum opus efficiant, ſed actionem ipſam communem habeant, vt anima nullam prorſus ſine corpore exerceat, quam diu eſt in corpore. De ſenſu & motu manifeſtum eſt. Nam anima ſine oculo non videt, ſine auribus non audit, ſine lingua non guſtat, ſine naribus odores non percipit. Sic etiam ſine phantaſia nihil intelligit, ſecundum illud vulgare dictum: Nihil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu. Quod experientia ipſa docet, ſi quis capite læſus fuerit, vt in momento omnem intellectum amittat, & planè ſtupidus fiat. Ex quo manifeſtum eſt, quòd communicatæ animæ cum corpore non ſit nuda vtriuſque vnio ſeu combinatio, ſed realis communicatio, qua anima corpori vitam, ſenſum, motum, adeoque ſe ipſam totam ei communicat, ſine qua non amplius corpus, ſed cadauer dicitur, & ſic corpus ab anima ſeparatur. Et ſic vt anima cum corpore, & corpus cum anima omnes actiones & paſsiones communes habent: ſic quoque omnis plenitudo diuinitatis aſſumptæ naturæ in Chriſto perſonaliter communicata eſt, in qua habitat corporaliter: quod alias nulli creaturæ contigit, in quibus vel per eſſentiam eſt, vel per gratiam habitat. Neque tamen humana natura in diuinam mutata eſt: ſicut corpus non fit anima, ſed animatum: Ita aſſumptum corpus non fit ipſa Deitas, ſed Deificatum, ſicut Nazianzenus & Damaſcenus loquuntur.

Simile de corpore & anima rationali in homine.

Quod

Quòd autem Reuerentia tua dicit: Diuinitatem suas actiones habere à carne distinctas, quia proprias: hæc ipsissima Nestorij doctrina est, à ducentis Concilij Ephesini Patribus damnata. Nam Nestorius VNITATEM personę in Christo nunquam negauit, neq; duas in Christo personas vnquam asseruit: sed VNAM SINGVLAREM personam ore constanter confessus est. Ideóque Concilio Ephesino succensuit, & conquestus est vsque ad mortem, sibi iniuriam factam esse, qui hoc nomine damnatus sit.

Nestorij Confessio de vnitate personæ Christi.

Hęresis autem ipsius hęc fuit: quòd propria humanitatis, videlicet ex muliere nasci, pati, mori, Diuinitati tanquam Deo indigna, tribuere noluit.

Nestorij hæresis quæ fuerit.

Noli gloriari Iudęe, inquit, quoniam hominem, non Deum, crucifixisti. Item, Mariam χριστοτόκον, & matrem Christi, qui sit Filius Dei, appellauit: sed Θεοτόκον, id est, matrem Dei, aut filij Dei esse, concedere noluit. Ego, inquit, in bimestrem & trimestrem Deum non credo. Et apertè testatus est, se Mariæ matris Dei appellationem non inuidere, sed ei minimè conuenire docuit, quia ex eo (secundum ipsius Nestorij intellectum & opinionem) sequeretur, Mariam Diuinitate priorem esse, siquidem omnis mater annis suum filium ex ipsa natura superet. Cùm autem Diuinitas sit ab æterno: ideo ex muliere Deum nasci non posse, contendit. Ex hac autem doctrina Nestorij, Patres Concilij Ephesini aduersus Nestorium rectè concluserunt, eum duas personas in Christo constituere. Quandoquidem actiones & passiones non vtrique naturæ communes esse, asserat, sed distinctè alias carni, alias diuinitati, sine vlla reali communicatione, tribuat. Etsi enim verum est, quod Leo scribit: quòd quælibet forma in Christo agat, quod suum est: non tamen hoc absolutè & distinctè vni tantùm naturæ, sed toti personæ in Christo tribuit. Nam addit Leo: cum communione alterius formæ. Cuius hæc sunt verba: Agit vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est, Quapropter Lutherus

Nestorius de verbis non vult litigare.

Nestorius separationis naturarum in Christo iure damnatus.

Leo Epistola 10. ad Flauianum.

Nestorij error non satis damnatus in Synodo Ephesina.

dicit: Nestorium non satis damnatum esse à patribus Concilij Ephesini, qui nullum articulum fidei de persona Christi reliquerit syncerum, sed simul omnes corruperit, & deprauauerit: quia purum hominem ex Maria natum, passum, crucifixum esse, statuit: quod ex diametro cum articulis Symboli Apostolici pugnat. Nam de Filio Dei expressè omnes articuli Symboli Apostolici in persona Christi loquuntur: Credo in Iesum Christum FILIVM eius vnicum, QVI conceptus de Spiritu sancto: QVI NATVS: QVI passus: QVI crucifixus: QVI mortuus, &c. filius, inquam, Dei naturalis & vnigenitus. Hæc cùm pertinaciter oppugnaret Nestorius, iure hęreseos damnatus est. Est ergo vnio naturarum personalis, non nuda combinatio sine communicatione, sed vera & realis communicatio naturarum, in qua vna natura alteri dat, & altera accipit. Quam communicationem Paulus paucis verbis disertè complexus est: In ipso (inquit) inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Nam Filius Dei, in cuius persona hæc vnio facta est, assumptæ suę naturę omnem plenitudinem Deitatis communicauit. Etsi enim Deus omnem suam plenitudinem Deitatis vbique secum habet, qui etiam in nobis per fidem habitat: tamen nulli beatorum homini eam communicauit. Ideo solus Christus Iesus Mariæ filius verè dicere potest: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra.

Nestorianus error quanta hæresis.

Vnio naturarum in persona Christi est vera & realis communicatio.

Col. 2.

Communicatio omnis plenitudinis Deitatis in carne Christi.

Ephes. 3.

Matth. 28.

D. BEZA.

Similitudo de duabus pennis combinatis, nihil ad nos pertinet. Non enim talem vnionem naturarũ in persona Christi docemus, aut credimus. Quòd autem de Nestorio dixisti, eum vnitatem personæ Christi credidisse, & non duas personas constituisse: Respondeo: si re ipsa vnitatem personæ credidisset, etiam communicationem idiomatum confessus esset. Quapropter fuit merum ludibrium, quod de vna singulari persona dixit, aut quid diceret, non intellexit. Et quomodo Pelagius imposuerit Ecclesijs, ex Historia Ecclesiastica notum est.

Dein-

Deinde Nestorius naturas & earum actiones re ipsa in persona Christi separauit, quod nos non facimus. Etsi enim cuilibet naturæ proprias suas & distinctas actiones tribuimus: non tamen propterea dicimus, quòd natura humana à diuina, aut diuina ab humana separata hoc efficiat, sed in ipsa vnione permanentes, quælibet efficiat, quod ipsius proprium est.

An D. Beza naturas in Christo separet.

Sic Iesus Christus dicit: se Nathanaelem sub ficu vidisse: quod non seundum humanitatem, sed secundum diuinitatem factum est. Et Eutyches dum videri noluit, determinationem Patrum Synodi Ephesinæ contra Nestorium sequi, in contrarium errorem incidit, et contendit: Diuinitatem passam esse. Qua ratione naturas confudit, cùm diuinitatem eiusque proprietates ab humanitate & eius proprietatibus distinguere oportuisset.

D. IACOBVS.

Vos nudam combinationem duarum naturarum in Christo asserere sine communicatione, quam similitudine duarum pennarum explicaui, res ipsa docebit.

Nestorium quoque non simulasse, sed apertis & minimè dubijs verbis VNAM SINGVLAREM personam Christi asseruisse, Epistola ipsius apertè docet. Quæ causa fuit, quòd se à Concilio iniquè damnatum fuisse, vsque ad mortem suam conquestus est, sicut Historia Ecclesiastica docet.

Nestorius vnam singularem personam in Christo confessus. Nestorius in Epistola ad Cyrillum. 2. Tom. Concil. pag 662.

Quapropter hac in parte inter Nestorium & Pelagium ingens discrimen est: quòd Pelagius apud aliquos reuocasse dicitur, quod alij non crediderunt: cuius causa Augustinus ad Innocentium Rom. Episcopum scripsit: Nestorius autem suam opinionem constanter & semper confessus est: sed quòd sibi ipsi contradiceret, non intellexit.

August. Epist. 95. & 96.

Patres verò Ephesinæ Synodi cùm intelligerent, vnionem naturarum, & communicationem idiomatum seu proprieta-

Nestorius à Concilio Ephesino hæreseos iure damnatus.

tum naturarum tanquam causam & effectũ in persona Christi coniunctas, (nam ex vnione communicatio illa sequitur) ideóque etiam nulla ratione confessionis illius de vna singulari persona habita, rectè pronunciarunt: Nestorium vnionem personalem in Christo soluisse: & naturas in Christo separasse, quòd passiones in Christo sine omni communicatione, soli humanæ naturæ tribueret, & à Diuinitate separaret. Nam Deum neque natum ex muliere, neque passum aut crucifixum dicere voluit.

Quamuis non negaret, Christum, qui ex Maria natus, passus & crucifixus est, verum Deum, adeóque vnigenitum filium Dei esse. Nam sub vocabulo (Deus) Diuinitatem τοῦ λόγου intellexit, quæ à persona λόγου separari non potest. Quapropter etsi apertè & ingenuè confessus est, quòd Iesus Christus sit verus Deus: non tamen Deum passum, aut crucifixum esse, dicere voluit. Hæc enim humanitatis propria dixit esse: Ideóque ad solam humanitatem eius referenda, & Deo nequaquam tribuenda esse, contendit. Verba eius hæc sunt: Quoniam memoriam mortis facturus erat, ne Deum Verbum quisquam ex hoc passibile suspicetur, ponit Christũ, tanquam impassibilis & passibilis substantiæ, IN VNA SINGVLARI PERSONA appellationum significatiua, quatenus & impassibilis Christus, & passibilis sine periculo vocetur: Impassibilis quidem Deitate, passibilis autem corporis natura.

Nestorius in Epist. ad Cyril. Tom 2. Concil. pag. 662.

Sic ex parte vestra etiam in Christo vna singularis persona docetur, in qua duæ naturæ in vnam hypostasin coeant, & inseparabiliter vnitæ sint: sed proprietatum naturarum erga se inuicem nullam realem, imò ne quidem verbalem & Grammaticam communicationem esse, conceditis. Quòd negari non potest, & scripta vestra apertè testantur. Quòd autem dicitis, vos naturas non separare, etiamsi dicatis, quòd operationes naturarum sint distinctę: respondeo, idem Nestorium dixisse: contrariũ verò Ephesinę Synodi Patres demonstrasse. Nam regula est perpetua veritatis: Quòd in Christo actio-

Accommodatio doctrinæ D. Bezæ, ad errorem Nestorij.

Ne quidem verbalem communicationem in naturis concedunt.

D. Beza in Responsione ad 8. & 9. Thesin.

Assertio operationis distinctæ, est naturarum separatio.

actiones & pasiones nō NATVRIS, sed TOTI PERSONÆ tribuendæ sint. Id quisquis non fecerit, quicquid dicat & faciat, re ipsa hæresin Nestorij profitetur. Neq; Christus dicit: Mea Diuinitas vidit Nathanaelem sub ficu: sed inquit: Priusquam te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, VIDI TE. Hoc videre personæ tribuitur. Aliter autem vidit Nathanaelem, vt homo, quia Deo vnitus: & aliter vidit eum vt Deus, ad quod non indigebat, vt cum homine vniretur. Quando autem vos solùm hoc Diuinitati tribuitis, eo ipso etiam naturas separatis.

REGVLA. Actiones & passiones Christi non naturarum, sed personæ sunt.

Christus quomodo Nathanaelem viderit sub ficu.

D. BEZA.

Nos non separamus naturas: sed dum naturis distinctas operationes tribuimus, naturarum confusionem Eutychianam fugimus.

D. IACOBVS.

Res ipsa contrarium docet. Sicut enim in homine anima, quàm diu est in homine, nihil facit sine corpore, sed omnia per corpus, & cum corpore: corpus autem sine anima nihil eorum per se agere potest: Ità in persona Christi λόγος nihil facit aut operatur sine assumpto homine, sed sicut orthodoxi Patres testantur, in, cum & per Eum. Sicut Athanasius testatur: Deus λόγος vnitus homini, edit miracula, & operatur non SEORSIM aut SEPARATIM à natura assumpta, sed pro sua bonitate placuit ipsi PER assumptam humanitatem IN EA, & CVM EA, propriam Diuinam suam potētiam operando, exercere. Si igitur sola Diuinitas vidit Nathanaelem sub ficu: an non hoc est seorsim & separatim à natura humana, videre, atque hoc modo personam diuidere, & naturas separare? quamuis vnitas esse dicas.

Λόγος omnia, IN, CVM & PER humanam Naturam operatur.

Athanasius Dial. 5. de Trinitate.

D. BEZA.

Voluisses autem tu damnare Nestorium, si ad hunc modum

dum locutus, testatus esset, se personam in Christo non diuidere, aut naturas separare, & duas personas constituere.

D. IACOBVS.

Quomodo tractandus Nestorius.

Ego dixissem ei: si idem sentis, quod nos: corrige linguam, & retine mentem. Si enim cum Ecclesia sentis, etiam cum Ecclesia loquaris. Nam sacra Scriptura, & Symboli Apostolici articuli apertè testantur & loquuntur: Deum seu Filium Dei natum, passum & crucifixum esse.

D. BEZA.

Nestorius non potuit inter concretum & abstractum distinguere, aliâs in illum errorem non incidisset. Aliud enim est: Deum esse ex muliere natum, passum, crucifixum: Aliud verò diuinitatem esse natam, passam, crucifixam: prius verum est, posterius falsum, & in Ecclesia orthodoxa damnatum.

D. IACOBVS.

Nestorij constans & perpetua sententia.

Non tam imperitus fuit Nestorius, quin intelligeret, Deum Verbum non sine diuinitate ex muliere natum. Tolle enim diuinitatem à λογῳ, & λόγος non amplius erit Deus. Quomodo enim Deus absque Deitate sua esse potest? Quapropter cum vocabulo (Deus) idem significetur, quod est æternum & increatum, adeoque ipsa Deitas: ideo tam oppugnauit has enunciationes, cùm dicitur: Deus est natus ex muliere, passus, crucifixus: quàm illam: Diuinitas est nata ex muliere, passa, crucifixa. Contra autem Cyrillus dixit: Verbum passum esse impassibiliter. Patitur, inquit, corpore patiente, eo quod ipsius dicitur fuisse proprium, cui se totum communicauit. Manet verò Deus ipse impassibilis, eo quod ipsius est porrò proprium, vt pati non possit. Et Vigilius scribit: Diuinitatem clauis cõfixam, sed non transfixam esse. Vbi

Verbum quomodo passum sit impassibiliter.

Tom. 1. Concil. pag. 636. Vigilius lib. 3. cap. 3.

vterque

vterque Cyrillus & Vigilius, vocabulis Dei & Diuinitatis promiscuè tanquam Synonymis vtuntur, atque hoc modo Diuinitati passiones Christi tribuunt. Nam siue Deus, siue Diuinitas nominetur, proprietate suæ naturę impassibilis est, & manet semper, siue extra vnionem, siue in vnione consistens, sed propter vnionem cum natura passibili factam personalem, à passione nequaquam excluditur. Cùm enim corpus assumptum Filij Dei proprium fuerit: non poterat sine Deitate quicquam illi passionum accidere, quod non etiam in ipsam Deitatem redundaret. Quemadmodum etiam passiones quædam rectâ in ipsius diuinitatem diriguntur, cùm inquiunt: si Filius Dei es, descende, & credemus in te: quæ non sola humanitas eius audiuit & perpessa est, sed ipsa quoque Filij Dei Deitas sustinuit & tulit, quę ipsos blasphemos perdere statim potuisset.

Deus & Diuinitas idem orthod. Patribus significant.

Diuinitas quomodo à passione in Christo non exclusa sit.

D. BEZA.

Quæro ex te: an eadem sit ratio harum duarum prædicationum, quando dicitur: Filius hominis est omnipotens: &, Dei filius est crucifixus?

An reciproca sit communicatio proprietatum in Persona Christi.

D. IACOBVS.

Causam harum prædicationum dico esse vnam & eandem, sed non propterea etiam rationem eandem. Nam causa harum prędicationum est vna & eadem, videlicet vnio naturarum in persona Filij Dei. Nisi enim hæc vnio hypostatica facta esset, Deus nunquam crucifigi, neq; Homo omnipotens fieri potuisset. Ex vnione ergo habet filius hominis, quòd factus est verè omnipotens, & quòd Filius Dei dicitur & est passus. Ratio aũt harũ prędicationum est lõgè diuersissima, propter naturarũ diuersitatem, qua in se considerantur. Nam diuina natura est immutabilis, cui nulla perfectio, vel imperfectio accidere potest. Humana natura aũt mutabilis est, quæ humiliari & exaltari, debilitari & confirmari potest. Ex quo sequi-

Communicationis idiomatum eadem causa, sed non eadem ratio.

Communicationis idiomatum causa est vnio & communicatio naturarum.

Ratio diuersitatis communicationis proprietatum in persona Christi.

sequitur, quòd non eodem modo Diuinitas passionum sit particeps, quemadmodum Humanitas gloriæ & Maiestatis Diuinitatis propriæ particeps facta est. Nam humana natura in se recipere potest omnipotentiam: sed Diuinitas IN SE non potest eodem modo recipere passiones, vt quæ vulnerari & lacerari non potest. Passa autem est Diuinitas in propria carne, sicut λόγος in passione requieuisse dicitur, respectu carnis suæ, hoc est, non solùm sustentauit naturam humanam, vt talia pati posset, sed ipsa quoque Diuinitas non repulit à propria carne passiones, quod facere potuisset, si voluisset, sed passa est sic fieri.

Quomodo in passione Christi natura Diuina requieuerit.

D. BEZA.

Ego vtriusque prædicationis & enunciationis non modò eandem causam, sed etiam rationem eandem esse dico. Quemadmodum enim Deus crucifixus dicitur: sic hominem Omnipotentem effectum esse dico. Naturæ enim in ipsa vnione sunt, & manent perpetuò distinctæ, & singula naturæ suas proprietates in se ipsis retinent. Quæ propria suum subiectum non egrediuntur, sed manent quoque distincta, sicut naturæ distinctæ manent. Quemadmodum igitur Deus passus dicitur, non quia passiones in se recepit, sed κατ' ἄλλο, hoc est, secundum humanam naturam est intelligendum, quòd illa passa sit: Ita quoque Homo omnipotens factus esse dicitur, non quòd Humanitas omnipotentiam IN SE receperit, aut eius particeps facta sit, sed quia cum Deo Verbo vnita est.

D. IACOBVS.

Contrà Cyrillus cum tota Orthodoxa vetustate testatur, quòd caro Christi ita locupletata sit diuinis operationibus, vt Diuina natura expers passionum permanserit.

D. BEZA.

D. BEZA.

Vis ergo stare sententiæ Cyrilli?

D. IACOBVS.

Volo.

D. BEZA.

Recitabo ergo sententiam ex Cyrillo, qua Deitatis propria ita soli Deitati tribuuntur, vt carni communicata esse neget.

Eius verba sic sonant: Decebat nullam aliam rem viuificare posse, etiamsi intelligatur esse caro Christi, secundum quod caro est, nisi solam diuinitatis naturam. Item, Non ergo carni, vt caro est, operationis diuinæ virtutem, sed naturæ Verbi attribuimus. Nulla enim res, quæ propria opera DEI sunt, facere potest, NISI SVBSTANTIALITER Deus sit.

Cyrillus lib. 6. de Trinitate.

Lib. 11. in Iohannem cap. 21.

D. IACOBVS.

Non modo hic locus, sed similes quàm plurimi in Cyrillo inueniuntur, in quibus asserit, quòd nulla res, ea quę diuinitatis propria sunt, PER SE facere possit, nisi sit substantialiter Deus. Voluit autem hoc docere Cyrillus, quando Diuinitatis propria carni seu humanę naturę Christi tribuuntur, non tribui carni Christi, IN QVANTVM HVMANA CARO SIT. Non carni, VT CARO EST (inquit Cyrillus) sed naturæ Verbi diuinæ operationis virtutem tribuimus. Inde autem non sequitur, quòd propterea diuinitatis opera propria, carni Christi non sint re vera communicata. Quin idem ipse Cyrillus contrarium apertissimis verbis asserit, cuius hæc sunt verba: Non imperitè omninò viuificā carnem esse negatis. Nam si SOLA intelligatur, nihil prorsus viuificare potest, quippe, quæ viuificante indigeat. Cùm verò in-

Cyrilli perpetua & constans sententia de communicatione proprietatum Deitatis.

Propria diuinitatis nulli creaturæ per se insunt.

Cyrillus lib. 11. cap. 21.

Cyrillus in Iohannem lib. 4. cap. 23.

Caro Christi quomodo viuifica sit, & non sit.

rò incarnationis Mysterium scrutati fueritis, et VITAM habitantem in carne cognoueritis, quamuis *NIHIL PENITVS CARO PER SE IPSAM* possit: *VIVIFICAM TAMEN FACTAM ESSE* credetis. Nam quoniam cum viuificante Verbo coniuncta est, *TOTA EST EFFECTA VIVIFICA.* Non ad corruptibilem suam naturam iunctum *DEI VERBVM* detraxit, sed ipsa *AD MELIORIS VIRTVTEM* eleuata est. Quamuis ergo natura carnis, *VT CARO EST*, viuificare nequeat: facit tamen hoc, *QVIA TOTAM VERBI OPERATIONEM SVSCEPIT.* Item, Damascenus: Diuina natura PROPRIAS excellentias, seu glorificationes CARNI COMMVNICAT, IPSA verò IN SE passionum carnis manet expers. His verbis manifestè demonstratum est, quòd non sit eadem ratio illarum enunciationum: Deus est crucifixus: &, Homo est omnipotens. Quia propriorum diuinitatis humana natura aliter particeps facta est, quàm diuinitas passionum humanitatis in persona Christi.

Caro Christi viuifica quomodo.

Lib. 3. cap. 7 de orthodoxa fide.

Communicationis ratio non eadem.

D. BEZA.

Communicatio quidem facta est proprium vtriusque naturæ in persona Christi: sed in naturis IN SE non est facta, vt humanitas facta sit IN SE omnipotens. Hæc enim Eutychetis hæresis fuit, quam orthodoxa Ecclesia semper damnauit. Ideo & nos eam largiri non possumus.

Communicationem qualem Beza cum suis doceat.

D. IACOBVS.

Historia Ecclesiastica testatur de Eutychete, quòd vnam duntaxat naturam in Christo post ascensionem in cœlum crediderit & docuerit, videlicet, diuinam tantùm, in quam humanitas in gloria absorpta sit. Et Vigilius contra eundem errorem scribens, à proprijs corporis & naturæ humanæ concludit, quòd in Christo non tantùm sit vna natura, sed duæ naturæ. Eutychetis verba in Euagrio hæc sunt: Confiteor Dominum duabus naturis constitisse, ante vnionem: post

Eutychetis hæresis quæ fuerit.

post vnionem verò, vnam illius naturam confiteor. Item, corpus Christi nostris corporibus non mansit ὁμοούσιον, aut simile: sed in diuinam naturam prorsus commutatum est, & absorptum.

Confessio Eutychetis, de persona Christi.

Quod ad phrasin attinet (IN SE) ea dupliciter intelligi potest: Primò, vt idem significet, quod PER SE & absolutè, & proprietate suæ naturæ, sine respectu alterius. Hoc modo omnipotentia nulli creaturæ inest, aut inesse potest, nisi sit ipsa Deitas.

Ambiguitas phrasis (IN SE,) quæ dupliciter intelligi potest.

Deinde, (IN SE) intelligitur, quòd re vera IN alio reperiatur, cui inesse dicitur, etiamsi alicundè aduenerit. Et hoc modo VIS VIVIFICANDI, aliaque diuinitatis propria sunt & esse dicuntur IN HVMANITATE ASSVMPTA: cui per vnionem personalem à filio Dei communicata & donata sunt.

Similitudo autem animę & corporis, per quam Patres hoc Mysterium explicauerunt, etsi non per omnia quadrat (nulla enim similitudo quatuor pedibus currit:) tamen nos in hac vna quęstione facilè expedire potest: sicut altera quoq; de ferro ignito: quibus demonstratur, quòd vera & realis communicatio substantię ignis & propriorum eius, substantias & earum propria nequaquam commisceat, neq; substantiam alterius naturæ aboleat, cui fit hæc communicatio. Quemadmodum enim propter hanc communicationem animę, & potentiarũ eius, corpus quidem nouam appellationem & definitionem acquirit, quòd est & dicitur animatum: item ferrum ab igne dicitur ignitum: neq; tamen vel naturæ cum proprijs suis confunduntur, vel altera natura, videlicet corpus aut ferrum, aboletur: sic humanitas quoq; à filio Dei assumpta in hac communicatione reali essentiæ & propriorum τοῦ λόγου, non aboletur, aut in Diuinitatem mutatur, sed acquirit nouum nomen & appellationem, quòd dicitur Deificatum. Acquirit itaque à filio Dei Maiestatem, quę ipsius Dei propria est, quam Deitas in hac cõmunicatione nõ amittit, sed IN SE retinet. Personaliter aũt cum assumpto homine communem, sicut essentialiter

Similitudinum ferri igniti, & animæ cum corpore vsus.

Communicatio realis non efficit confusionem naturarum, aut humanæ abolitionem.

cum Patre & Spiritu sancto communem habet. Vnde vnus hic homo Iesus Mariæ filius VERE dicere potest: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra: quod Petrus, Paulus, aut alius Sanctus dicere non potest. In quibus tamen Deus, omnem plenitudinem suę diuinitatis in se retinens, gratia sua habitat.

Matth. 28.

In eo autem vos fallimini, quòd existimatis, nullam veram & realem communicationem fieri posse, vel naturarum, vel proprietatum diuinitatis, nisi essentialis sit: qualem propter essentiæ diuinæ vnitatem diximus Patris, Filij, & Spiritus sancti esse in diuinitate: quam solam etiam in disputatione hac de communicatione idiomatum oppugnatis, cùm aliam non posse existere falsò opinemini: quæ tamen in personali communicatione locum habere non potest. Hanc opinionem, commemoratæ similitudines vobis facilè eximere possunt, quę planè contrarium docent.

Causa erroris Bezæ, & fratrum eius.

D. BEZA.

Vos effectum vnionis duarum naturarum ita explicatis istis similitudinibus, vt aliquid tertium ex vtroq; fiat. Corpus enim non est anima, & anima non est corpus, sed corpus per vnionem cum anima fit animatum. Vnde aliquid tertium, quod neque corpus tantùm, neque anima tantùm, sed ex vtroque, tanquam partibus compositum, homo dicitur. Verùm in hoc Mysterio vnionis, ex Deo & homine non constituitur aliquid tertium, quod neq; Deus, neque homo sit, sed Christus, qui nihil aliud, quàm Deus & homo est. Vnde etiam de se inuicem prædicantur: Deus est homo: & homo est Deus in Christo: quod de anima & corpore dici non potest. Non enim dicitur, anima est corpus: corpus est anima. Sic quoque dici non potest: ferrum est ignis, ignis est ferrum.

Obiectio contra similitudines ferri igniti & animæ cum corpore.

D. IACO-

D. IACOBVS.

Paulò antè dixi, similitudines illas non per omnia quadrare: sed tamen communicationem optimè, & accommodatissimè explicare, quæ fiat sine confusione naturarum, aut alterius abolitione: in quem finem duntaxat à Patribus vsurpatę, & in Ecclesiam introductæ sunt.

Aliàs verum est, quod ingens sit discrimen. Nam homo ex anima & corpore constat, tanquam ex partibus suis substantialibus: quarum neutra sine altera perfecta est. Corpus enim (vt diximus) sine anima cadauer est: & anima à Deo condita est, non sicut Angelus, vt extra corpus suas energias exerceat, sed in corpore, & per corpus.

Dissimilitudo priorum duarum similitudinum cum persona Christi.

Persona autem Christi ex duobus totis, integris, & perfectis, & non ex partibus composita est (liceat enim compositionis vocabulo, exemplo piarum Synodorum vti.) Nam λόγος in se perfectus Deus est, neque ad illius perfectionem requiritur homo. Item, homo perfectus est homo, qui corpore, & anima rationali constat. Cùm igitur neutrum alterius pars sit, ideo propter illam admirandam vnionem & communicationem, & arctissimam coniunctionem, qua λόγος & natura humana assumpta, vnita & sibi inuicem communicata sunt, de se inuicem prædicantur, quod de anima & corpore dici non potest. Quemadmodum etiam de ferro ignito: ignis & ferrum de se inuicem non prædicantur, quamuis vnum constituant, quod dicitur ferrum ignitum.

Persona Christi quomodo composita dicatur.
Synodus 5. & 6. Constantinopolitana.

D. BEZA.

Non nego, quòd λόγος assumptæ naturæ hypostasin suam cõmunicet, et ita personaliter ab eo sustentetur, quod fit per vnionẽ: sed hanc vnionem nõ iudico cõmiscendam cum cõmunicatione idiomatũ seu proprietatũ, quam vos ex hac vnione sequi dicitis. Nos verò dicimus, quòd humanitas

An humana natura à Λόγῳ subsisten-tiam tantùm accipiat.

à Λόγῳ tantùm sustentationem accipiat, sine omni propriorum alterius naturæ communicatione, ex qua confusio naturarum sequeretur. Sic enim natura humana cum Λόγῳ vnitur, vt ab eo subsistentiam acquirat.

D. IACOBVS.

Simpliciter nego, quòd humana natura tantùm subsistentiam à Λόγῳ accipiat.

D. BEZA.

Ego dico, hanc communicationem subsistentiæ, fundamentum esse communicationis proprietatum.

D. IACOBVS.

Consensus in verbis, non rebus.

Ego idem dico: Sed quando ad explicationem peruentum est, quid sit hæc communicatio, hanc communicationem vos longè aliter interpretamini, quàm nos interpretamur, sicut suprà dictum est.

D. BEZA.

Nos dicimus, quòd talis sit vnio, qua humana natura in persona Filij Dei subsistat.

D. IACOBVS.

Quid amplius propter hanc vnionem assumptæ naturæ tribuitis?

D. BEZA.

Nos addimus, quòd etiam in proprietatibus subsistat.

D. IACOBVS.

Quomodo autem hanc subsistentiam explicatis, aut quid per eam humanæ naturæ accedere dicitis?

D. BEZA.

Tantam dignitatem, qua supra omnes creaturas euecta est.

D. IACO-

D. IACOBVS.

Est autem hæc summa dignitas creatum, vel increatum donum?

D. BEZA.

Non est increatum, sed creatum donum.

D. IACOBVS.

Hinc iam manifestè elucet, vos exemplo Nestorij κοινωνίαν ἰδιωμάτων, hoc est, communicationem proprietatum diuinitatis prorsus negare. Si enim summa illa dignitas *EST CREATVM DONVM:* ergo non est proprietas Dei, hoc est, propria Dei Maiestas, quam Christo secundum humanitatem communicatam esse suprà verbis D. Pauli probauimus, qui apertè cõfirmat, quòd in Christo inhabitet omnis plenitudo Deitatis corporaliter, qua plenitudine humana natura in Christo donata est. Hæc autem plenitudo non est *CREATVM DONVM*, sed Dei Maiestas æterna & infinita. Quemadmodum etiam ad dexteram huius Maiestatis Dei infinitæ & propriæ humana Christi natura, & non ad creatam Maiestatem collocata ab eodem Paulo dicitur, & symbolum Apostolorum confirmat.

An D. Beza communicationem idiomatum credat.

Maiestas hominis Christi non est creatum donum.

Quapropter NIHIL nisi verba & verborum pręstigias esse, cùm dicitis, vos credere: Hominem Christum Iesum Mariæ filium omnipotentem, omniscientem, & omnipræsentem esse: vestra explicatio in vestra Responsione posita apertè docet. Dicitis enim: Homo est omnipotens, id est, Deitas humanitati vnita est omnipotens.

In Responsione ad dogma 1.

Rogo autem auditores omnes, diligenter hoc apud se expendant, quomodo ex sententia Theologorum alterius partis, Homo Iesus Mariæ filius dicatur & sit omnipotens. Dicunt .n. sententiam horũ verborum (Homo est omnipotens) hanc esse: Deitas humanitati vnita est omnipotẽs. Sed in qua lingua? in qua Grãmatica quęso, homo idem significat, quod Deitas? Item, quomodo homo omnipotens verè dici potest, cuius

D. Beza quomodo hominem Christum omnipotentem dicat.

cuius humanitati, hoc est, animę & corpori eius non est communicata omnipotentia? quæ etiam de humanitate nullo modo, ne in vnione quidem verè dici posit? sicut Responsio vestra habet.

Ad Thes. 6. & 7.

Quid enim aliud dicitur hac enunciatione: Deitas humanitati vnita est omnipotens, quàm, Deitatem ita esse omnipotentem, vt eam humanitati nullo modo communicatam doceat? Et vt, quæ vestra sententia sit, omnes planè intelligant, in Responsione vestra apertè hæc verba posita sunt: Itaq; communicationem, cuius fit mentio, qua dicitur: *HVMANITAS* suo quodam modo est omnipotens, &c. *NE VERBALEM QVIDEM ESSE DICIMVS*, sed tàm falsam esse existimamus, quàm falsum est, vnione Hypostatica *HVMANITATEM* euasisse Deitatem.

In Responsione ad Thes. 8. & 9.

Quidquid ergo de proprietatum communicatione à vobis dicitur, qua homo Christus dicatur omnipotens, omniscius, & similia: ita intelligenda esse vultis, vt *HVMANITATI CHRISTI* ne quidem nomen huius Maiestatis verè attribui posse apertè dicatis.

Quæ omnia sicut auditu horrenda sunt: ita quomodo cum Pauli verbis suprà positis, In ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, consentiant, omnes intelligere existimo: qui testatur, humanam Christi naturam, plenitudinem diuinitatis corporaliter communicatam habere, & in ipsius Deitatis propriam sedem & thronum collocatam esse.

Coloss. 2.

D. BEZA.

Paulus in dicto ad Colossenses aduersus Nestorium ostendit, Christum non tantùm παρουσίᾳ, *hoc est, aßistentiâ Filium Dei sibi habere coniunctum, sed ipsam substantiam* τοῦ λόγου *perfectißimam. Et sic distinguimus gratiam habitualem, à gratia vnionis personalis.*

D. IACO-

D. IACOBVS.

Nunc aliquoties diximus, substantiam τ̃ λόγου, qua in se est & manet semper perfectissima, in omnibus creaturis esse, & in sanctis per gratiam habitare. Quòd autem aliter Christo Mariæ filio vniatur, quàm cum reliquis beatis hominibus: id non, nisi à posteriore, seu hanc vnionem consequente, intelligitur, videlicet, ex communicatione Maiestatis, de qua hoc loco Paulus loquitur: quod omnes veteres orthodoxi Patres nobiscum senserunt, & docuerunt. Deus (scribit Augustinus) vbique præsens est, & vbique totus præsens, nec vbique habitans, sed in templo suo, cui per gratiam benignus est & propitius. Capitur autem habitans, ab alijs amplius, ab alijs minus. De ipso verò capite nostro Apostolus ait: In ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Item, Origenes: Anima Christi tota totum λόγον recipit, atque in eius lucem splendoremq́ue cedit. Item: Anima Christi cum verbo Dei coniuncta, filij Dei PLANE capax fuit. Damascenus: Humana Christi voluntas naturaliter NON ERAT OMNIPOTENS. Vt autem verè, & secundum naturam, Dei Verbi voluntas est facta, ET OMNIPOTENS EST. Quæ verba commentator eius ita explicat: Diuina voluntas suapte natura habet potentiam omnia efficiendi, quæ velit. Humana verò Christi voluntas NON SVA NATVRA habet omniefficacem virtutem, SED VT VERBO DEI VNITA EST.

Substantia diuinitatis quomodo cum humanitate assumpta vniatur.

Testimonia Patrum de communicatione substantiæ diuinitatis in homine Christo

August. in Epist. 57. ad Dar.

Orig de prin. lib. 2. cap. 6.

Damasc. lib. 3. cap. 18. de orthodoxa fide.

Quomodo humana voluntas in Christo sit omnipotens.

Hæc Spiritus sancti, & orthodoxorum Patrum verba, longè aliter de communicatione omnipotentiæ humanæ naturæ in Christo facta loquuntur, quàm Responsio vestra habet.

Et res adeò manifesta est, vt sensus etiam rationem consequentiæ capere possit. Si humana natura habet omnipotentiam: ergo etiam, suo modo, VERE ET REALITER omnipotens est, & dicitur. Quòd aũt humana Christi natura habeat omnipotentiam, luce meridiana clariùs demonstra-

tum est. Quomodo ergo omnipotens non erit? Quantus igitur error est, asserere, eam ne quidem verbaliter omnipotentem esse, hoc est, nomen omnipotentiæ ei non competere?

D. BEZA.

Patres de vnione Hypostatica loquuntnr, quæ huius communicationis fundamentum est: et nos non negamus, Christum hominem esse omnipotentem, sicut Deus est.

D. IACOBVS.

Sed humanitatem Christi non dicitis omnipotentem factam, neque vllo modo omnipotentem fieri posse, nisi fiat ipsa Deitas? Quomodo autem homo verè omnipotens dici potest, cuius humanitas cum omnipotentia nihil habet commune, cuius neque capax neque particeps esse potest? imò cui etiam nomen omnipotentiæ secundum opinionem & sententiam vestram tribui non potest?

In Respons. ad 8. & 9.

D. BEZA.

Id fit propter vnionem personalem, quòd humanitas in persona Verbi subsistit.

D. IACOBVS.

Cum autem aliud sit vnio, & aliud communicatio: quomodo propter vnionem hæc de homine verè prædicari possunt, quæ tamen non communicantur?

D. BEZA.

In Respons. ad Thes. 8. & 9. Confusio vnionis personalis, & communicationis idiomatum.

Ὁμωνυμία est in vocabulo communicationis, quod modò pro vnione hypostatica, modò pro illius effectis accipitur. Realem igitur communicationem quando admittimus: per communicationem, vnionem naturarũ intelligimus, in qua manent singulæ naturæ per se, etiam in vnione suis proprietatibus distinctæ, citra vllam aliam communicationem.

D. IACO-

D. IACOBVS.

Hactenus à vobis in hac controuersia accusati sumus, quòd vnionem & communicationem confundamus in hac controuersia: Nunc vos ipsi vnionem & communicationem vnum esse dicitis.

Quomodo autem vnum & idem esse potest vnio naturarum & communicatio idiomatum, quæ sicut causa & effectus differunt? Aliud enim est vnio naturarum, aliud communicatio proprietatum naturarum. Sicut aliud natura huma, aliud proprietas humanę naturę.

Vnio naturarum, & communicatio idiomatum, non sunt vnum & idem.

D. BEZA.

Vnio naturarum in Christo talis est, qua non modò naturæ, sed etiam propria naturarum vniuntur: propter quã vnionem propria Dei de homine, & propria hominis de Deo dicuntur, sed κατ' ἄλλο, hoc est, respectu alterius naturæ, cui per se propria insunt, neque alteri naturæ hoc modo insunt. Ideoq; etiam de ea prædicari non possunt.

Quomodo phrasis κατ' ἄλλο intelligenda sit secundum Bezam.

D. IACOBVS.

Dicimus nos quoque, propria vnius naturæ de altera dici et prædicari, sed κατ' ἄλλο, hoc est, non absolutè, & in abstracto, sed in concreto, hoc est, in vnione personali, respectu alterius naturæ.

Vera & germana sententia phrasis, κατ' ἄλλο.

Nos autem hæc verba κατ' ἄλλο, id est, secundum aliud, sicut & distinctiuas particulas in Scriptura vsurpatas, (secundum carnem, secundum spiritum) aliter interpretamur, & intelligimus, quàm vos intelligatis.

Vos enim sic intelligitis, & interpretamini, cùm dicitur: Deus est passus: hoc κατ' ἄλλο, hoc est, respectu humanitatis intelligendum esse: qua in parte inter nos consensus est. Nisi enim Deus factus fuisset homo, hæc propositio in æternum non fuisset vera: Deus est passus. Quia Deus per se, & in sua Diuinitate est impassibilis.

Deinde illud κατ' ἄλλο sic intelligitis, & interpretamini: Deus est passus, id est, humanitas est passa, quæ Deitati vnita est: vt passio nihil ad Deitatem pertineat, adeo quidem, vt ne verbalis quidem communicatio dici possit respectu naturæ diuinæ, sed ad SOLAM HVMANITATEM, cuius proprium sit pati, referatur.

In Resp. ad dogma 1.

Corruptio, & deprauatio articuli de passione Christi.

Hęc explicatio falsa est, & articuli Apostolici de passione Christi manifesta abnegatio. Nam ita soli humanitati tribuitur passio, qua genus humanum redemptum est, vt Filius Dei sua diuinitate prorsus ab ea excludatur. Quod cum Symbolo Apostolico pugnat, quod sic sonat: Credo in Iesum Christum FILIVM EIVS VNICVM, DOMINVM NOSTRVM, QVI passus est: & non inquit, cuius natura humana passa est.

Vera intelligentia, & sensus particularum distinctiuarum.

Scripturam autem sacram, & Symboli Apostolici articulos secuti Patres, has particulas distinctiuas longè aliter interpretati sunt. Nam particulæ illę distinctiuæ non tantùm naturam monstrant, cuius proprium est, quod toti personæ tribuitur: sed causam quoque significant, quare alteri naturæ tribuatur, videlicet, quia cum ea personaliter vnita sit.

Rom. 1.

Sic Paulus de Filio Dei scribit: quòd sit factus ex semine Dauid: quod absolutè positum, non esset verum: quia Filius Dei ex semine virili fieri non potest, qui nihil corporeum est, sed spiritus indiuisibilis. Addit ergo Paulus particulam distinctiuam, κατὰ σάρκα, secundum carnem. Qua particula causam ostendit, cur filio Dei tribuatur, quod cum ipsius natura pugnat, videlicet, fieri ex semine humano.

Quia cùm Maria conciperet Christum, non concepit tantùm hominē: sed etiam cum semine virginis erat Filius Dei, cùm fieret homo: nec sine Filio Dei ex semine virginis, filius Mariæ factus est.

Si quis ergo nunc hanc particulam, secundum vestrum sensum & opinionem sic interpretaretur: Filius Dei factus est ex semine Dauid secundum carnem: id est, caro cum Filio Dei vnita,

vnita, facta est ex semine Dauid hoc modo, vt ne verbali quidem prædicatione hoc ad filium Dei pertineat: quis verè dicere posset, Mariam filium Dei concepisse, & peperisse: cùm hæc omnia duntaxat de carne, sine vlla reali communicatione cum filio Dei facta esse dicantur: quæ opinio & hęresis Nestoriana fuit.

Nam Nestorius quoque sensit, carnem ex semine Dauidis (hoc est, virginis, quæ ex semine Dauid erat) factam, cum filio Dei vnitam fuisse: & quod ex Maria natum fuit, dixit filium Dei esse, non nudum hominem: sed nasci ex muliere, hoc noluit de Filio Dei dici, quia proprium humanitatis sit ex muliere nasci: quod Deo, seu Filio Dei vnigenito non conueniat. Nestorij hæresis quæ fuerit.

Vos autem dicitis quidem de filio Dei, quòd sit natus ex Maria virgine: sed eodem planè modo, quo Nestorius, verbaliter scilicet: imò ne verbaliter quidem, si naturam diuinam spectes, quia soli carni competat: quod planè & apertè Nestorianum est.

D. BEZA.

Num ergo vos dicitis, filium Dei realiter ex semine Dauidis factum esse, sicut caro eius ex semine facta est?

D. IACOBVS.

Nequaquam dicimus, aut credimus. Et hic aperit sese error vester, quòd existimatis filium Dei non posse realiter fieri carnem, nisi ad eum modum, quo ipsa caro est: quod falsum est. Nam Verbum caro factum est, inquit Ioannes, idq́ue verè & realiter: non tamen caro factum est, sicut ex semine caro fit.

In eodem planè errore Nestorius fuit, qui non potuit aliter cogitare: si filius Dei ex semine Dauid, & ex Maria natus dicatur, id non posse aliter fieri, quàm si Diuinitas initium sumpsis- Causa erroris Nestorij.

sumpsisset ex virgine Maria: quod manifestè falsum, & impium est sic dicere. Ideo dixit: Mariam peperisse Christum hominem, qui sit Deus, non autem Deum peperisse. Vbi non fuit λογομαχία, hoc est, certamen de verbis tantùm, sed de re longè omnium maxima: An filius Dei sit verè natus ex Maria: an filius Dei sit verè passus: an filius Dei passione sua genus humanum redemerit? Quae omnia Nestorius negauit.

Nestoriana controuersia non fuit λογομαχία.

Eadem etiam est doctrina vestra, quando hanc propositionem sic interpretamini: Filius Dei est passus, id est, caro filij Dei est passa, quae cum filio Dei vnita est. Communicatio autem passionis (vestra opinione) ne verbaliter quidem filio Dei tribui potest, quia naturae humanae proprium sit, quod filio Dei non competat.

D. BEZA.

Nobis cum errore Nestorij nihil est commune, quia admittimus hanc enunciationem: Deus est passus: Homo est omnipotens: quod Nestorius non fecit, sed eas oppugnauit.

D. IACOBVS.

Collatio doctrinae Nestorij & D. Bezae, de persona Christi.

Vos phrasin quidem admittitis, vt videamini nobiscum consentire, & à Nestorio dissentire: sed quando ad explicationem ventum est, deprehenditur, eandem vestram cum Nestorij explicatione, & opinione esse. Sunt enim planè eadem verba Nestorij, quae vestra: qui fatetur, in vtero matris filium Mariae verè filium Dei fuisse: & NON DVOS, sed vnum filium Dei & Mariae confessus est. Sed nasci ex muliere, quae est proprietas humanę naturae, filio Dei realiter non conuenire: quod vos quoque dicitis, dum asseritis, has duas propositiones aequipollere: Filius Dei natus est ex Maria virgine: &, caro filio Dei vnita, est nata ex Maria virgine, sine reali communicatione proprij. Qua de re vt iudicent auditores, oro.

Nestorij opinio.

Multò verò intolerabilius est, quod asseritis: Eodem modo, &

do, & ratione planè eadem dici: Homo assumptus est omnipotens: &, Deitas vnita humanitati est omnipotens, quæ suam omnipotentiam humanitati assumptæ NVLLO MODO communicet. Quam explicationem Nestorius abominatus fuisset, qui solùm de communicatione propriorum humanitatis pugnauit, quæ tanquam Deo indigna, & ei minimè conuenire existimauit, videlicet, ex muliere nasci, pati, crucifigi: sed in Deum assumptam naturam humanam, diuinitatis propria gloria glorificatam esse, minimè negauit: & hoc nomine etiam κρεοφαγίαν à se remouere conatus est (quam illi Cyrillus & Patres obiecerunt) quòd communicationem virtutis viuificæ in carne Christi non negaret.

Nestorius communicationem propriorum Deitatis non negauit.

D. BEZA.

Quando igitur vos dicitis: Diuinitatem passam esse: id nos Eutychianum esse affirmamus: quod etiam ab Ecclesia tanquam falsum & erroneum est damnatum. Pati enim solius humanæ naturæ proprium est, & soli naturæ humanæ conuenit, NVLLO AVTEM MODO eius Diuinitati.

D. IACOBVS.

Nos Diuinitatem IN SE & PER SE proprietate essentiæ suæ passam esse nunquam diximus, nunquam scripsimus, nunquam sensimus, neque adhuc credimus, sentimus, aut docemus. Scimus enim, eam impaßibilem esse. Sed propterea paßionem prorsus à diuinitate remouere, qua redempti sumus, apertè Nestorianum esse, & cum consensu Orthodoxæ Ecclesiæ pugnare dicimus. Etsi enim non patitur Filius Dei proprietate essentiæ diuinæ: patitur tamen secundum carnem, quas paßiones realiter cum carne communes habet, in quem omnis contumelia redundauit, quam in carnem & humanitatem eius hostes, & verbo & facto effuderunt, cum qua vna persona est, sicut suprà explicatum est. Aliàs redemptio humani generis soli carni realiter, Filio autem Dei ne verbaliter quidem tribueretur: quod impium & blasphemum esse dicimus.

Diuinitas IN SE & PER SE impaßibilis.

D. BEZA.

D. BEZA.

Et nos quoque dicimus, quòd Filius Dei cum vnita carne, paßiones, propter vnionem personalem factam, communes habeat.

D. IACOBVS.

Consensus in verbis, non rebus.

Nobiscum loquimini, sed non nobiscum sentitis. Quomodo enim toti personæ, quæ diuina & humana natura constat, passiones tribuere potestis, cùm dicatis: Diuinæ naturæ ne verbaliter quidem vllo modo tribui posse?

D. BEZA.

Simile de homine.

Totus homo dicitur rationalis, cùm tamen anima tantùm sit rationalis, & non quoque corpus eius, quod ratione destituitur.

D. IACOBVS.

Est ne animæ in corpore humano ita proprium, ratio & intellectus, vt ad rationalem hominem nihil nisi anima rationalis requiratur?

D. BEZA.

Homo dicitur rationalis propter animam, quæ sola rationalis est, non item corpus.

D. IACOBVS.

Ad rationalem hominem non requiritur sola rationalis anima.

Concedo sanè hominem rationalem dici propter animam rationalem: sed ad vsum rationis & intellectus requiritur etiam corporis dispositio, quod nulla ratione negari potest. Nam experientia docet, si quis in capite periculosum vulnus accipiat, quòd planè stupidus fiat: & in perturbatione humoris Melancholici, nullus vsus rationis animæ, quantumuis in se rationalis existentis, est. Nec anima sine corpo-

corpore, quandiu in corpore est, ratiocinatur. Fit ergo quoque corpus suo modo rationis particeps, quamuis per se nihil intelligat absque anima. Sic Scriptura passim prædicat cor sapiens, non duntaxat animam sapientem. Non dedit tibi Dominus Deus tuus cor sapiens, &c. quæ phrasis Spiritus sancti minimè impropria est, toties in Scriptura repetita. Et ex corde, dicit Christus, prouenire cogitationes malas, quæ rationis opus sunt.

Deut. 29.

Matth. 15.

Non igitur homo rationalis est & intelligens, nisi simul anima & corpore valeat: nec sola anima ratiocinatur, sed vnà cum corpore, sicut in fatuis est videre, qui etsi anima rationali prędititi sunt, numerare tamen nesciunt.

Sic in opere redemptionis generis humani, nisi communicatio realis sit passionis: Christus TOTVS passione sua nos non redemit. Si enim à passione Christi Diuinitas eius remouetur, neque aliam communicationem admittis, quàm eam, quòd humanam naturam sustentauerit, ne patiendo succumberet: hanc Christus cum omnibus sanctis communem habebit: siquidem Deus omnes sanctos in passione ipsorum sustentauit, ne succumberent. Hic verò longè alia est ratio, cùm passione & morte expianda essent peccata, quibus infinitus Deus fuit offensus. Non poterat autem caro, quantumuis à Deo sustentata, passione sua infinitæ iræ Dei satisfacere: sed necesse fuit, ipsum filium Dei, non tamen in suæ substantiæ proprietate, sed secundum carnem pati, vt Ecclesia, Dei sanguine redimeretur. In quem Deum filium omnes iniuriæ & contumeliæ redundarunt, quas in animam & corpus eius exercuerunt hostes: in quibus filius Dei non solùm humanam naturam sustentauit & confirmauit, vt passiones illas perferre posset, sed ipse quoque tanquam Deus patienter tulit & sustinuit, easquè non violenter repulit.

Accommodatio similitudinis de homine sapiente & intelligente.

Cur passio Dei ad humani generis redemptionem necessaria fuerit.

Iniuriam autem & contumeliam verbis & facto inflictam tolerare & non repellere, num verò hoc passio dici non potest? vt maximè non doleat Deus, sicut homo? Num placet Deo? Num Deus non irasci, & vindicare posset? Miramur

 sæpe,

Patientia diuinitatis in tolerandis malis, & impijs hominibus.

sæpe, & prędicamus patientiam Dei, quòd homines flagitiosos, & in nomen ipsius Deitatis proprium blasphemos tam diu tolerat, & non punit: quomodo igitur Diuinitatem à passione ita auellimus, vt ne verbalem quidem prędicationem in ea locum habere posse cum Nestorio asseramus?

Communicationis diuersitas, & eius ratio.

Longè autem aliam rationem communicationis omnipotentiæ Dei in humana natura Dei esse, suprà ostendimus, cùm humana natura sit alio modo diuinæ Maiestatis capax, quàm diuina natura passionum particeps facta esse dicitur.

Quomodo passio in diuinitatem redundet.

Natura enim diuina propter suam perfectionem summam in se nullas passiones recipere potest. Sed quia se carni per vnionem communicauit in Filio, à quo in vnitatem personę assumpta est: ideo passio etiam in ipsam redundat. Natura autem humana omnipotentię plenè capax est, sicut Origenes loquitur, vt posit etiam plenitudinem diuinitatis recipere: ideo ipsa alio modo realiter omnipotens effici potest, quàm diuinitas passionum capax dicitur.

Orig. de princ. lib. 4.

D. BEZA.

Communicatio ex sententia Bezæ nihil nisi vnio.

Ego communicationẽ credo, de qua dixi, videlicet, vnionem naturarum, & proprietatum diuinitatis τοῦ λόγου, cum humana natura assumpta. Verùm si tu probaueris ex omnibus Patribus, & in vnius vel alterius scriptis repereris, proprietates diuinitatis in carnem assumptam effusas vel infusas esse, viceris.

De effusione proprietatum diuinitatis in naturam humanam.

D. IACOBVS.

Quot Patres similitudine ferri candentis seu igniti vsi fuerunt, tot huius effusionis in carnem assumptam factæ, testes habeo.

Similitudo ferri igniti.

Sicut enim non sola substantia ignis cum ferro ignito vnita est, sed eius propria, videlicet, vis lucendi & vrendi quoque in totum ferrum effusa est, vt omni ex parte luceat, & vrat: sic

sic λόγος non tantùm vnitus est cum humana natura, sed in eam quoque effudit omnem plenitudinem diuinitatis. Si enim de Spiritu sancto effudit Dominus in sanctos peculiaria dona: quomodo non effudisset in Christum illam plenitudinem omnis Deitatis, cui spiritus non ad mensuram datus est? Hanc Spiritus sancti Phrasin & verba Patres sunt imitati. Cassianus in recitatione confessionis, cui omnes Aphricani & Gallicani Episcopi subscripserunt, inquit: Deus PER INFVSIONEM potentiæ suæ, misericorditer est mixtus Naturæ Humanæ. Hilarius teste Theodoreto Dial. 2. Deus PER INFVSIONEM potentiæ suæ, tanquam misericors mixtus est HVMANÆ NATVRÆ: non autem humana natura mixta est diuinæ.

Col. 2.
Ioel. 2.
1. Cor. 12.
Actor 2.
Ioan. 3.

Nequaquam verò EFFVSIONIS vocabulo vtimur, sicut nobis falsò imputatur, quasi doceamus: à diuinitate in humanam naturam effusam esse creatam omnipotentiam & diuinitatem, quæ essentiali Deitati & omnipotentiæ æqualis sit. Quæ impia doctrina & opinio mihi nobisque omnibus ex parte nostra in mentem nunquam venit. Quę opinio etiam cum statu disputationis nostrę pugnat. Talis enim creata omnipotentia non esset idioma seu proprietas Dei.

Omnipotentia, & propria Dei quomodo in humanam naturam effusa sint.

Constat autem nos in hac disputatione semper, non de communicatione donorum creatorum, sed de communicatione reali idiomatum, seu proprietatum diuinę naturę disputasse, quòd realiter assumptę naturę communicatę sint.

Ex quo omnibus manifestū est, nobis apertè iniuriam fieri ab ijs omnibus, qui in suis scriptis D. Brentio, & mihi propter assertionem realis communicationis idiomatum, creatam diuinitatem, & creatā omnipotentiam tribuunt, quam in nullis scriptis nostris vnquam demonstrare possunt. Quapropter si talis effusio propriorum diuinitatis ab aduersarijs nostris oppugnatur: non nostra doctrina, sed propriū ipsorum figmentū duntaxat oppugnatur ab illis, qui nobis contradicūt. Et cogitabunt ipsi, quomodo Deo reddituri sint rationem in nouissimo die, qui eiusmodi de nobis in varijs regnis falsò sparserūt.

Calumnia de creata & increata diuinitate & omnipotentia.

Quod toties admoniti, facere tamen non desinunt. Ideo autem faciunt, ne lectores verum ac proprium statum controuersiæ animaduertentes in veritatem rectè inquirant, & ipsorum errorem deprehendant.

D. BEZA.

De duplici Diuinitate excusatio D. Bezæ.

Ego memini me legere in scriptis tuis & Brentij, de duplici diuinitate, & duplici omnipotentia: neq; aliter verba vestra intellexi, studio nihil calumniari volui: Nam veritatem & pacem amo: atque vtinam nos inuicem meliùs & rectiùs intelligeremus, si qua ratione pia concordia inter nos constitui posset. Et vellem omnia scripta euulgata, abolita esse, quæ huic paci & concordiæ obstare, aut veritatem obscurare videntur.

D. IACOBVS.

Et ego vellem omnia combusta esse. Hęret enim perpetuo in animis hominum peruersa opinio, qui talia legunt, & de doctrina nostra peruersè iudicant.

In Christo vna tantùm Diuinitas, & omnipotentia.

Nos enim in natura humana nullam creatam vel diuinitatem, vel omnipotentiam docemus, aut docuimus vnquam, quę humanę naturę habitualiter insit, seu subiectiuè: de quo etiam pręfatio Libri Concordiæ Ecclesiarum nostrarum prolixè testatur: sed agnoscimus in Christi persona VNAM TANTVM DIVINITATEM ET OMNIPOTENTIAM, essentialem illam æternam, quam Christus cum Patre & Spiritu sancto essentialiter, cum assumpta autem humana natura personaliter, verè & realiter communem habet.

Vnius Diuinitatis & omnipotentiæ in Christo diuersa ratio.

Hęc etsi numero sit vna, tamen ratio eius diuersa est, quando per se & in se, suapte natura, & quando in vnione personali consideratur. Ideoq́ue participans & participata ab Augustino dicitur. Sicut Aristoteles duas definitiones vnius & eiusdem

eiusdem animæ tradit, qua per se, & qua, ratione corporis consideratur, cum quo vnitur, & ei communicatur.

D. BEZA.

Nos sicut vnam omnipotentiam Deitatis æternæ propriam in Christo agnoscimus: sic quoque eam cum carne vnitam esse dicimus, vt præterea nullum communicationis modum agnoscamus. Eamq́; distinctè in persona Christi agere dicimus, quod eius proprium est: qua ratione naturæ non separantur. Quod etiam in Damasceno reperies, cùm similitudinem de ferro ignito in cauterio explicat. Nam ignis in ferro vrit, ferrum non vrit. Item, ferrum secat in cauterio, ignis non secat. Ferrum agit quod suum est, & ignis quoque quod suum est: sectio est ferri, vstio est ignis. Sic Deitas & humanitas in Christo vniuntur, nec fit aliqua diuinitatis effusio in humanitatem. Ideoq́; etiam manent distinctæ operationes: & non agit Deus, quæ sunt hominis, neque homo, quæ sunt Dei.

Peruersa explicatio similitudinis ferri candentis.

Præterea, anima habet quasdam actiones, quas non cum corpore, aut per corpus operatur.

D. IACOBVS.

Vera eius explicatio ex Damasceno.

Quemadmodum nemo negat distinctionem naturarum: ita etiam virtutis agendi in operatione cuiusque naturæ nemo negat: sed vnam naturam, quod ipsius proprium est, sine alterius virtutis communicatione agere, neque Damascenus, neque quisquam alius ex syncereis Patribus concedit. Non secundum PROPRIAM operationem, inquit Damascenus, sed propter vnitum sibi Verbum, diuina operabatur CARO Domini, Verbo per eam propriam suam operationem manifestante. Nam & ferrũ ignitum vrit, nõ naturali ratione possidẽs vstiuam operationem, sed obtinens EAM ex

Damas. lib. 3. cap. 17. de orthodoxa fide.

» vnione ad ignem. Ipsa igitur caro Domini mortalis erat pro-
» pter se ipsam, ET VIVIFICA propter hypostaticam ad
» Verbum vnionem. Non dicit Damascenus: Verbum operabatur diuina, sed caro Domini operabatur diuina. Eadem reliquorum Patrum est sententia, quorum plurima testimonia producere possem.

D. BEZA.

Contra communicationem propriorum, fundamentum opinionis D. Bezæ vnicum.

Nulla potest esse communicatio omnipotentia, & propriorum eius IN NATVRA HVMANA, nisi humana natura in diuinitatem mutetur. Ideoq́; hæ enunciationes æquipollent: Humanitas facta est omnipotens: &, humanitas facta est Deitas: quia Deitas, & omnipotentia Deitatis sunt vnum & idem: si vnum communicatum est, communicatum est & alterum.

D. IACOBVS.

Refutatio huius fundamenti.

Communicatio proprietatum non præsupponit naturæ humanæ mutationem in Deitatem.

Duabus similitudinibus ex scriptis orthodoxorum Patrum productis, videlicet ferri candentis seu igniti, & vnionis animæ cum corpore demonstraui, quòd vera & realis communicatio propriorum & substantiarum, sine omni confusione earum, aut abolitione alterius, fieri possit. Ferrum enim non aboletur, nec amittit substantiam suam, quando ignis cum qualitatibus proprijs lucendi & vrendi ei communicatur.

Sic quoque non necesse est humanitatem in Deitatem mutari & Deitatem fieri, si omnipotentia ei à persona Filij Dei communicetur.

Confirmatio realis communicationis ex verbo Dei.

Quæstio.

Sed omissis illis similitudinibus: ex verbo Dei, quo solo fides nostra nititur, audiamus: an naturæ humanæ in Christo omnipotentia sit verè & realiter communicata. Et quæro, in verbis Pauli: In ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter: an plenitudo Deitatis donum creatum significet?

D. BEZA.

D. BEZA.

Paulus eo in loco voluit ostendere, quòd non tantùm nomina, sed duæ naturæ in Christo fuerint personaliter vnitæ, videlicet diuina, & humana natura.

D. IACOBVS.

Nihil ad quęstionem responsum est. Nam quęro an plenitudo Deitatis significet creatum donum? Paulus non inquit: In ipso inhabitat Deitas, sed ait: Omnis plenitudo DEITATIS. Quo vocabulo sanè non voluit aliquid creatum dicere: sed complectitur omnia sine mensura, quę in Deo sunt, & de Deo dici possunt. Sicut scriptum est: de plenitudine eius accepimus omnes. Ioh. 1.

Quæ enim Deus nobis distribuit dona, creata sunt omnia & mensurata, secundum mensuram donationis Christi: de cuius plenitudine non mensurata, accepimus omnia, & adhuc accipimus. Ephes. 4. 1. Cor. 12. 14.

Constat ergo, quòd dictum Pauli sit intelligendum, non de creatis donis, sed de ea plenitudine, quæ est essentialis & diuinitatis propria, quam nos vno omnipotentiæ vocabulo complectimur. Hanc affirmat Paulus in Christo habitare corporaliter. Quod omnes orthodoxi Patres interpretantur de Christo SECVNDVM CARNEM. Nam plenitudo Deitatis, non potest in Deitate habitare corporaliter, quia Deitas non est corpus, aut quiddam corporeum, sed est simplicissimus & indiuisibilis Spiritus. Ideo dixerunt Patres, hanc plenitudinem habitare *IN CARNE, IN NATVRA ASSVMPTA, TANQVAM IN SVO PROPRIO CORPORE.*

Plenitudo omnis Deitatis in carne Christi habitat.

Ad probandam ergo communicationem omnipotentiæ in natura assumpta ex dicto Pauli loco, sic argumentor.

Confirmatio communicationis realis omnipotentiæ in carne.

Cuicunque communicata est omnis plenitudo Deitatis: ei quoque communicata est omnipotentia. Sed assumptæ naturæ in Christo communicata est omnis plenitudo Deitatis. Ergo etiam omnipotentia est ei communicata.

D. BEZA.

D. BEZA.

Effugium D. Bezæ.

Si per communicationem vnio intelligatur: concedo non modò omnipotentiam, sed etiam reliqua attributa Deitatis humanæ naturæ communicata esse. Quia enim natura humana est vnita cum diuina, & Deus & homo sunt vna persona, ideo etiam cùm omnipotentia est vnita, quæ à Deitate separari non potest.

Confusio vnionis, & communicationis idiomatum.

D. IACOBVS.

Discrimen vnionis naturarum, & communicationis idiomatum.

Suprà dictum est & demonstratum, quòd plurimum inter se differant vnio naturarum, & proprietatum communicatio. Nam communicatio proprietatum, est vnionis naturarum quasi effectus, & consequens. Quare etsi tempore simul sunt, ratione tamen ordinis naturæ habent se, sicut prius & posterius.

Quapropter sicut naturarum vnio non est nuda & simplex vnio, sed vera & realis communicatio, qua diuina dat, & humana accipit: ita communicatio proprietatum non est talis vnio, qua naturæ nihil sibi inuicem propriorum suorum communicent: sed etiam vera & realis communicatio, qua λόγος se ipsum, & omnia sua assumptæ naturæ communicauit.

D. BEZA.

Vnum sunt, vnio, & communicatio: & sicut diuinæ Naturæ non communicata est passio, vt eam IN SE habeat: ita quoque humanitati in Christo omnipotentia non est communicata, vt EAM IN SE habeat. Quemadmodum igitur Deitas est crucifixa: ita humanitas est omnipotens facta. Sed illud non est. Ergo neque hoc, quod dicis, humanitatem omnipotentem factam esse.

D. IACO-

D. IACOBVS.

Non esse vnum & idem Vnionem naturarum, & Communicationem idiomatum seu proprietatum, satis demonstraui. Sic quoque non esse rationem eandem harum prædicationum: Diuinitas est crucifixa: & humanitas est omnipotens facta: suprà dixi: idqúe propter naturarum diuersitatem. Ideoqúe ostendi, longè aliter humanam naturam omnipotentem factam, quàm diuinitatem passam, aut crucifixam esse.

Nam diuinitas nullam, neque perfectionem, neque imperfectionem IN SE recipit, propter naturæ suæ immutabilitatem. Sed humana natura IN SE recipere potest, & in persona filij Dei verè recepit summam Maiestatem, quæ Deitatis est propria: sicut verbis S. Patrum declaraui:

D. BEZA.

Fatemur nos quoque, summa dona Deitatis, quæ in creaturam cadere possunt, & quorum capax est humana natura, in humanitatem Christi collata esse: sed hæc dona non sunt proprietates Deitatis, quæ incommunicabiles sunt, sed habitualia creata dona, quæ humanitas Christi IN SE habet, quibus omnes creaturas superat.

D. Beza tantùm creata DONA Christo tribuit.

D. IACOBVS.

Nihil ad testimonium Pauli, & ad quęstionem meam respondes: An plenitudo Deitatis sit creatum donum? Si ergo perstas in sententia, quòd nulla alia dona, præter creata dona Christus secundum humanitatem, seu eius humanitas à filio Dei communicata habeat: manifestum est, doctrinam vestram, hac in parte planè eandem esse cum Turcico Alcorano, qui eadem quoque dona Christo tribuit, quæ videlicet creata sunt, quibus omnes creaturas Christus superet.

Doctrina D. Bezæ de communicatione donorum Christo facta, eadem cum Alcorano.

D. BEZA.

Non venimus huc, vt audiremus conuitia: nihil habemus commune cum Turcico Alcorano, & eorum impietate, qui negant Christum esse Deum: Imò summam blasphemiam aiunt esse, si quis Christum Deum appellet, quod nos non facimus.

Murmur Gallorum.

Post hanc vocem Bezæ emissam, ingens murmur Gallorum exortum est, quòd audirent, ipsorum confessionem de Christo, cum Turcico Alcorano conferri, sed oratione D. Iacobi iterum placati & quieti facti sunt.

D. IACOBVS.

Reuerende D. Beza, qui veritatem dicit, non conuitiatur: Recitabo enim verba Alcorani, quae sic sonant:

Alcorani Turcici confessio de Christo.

" Omnium Prophetarum alio super alium per me sublimato, & eorum quibusdam cum Deo locutis, Christo Mariæ filio animam nostram propriè conferentes, vim & virtutem præ cæteris præbuimus. An verò non magnifica est hæc de Christo confessio? Quòd Deus dicitur illi ANIMAM SVAM PROPRIE contulisse, & vim præ cæteris præbuisse: Quid enim est anima Dei, nisi Deus ipse? Vnde Bibliander ad marginem annotauit: cur igitur negas Filium Dei?

Anima Dei Christo communicata.

Hæc à Sergio Monacho Alcorano inserta sunt, qui apertè Nestorianus fuit. Ideoq́ue facilis lapsus in illum errorem fuit, quo Christus Iesus Mariæ filius, Deus esse negatur: à quo omnes sibi cauere debent.

Quapropter oro, ne iniquè accipias, quæ à me studio veritatis dicuntur, vt omnes videant & intelligant, quid lateat sub hac doctrina, in qua humanitati Christi propriorum diuinitatis realis communicatio negatur, & tantùm creata dona attribuuntur, quo nomine etiam diuinitas eius negatur. Quid enim aliud est Diuinitas, quàm omnia sua propria? quæ

omnia

omnia in ipsa non sunt accidentia, sed essentialia, siue ipsa Deitatis essentia? quomodo autem ille homo potest esse Deus, qui tantùm creata dona à Deo habet? & nihil realiter cum Deo, & eius proprijs commune habet? Quod, oro, piæ mentes diligenter apud seipsas expendant, & optimè interpretentur omnes, quæ à me in nullius hominis contumeliam ex Alcorano allata sunt.

D. BEZA.

Non potest quisquam tribuere Christo homini, quod nos ei non tribuamus. Dicimus enim assumptum hominem esse Deum verum, omnipotentem, omniscium: creatorem & gubernatorem cœli & terræ: sed non dicimus humanitatem esse omnipotentem. Tu autem semper confundis abstractum & concretum: quæ plurimùm inter se differunt. Congeris varia in nos conuitia, comparas doctrinam nostram cum Machometismo & Turcico Alcorano. Rogamus igitur, vt, omissis eiusmodi conuitijs, de re ipsa conferamus.

Homini Christo quod tribuit D. Beza, verbis, re ipsa negat; quod collatio luce meridiana clarius docebit.

D. IACOBVS.

Me non confundere abstracta vocabula cum concretis, suprà satis dictum est. Neq; .n. concessi, vocabulum (HOMO) absolutè positum concretum esse, quod nihil ab humanitate differt, cùm sit species seu forma abstracta ab indiuiduis, omnibus illis conueniens. Quid autem sub his falsò dictis concretis occultetur, vestræ Theses satis declarant: de quibus paulò pòst dicemus. Expressè enim ponitis, cùm dicitur: Homo est omnipotens: sic intelligendum esse, id est, Deitas humanitati vnita est omnipotens. Quemadmodum & illa: Deus est passus, id est, humanitas seu caro Deitati vnita est passa. Ex quo manifestum est, quòd homini assumpto nihil tribuatis de omnipotentia Dei, sed hęc omnia solùm (SOLVM inquam) de Deitate intelligenda esse contendatis: quod nos perpetuò negamus, & constanter impugnamus. Nam ἀλλοίωσις vel permutatio vocabulorum hic locum habere non potest.

Concreta & abstracta vocabula non confundenda.

Consensus in verbis, non in rebus.

Ἀλλοίωσις Bezæ damnata.

Præterea notum eſt omnibus auditoribus: nobis in hac collatione ſępe Eutychianiſmum à vobis eſſe obiectum, quaſi eiuſdem hæreſeos ſit doctrina noſtra de perſona Chriſti: ad quod tamen placidè ſemper reſpondimus: quemadmodum etiam Neſtorianiſmi aliquoties à nobis mentio facta eſt.

D. BEZA.

Ferre poſſumus, quòd nobis Neſtorianiſmus obijcitur: ſed Machometiſmum, & Turcicum Alcoranum audire non poſſumus.

D. IACOBVS.

Sufficiat, nos hęc dixiſſe. Poſthac, cùm videam vos offendi, à mentione Alcorani, temperabo mihi, & de re ipſa placidè conferemus, ſicut hactenus factum eſt.

D. BEZA.

Conuitijs Eccleſia Dei non ædificatur. Quæ cùm in vtriuſque partis ſcriptis reperiantur, vellem pia concordia conſtituta, ſimul omnia combuſta eſſe. Fateor enim à me multa eſſe ſcripta, quæ vellem non eſſe ſcripta. Idem te quoque ſentire exiſtimo. Studeamus paci, & ab illis acerbis ſcriptis, vtrinque porrò abſtineamus, donec Dominus piam pacem & concordiam nobis conceſſerit.

D. IACOBVS.

Neque ego conuitijs delector, ſed pacem amo, & concordiæ ſum ſtudioſus, quod T. R. minimè ignotum eſſe exiſtimo. Sed negare non potes, quàm horrendæ hæreſes, Manichæorum, Arrianorum, Eutychianorum, Monotheletarum, nobis in ſcriptis veſtris hactenus imputatæ ſint, quas ab inferis reſuſcitemus, idqúe in ſcriptis veſtris per multa regna ſparſum eſſe: ad quæ ſanè nobis tacere per conſcientiam noſtram non licuit.

Quod

Quod ad me attinet, dico me eorum, quæ de hac materia scripsi, neque pœnitere neque pudere: Scio enim vera, & verbo DOMINI, & analogiæ fidei Christianę consentanea esse.

D. BEZA.

Vtrinque scriptis peccatum est. Et Deus nouit, an mea sponte, an verò prouocatus ad hoc certamen peruenerim. Non autem nunc de scriptis illis agitur: sed cōcordiam quæramus, & paci studeamus. Hæc causa est, quòd etiam Holdero nihil quidquam respondere, neque conuitia regerere hactenus voluerim: sed silentio sepeliam, & finem his imponam. Ipsum verò negocium Christo committo.

D. IACOBVS.

Ego scripta mea omnia Ecclesiæ, & omnium piorum iudicio de hac materia, sicut de alijs quoque articulis, subijcio. Scio autem, me non authoritate humana, sed Scripturæ sacræ apertissimis, & minimè dubijs testimonijs, Ecclesiarum nostrarum doctrinam confirmasse, & contrariam ijsdem fundamentis refutasse.

Quapropter firmus & immotus per gratiam Dei huic meo argumento insisto, quo probaui, quòd omnipotentia in persona filij Dei assumptæ naturæ verè & realiter communicata sit: quoniam in ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Quæ inhabitatio realissima communicatio est. Ad quod argumentum & Scripturæ testimonium, mihi adhuc nihil responsum est.

D. BEZA.

Omnipotentia humanitati Christi non conuenit, quia est idioma seu proprietas Deitatis. Sed in concreto rectè dicitur: Homo est omnipotens, quia homo est Deus. Quem- Vnicum fundamentum opinionis D. Bezæ.

admodum etiam rectè dicitur & verè: Deus est passus, & mortuus.

D. IACOBVS.

Refutatio eiusdem.

Paulò antè ex Damasceno ostendi, has enunciationes plurimùm inter se differre: Deus est passus: &, Homo est omnipotens: propter naturę diuinæ immutabilitatem, quæ neque exaltari, neque humiliari, infirmari, aut perfici potest. Humana autem horum omnium capax est, & particeps in Christo facta, IN QVA omnis plenitudo Deitatis habitat corporaliter. Vnde etiam caro Christi non modò viuifica dicitur, sed etiam re vera facta est, quoniam TOTAM VIM viuificandi HAVSIT, sicut Cyrillus loquitur.

D. BEZA.

Caro Christi quomodo secundum D. Bezam viuifica.

Caro Christi viuifica dicitur ratione meriti, quòd per eam vitæ restituti sumus, & quòd per eam etiam vita, quæ est ipse λόγος, in nos deriuetur: qua ratione Christus in humana natura etiam nobiscum coniungitur. Non autem communicata est carni Christi vis viuificandi, vt eam IN SE habeat, & viuificet, sicut Deus.

D. IACOBVS.

Cyril. lib 4. cap. 24.

Libro 12. Thesauri cap. 15.

Natura humana Christi habet in se virtutem viuificantem

1. Cor. 15.

Cyrillus inquit: Christus totum corpus suum viuifica Spiritus virtute plenum esse ostendit: non quòd naturam carnis amiserit, & in spiritum mutata sit, sed quia summè cum eo coniuncta TOTAM VIVIFICANDI VIM hausit. Item: Natura nostra, à filio Dei assumpta, MENSVRAM suam EXCESSIT, & in conditionem assumentis eam, per gratiam translata est. Non habet quidem vitam in se assumpta caro, sicut λόγος ratione Diuinitatis suæ habet: sed habet in se personaliter habitantem, qua ratione nulla alia caro, vitam in se habitantem habet. Sicut scriptum est: Primus homo factus est in animam viuentem, sed secundus homo in spiritum viuificantem.

D. BEZA.

D. BEZA.

Priùs probandum est, humanitatem factam esse Deitatem: quàm probetur, humanam naturam omnipotentem esse factam. Illud si probatum fuerit: de omnium proprietatum communicatione probatum erit, quia omnium proprietatum in Deo eadem est ratio. In primis verò causam quæro, cur assumptæ naturæ æternitas & infinitas quoque non sint communicatæ à λόγῳ?

D. Beza idem & vnum suum fundamentum semper repetit.

D. IACOBVS.

Ego apertis verbis Pauli probaui, & syllogismo demonstraui, quod naturæ humanæ communicata sit omnipotentia, neque tamen necesse sit, humanam naturam in Deitatem conuerti. Quia enim omnis plenitudo Deitatis corporaliter in natura humana habitat, à qua plenitudine omnipotentia non est exclusa, sed inclusa: ideo etiam realiter est communicata: Sicut anima cum omnibus suis potentijs corpori animato, sine corporis in animam mutatione facta.

Quòd autem causam quæris, cur æternitas & infinitas humanitati non sint communicata, vt pari ratione dicere possimus, humanitas Christi est ab æterno, est infinita, qua dicitur esse omnipotens, omniscia? Respondeo, Attributorum diuinorum & eorundem communicationis, non eandem rationem & modũ esse. Nam in diuina essentia actus quidam substantiales sunt energetici, quales sunt sapientia, potentia, vita, iustitia, misericordia, &c. Alia verò sunt, quæ (vt Athanasius loquitur) circa Deitatis essentiam versantur & considerantur, nec sunt energetica: qualia sunt esse ab æterno, per essentiam infinitum, incorporeum, immateriatum, & similia: quæ humanitati cõmunicata dicuntur, quia ipsa Deitas communicata est, à qua separari nõ possunt. Ab his autem humanitas non denominatur, quoniam non sunt actus perficientes naturam humanam, sicut in primo ordine commemorata

propria

propria eam perficiunt, & ab eis denominatur. Quamobrem etsi humana natura habet communicatam æternam & infinitam essentiam, in IPSA corporaliter habitantem, sicut omnipotentiam: non tamen infinita & æterna dicitur, sicut omnipotens verè dicitur.

D. BEZA.

Concedo totum argumentum, si intelligatur in concreto, videlicet, quòd homo sit omnipotens. Sed inde non sequitur, quòd humanitas facta sit omnipotens.

D. IACOBVS.

Vocabulum (Homo) non est concretum.

Nunc aliquoties diximus vocabulum (HOMO) non esse concretum, quia est species seu forma, quæ non concreta, sed abstracta dicitur.

Præstigiæ verborum D. Bezæ, de omnipotentia hominis Christi.

Pręterea, in hac enunciatione vobis quoque non est concretum vocabulum, quod TOTAM personam significet, sed duntaxat alteram naturam in abstracto consideratam, sicut in responsione vestra apertè declarastis, cùm dicitis: Homo est omnipotens, id est, Deitas humanitati vnita est omnipotens. Plerique enim sic intelligerent, quòd Homo, qui corpore & anima rationali constat, & verbo vnitus est, sit omnipotens, sicut verba sonant. At vos minimè sic vel intelligitis vel interpretamini. Sed hic necessariò ad tropum confugiendum esse docetis, quoniam enunciationem hanc veram esse non posse, confidenter affirmatis, si propria significatio vocabuli (HOMO) retineatur. Sed quęso, in qua Grammatica, aut in qua lingua, hoc reperitur? Hebræa, Gręca, Latina, Italica, Gallica, Germanica, in qua homo idem significet, quod Deitas humanitati vnita?

Diligenter ergo meminerint auditores eorum, quæ suprà de vocabulis abstractis & concretis dicta sunt: & quàm malè & inconuenienter, contra omnem Grammaticam, Spiri-

tus sancti in omnibus linguis, ad hoc mysterium accommodentur, & horrendus error tegatur, quo homines credere persuadentur, hominem verum assumptum neque Deum vel omnipotentem esse.

Omissis ergo vocabulis (abstracti & concreti) quibus neque Dominus, neque Prophetę, neque Apostoli vsi sunt, quæ etiam nusquam in Scriptura sacra reperiuntur, neque etiam fortassis ab omnibus auditoribus tanquam scholastica vocabula intelliguntur: in explicatione huius mysterij ijs verbis vtemur, quibus Spiritus sanctus in Scriptura sacra vsus est. Sicut Paulus discipulum suum Timotheum diligenter monuit, ne de verbis contendat: quod nihil prodest, nisi ad subuersionem auditorum, qui hæc non intelligunt, & incauti per ea facilè in errorem induci possunt.

λογομαχίαι, in Ecclesia fugiendæ.

D. BEZA.

Omninò his terminis opus est in hac disputatione, aliâs controuersia hac explicari difficulter potest.

D. IACOBVS.

Mirum sanè omnibus videri debet, Spiritum sanctum, qui in veteri & nouo Testamento de Christo Deo & homine tam copiosè & perspicuè concionatus est, adeò inopem verborum esse, vt sine vocabulis (abstracti & concreti) ex scriptis Prophetarum docere & explicare non possit, quis sit Christus, & quid homini Christo, seu secundum humanitatem, communicatum sit.

Et per me sanè licebit, in hac controuersia his vocabulis in hac collatione vti, modò auditores intelligerent, & rectè negocio accommodentur, quod à vobis non fit. Et illustris est similitudo de ferro ignito, quæ ab omnibus etiam mediocriter eruditis hominibus intelligi potest.

D. BEZA.

Similitudo in ferro ignito, non bene quadrat ad hoc Mysterium

An similitudo ferri igniti sit accommodata in hac disputatione.

sterium explicandum. Quia ignis in ferro, est tanquam in subiecto. Longè verò aliter se habet vnio naturarum in persona Christi. Item, ferrum non vrit, sed ignis in ferro. Sic Christus excitauit Lazarum: vbi quidem egit aliquid humanitas, vocem suppeditans, cùm inquit Christus: Lazare veni foras: Diuinitas autem est, quæ sua potentia ipsum vitæ restituit.

D. IACOBVS.

Ignis non est in ferro tanquam in subiecto.

Planè absurdum est, quod dicitur: Ignem in ferro esse tanquam in subiecto: quod cum ipsa Philosophia & ratione pugnat. Nam accidentia tantùm in subiectis esse dicuntur, sicut albedo in pariete, iustitia in homine iusto. Hic verò duæ substantiæ vniuntur, & vna cum suis proprietatibus est in altera, & sic ei realiter communicata. Nam ignis non est accidens, sed est substantia non minùs, quàm ipsum ferrum. Ideo non potest in ferro esse tanquam in subiecto, sicut calor in aqua: vbi calor, tanquam accidens, est in aqua, tanquam in subiecto.

Hæc causa est, quòd maiores nostri, & Patres primę ac purioris Ecclesiæ, hanc similitudinem accommodatissimam esse arbitrati sunt ad explicationem vnionis personalis duarum naturarum in Christo, vbi similiter duæ naturæ cum suis proprietatibus concurrunt & communicantur inuicem: quamuis sublimitatem Mysterij vnionis personalis assequi & perfectè exprimere non possit.

Neque verò eodem modo vox Petri mortuos excitauit, sicut vox Christi, cùm dixit: Lazare, veni foras. Nam vox Petri aliena virtute, videlicet Christi Dei & hominis, excitauit mortuos, cùm inquit: Dico tibi in nomine Iesu, surge: quæ virtus cum Petro non fuit vnita, sicut cum Christo dicente: Lazare, veni foras. Cum qua voce virtus diuinitatis vnita effecit, vt statim resurgeret Lazarus: quod sine Christo vox Petri efficere non potuisset, si millies dixisset, surge, surge, surge.

Sed

Sed vox Christi effecit, qui illi cooperabatur, sicut scriptum est: Illi profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis. Dominus signa edidit, & illorum sermonem confirmauit, non Petrus, Paulus, &c.

Ideo suprà quoque dixi, malè à te omissa esse verba Leonis, (cum communicatione alterius formæ:) quæ prioribus adiecit, quòd videlicet vnaquęque natura agat quidem, quod suum proprium est, non autem absque, sed cum communicatione alterius naturę.

Sic vox Christi non sine diuina eius potentia, neque potentia Dei sine hac voce Christi, (Lazare, veni foras) Lazarum excitauit. Quapropter vox Christi rectè & verè omnipotens vox dici potest, & re vera est, quæ præstare potest diuinæ naturæ virtute, quæ aliàs humanæ voci adeoq́ue omnibus hominibus impoßibilia essent.

Quomodo Lazarus à Christo resuscitatus sit à mortuis.

D. BEZA.

Quòd non sit talis communicatio actionum & operationum diuinæ & humanæ naturæ, qualem T. R. asserit, similitudine ferri candentis demonstrabo. Quia ferrum secat, & non ignis. Item, ignis vrit, & non secat sicut ferrum, quamuis vnum sit corpus vtriusq;, & vnum ἀποτέλεσμα. Eadem ratio est in similitudine animæ & corporis, quòd aliud agit anima, & aliud corpus, & ita distinctæ sunt actiones animæ & corporis. Sic quoq; distinctæ sunt actiones humanitatis et diuinitatis in persona Christi, vt aliud agat humana, aliud diuina natura. Humana natura sustinet dolores: diuina autem natura sustentat humanam naturam, ne succumbat.

Damascenus negat, ferri & ignis esse vnum ἀποτέλεσμα, lib. 3. cap. 15.

D. IACOBVS.

Nequaquam hoc modo distinctæ sunt actiones in ferro ignito, item corporis & animæ in homine, & naturarum

in persona Christi, sicut hic à te asseritur. Nam ferrum sine igne, non eo modo secat: neque ignis sine ferro eodem modo vrit. Sed in sectione, sicut & in adustione simul concurrunt ferrum & ignis, & simul non seorsim aut distinctè hoc opus perficiunt. Sic anima sine corpore, & corpus sine anima, nihil eorum facit, aut exequitur, quod cuiusque proprium est, vt distincta sit actio corporis ab actione animæ: sed simul coniunctim, non seorsim aut separatim omnia faciunt. Ad hunc modum diuinitas est, & manet quidem perpetuò distincta ab humanitate, & cum ea non miscetur, sicut neque ferrum cum igne, aut anima cum corpore miscetur. Passiones autem & actiones vtrinque sunt communes, & toti personæ tribuuntur, etiamsi pro diuersitate naturarum & propriorum, quæ distincta manent, in operatione & actione concurrunt.

Communicatio actionum naturarum, non confundit naturas.

Hæc ab omnibus facilè intelligi possunt: in quibus nullę sunt insidię, nihil hic tropicum aut figuratum, sed res explicatę & perspicuę sunt, quę videri & palpari possunt.

Sic ferrum fortiùs vrit, & maiorem dolorem affert, quàm ignis tantùm sine ferro. Et ferrum ignitum citiùs & alio modo penetrat & secat, quàm si ferrum frigidum (pro natura sua) tantùm rei secandæ adhibeatur. Ita passione Christi, Dei & hominis, peccata TOTIVS MVNDI non potuissent expiari, nisi in ipsa passione quoque diuinitas, non sustentando tantùm, sed PATIENDO (patiendo inquam eo modo, quo suprà explicatum est) cum humanitate coniuncta fuisset, vt verè dicatur, passiones minimas non ad solam humanitatem, sed etiam ad ipsam Deitatem referendas esse. Quas tamen in se ipsa non sustinuit, sicut humana natura: sed nihilominus tamen, vt maximè impietas & factum Iudæorum non placerent, VERE TVLIT & perpessa est, & non violenter repulit, quas iniurias, si voluisset, repellere potuisset.

Quomodo Diuinitas passa dicatur.

Quando autem actiones & passiones distinctè ita naturis

ris tribuuntur, vt distinctè aliquid vel operari, vel pati vna dicatur, quod altera non operetur aut non patiatur: hic statim vnio personalis soluitur, naturæ separantur, & duæ personæ constituuntur. Ex quo etiam sequeretur: quia passione Christi redempti sumus à peccatis nostris, cùm passio ad solam naturam humanam pertineat, cum qua diuinitas nihil reale communicatum habeat, quòd NON filius Dei, sed sola humana natura nos redemisset: aut quòd nondum redempti essemus, cùm redemptio à peccatis non sit solius carnis, sed filij Dei, non autem solius filij sine carne, sed incarnati Filij Dei opus.

Separatio actionum, separat naturas.

Sola Christi caro nos non redimit.

D. BEZA.

Resuscitatio mortuorum est solius diuinitatis opus, quod humanitati Christi attribui non potest. Sic sola diuinitas Christi, suum corpus à mortuis resuscitauit. Hæc autem est summa dignitas humanitatis in Christo, quòd in persona filij Dei subsistit. Nec vllum testimonium Scripturæ produci potest, quo probetur, quòd humanitati in Christo, præter creata dona, Deitatis propria data aut communicata sint.

Resuscitatio mortuorum solius diuinitatis opus, secundum Bezæ opinionem.

D. IACOBVS.

Planè nouum & inauditum est in Ecclesia Dei, resuscitationem mortuorum ita Deitatis propriam esse, vt humanitati assumptæ à Filio Dei non communicetur. Etsi enim verum est, quòd humanitas per se, sicut spiritualiter viuificare non potest, ita etiam corpus mortuum resuscitare non possit: tamen communicatione diuinæ potentiæ id non posse, non modò absurdum, sed etiam planè impium est asserere, adeoque ipsum Christum negare.

Diuinitas Christi sine communicatione humanitatis mortuos non resuscitat.

Quod ad ipsius Christi corpus mortuum attinet, negari non potest, mortuo corpore animam eius neque mortuam neque à filio Dei separatam fuisse, cùm à patre suscepta esset,

An corpus Christi sola Deitate resuscitatum sit.

quam Christus moriens in manus ipsius commendauit. Huius ergo virtutis, cùm etiam mortuo corpore particeps permansisset: quis intelligens eam à resuscitatione corporis excludere auderet? Cùm ipse Christus dicat: Ego habeo potestatem ponendi animam, id est, vitam meam, & eam iterum sumendi. Sicut ergo Christus corpus suum deposuit, quando ipse non modò secundum diuinitatem, sed etiam ANIMA ipsius voluit, & non quando ipsius hostibus placuit: ita eadem Christi anima, Dei Filio vnita, idem corpus resumpsit, quando voluit, videlicet tertia die, sicut dixerat. Quæ potestas nullius hominis animæ data est, vt quando velit, cum suo corpore vniatur denuò, & sic homo resurgat. Sed omnibus hora illa expectanda est, in qua vocem Christi Iesu Dei & hominis audituri sunt omnes, qui sunt in sepulchris, & resurgent à mortuis, vel ad vitam, vel ad iudicium.

Ioh. 1.
1. Thes. 4.

Et hanc summam dignitatem Christus Homo, hoc est, secundum humanitatem, inde habet, quòd eius humanitas in Filio Dei subsistit, hoc est, vna cum illo persona facta, infinitæ huius potentiæ particeps est: quod nulli nequidem angelicæ creaturæ contigit.

Testimonia Scripturæ, omnipotentiam humanæ naturæ cõmunicatam esse.

Nullum autem testimonium Scripturæ produci posse, quòd omnipotentia, & alia Dei attributa humanę naturæ in Christo cõmunicata sint, præter id quod paulò antè ex Paulo allatum, & nullo modo refutatum est: id nequaquam verè dicitur. Idem enim alio non minùs conspicuo testimonio confirmabo, cùm inquit: Mihi data est, omnis potestas in cœlo & in terra. Quis est ille, qui dicit MIHI? Homo Iesus Mariæ filius: huic data est omnis potestas in cœlo & in terra. Idem confirmat Paulus, cùm inquit: Qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit pedibus eius.

Matth. 28.
Ephes. 1.

Item,

Item, Petrus inquit: Sciat ergo omnis domus Israel, quia Dominum, & Christum fecit Deus HVNC IESVM, quem vos crucifixistis. Item, Donauit ei nomen supra omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & inferorum, &c. Actor. 2. Philip. 2.

Item: Sistemur omnes ad TRIBVNAL Christi: scriptum est enim: Viuo ego, dicit DOMINVS, mihi flectetur omne genu. Quæ testimonia simul omnia confirmant, Christo homini, ad dexteram omnipotentis virtutis & Maiestatis Dei collocato & exaltato, omnipotentiam communicatam, qua totum Mundum, visibiles & inuisibiles creaturas sibi subiectas regere & gubernare illi datum est. Rom. 14. Esai. 45.

D. BEZA.

Omnis potestas, de qua Christus loquitur, Matth. 28. [Mihi data est omnis potestas, in cœlo & in terra] non est intelligenda de omnipotentia Dei, sed tantùm de Dominio Christi, quod ei secundum humanitatem post exaltationem ad dexteram Dei, datum est. Nam omnis hæc potestas, diuersa prorsus est, ab ea, quæ est in Deo essentialis, & absolutè consideratur. Quæ nihil aliud est, quàm secundum Deum potestas in omnibus rebus creatis administrandis: quæ inter dona in carnem Christi collata, ad gratiam habitualem referenda est. Beza in responsione ad 2. Thesin.

D. IACOBVS.

Cùm contra testimonia Scripturæ à me allata, nihil afferas quàm glossam, qua dicis illam potestatem prorsus diuersam esse ab ea, quæ in Deo essentialis est, & absolutè consideratur: rogo, vt vnum duntaxat Scripturæ sacræ, veteris aut noui Testamenti, testimonium producas, quo hanc tuam & tuorum glossam probare velis & possis.

D. BEZA.

D. BEZA.

Beza glossam suam testimonijs Scripturæ probare non potest.

Non opus est, quia res manifesta est. Si potentia Dei essentialis humanitati realiter communicata esset: sequeretur, quòd in Deitatem mutata, & Deitas facta esset: quòd fieri non potest.

D. IACOBVS.

Ego postulo Scripturæ sacræ apertum testimonium vel saltem VNVM, quo hanc tuam glossam probes. Tu verò ratiocinationem profers, quæ non minùs probatione opus habet. Ideoqúe peramanter oro, vt probes VNO, VNO duntaxat Scripturæ testimonio, verum esse, quod dicis: Si humanę naturæ potentia Dei essentialis communicata esset: humanitas Deitas facta esset. Non enim sufficit hoc dicere, sed oportet probare.

D. BEZA.

Res adeò manifesta est, vt nulla probatione indigeat. Quia potentia Dei est infinita. Humana autem natura est finita. Ideoq́ non potest infinitæ potentiæ capax aut particeps esse.

D. IACOBVS.

Adhuc nullum Scripturæ testimonium audio, sed tantum principium philosophicum, quòd finitum non sit capax infiniti: quod suum locum in Philosophia & rebus naturalibus habet. Sed in hoc mysterio locum habere non potest. Nam suprà verbis Pauli probaui, quòd omnis plenitudo Deitatis (*QVAE INFINITA EST*) in carne Christi (*QVAE FINITA EST* & manet) corporaliter habitet: quod fieri non posset, neque etiam factum esset, si hoc philosophicum principium hic locum haberet.

Coloss. 2.

Quapropter adhuc peto, vt VNVM, VNVM inquã, VNVM duntaxat Scripturæ S. testimonium proferas, quo probes,

probes & demonstres: si omnipotentia humanitati communicata esset, quòd in Deitatem conuersa, & DEITAS ipsa facta esset. Id si T.R. præstare non potest, consistit nostra sententia firma & immobilis, quòd humanæ naturæ in Christo, secundum allegata Scripturæ testimonia, omnipotentia Dei essentialis realiter sit communicata, de qua Christus Matt. 28. loquitur, cùm inquit: MIHI (homini IESV Nazaræno, Mariæ filio) data est omnis potestas in cœlo & in terra.

Eam cùm vos negetis: manifestum est omnibus, vos cum Nestorio in Christo duas personas constituere, etiamsi cum ipso Nestorio vnam singularem personam ore fateamini.

D. BEZA.

Nestorius non seriò vnam singularem personam in Christo confessus est, sed simulauit tantùm. Nos autem seriò vnã tantùm personam in Christo fatemur: & duas naturas essentiâ, proprietatibus, et operationibus distinctas credimus. Neque naturas separamas, sed eas vnitas dicimus, etiamsi actiones distinguamus. Eutyches enim cùm hanc separationem naturarum effugere vellet: in contrarium errorem, videlicet in confusionem naturarum & proprietatum, incidit, & diuinitatem crucifixam esse dixit: quod ne nobis quoque accidat, cauendum est. D. Beza Nestorianismum à se remouere studet.

D. IACOBVS.

Nestorium seriò vnam singularem personam in Christo asseruisse, manifestè ipsius Nestorij proprijs verbis suprà demonstratum est. Ex negatione autem communicationis proprietatum realis, separationem naturarum sequi, & duas personas constitui, ducenti Patres Concilij Ephesini, duce Cyrillo, ipsi Nestorio ad oculum demonstrarunt. Idem vos cum eo facere, satis superq́ue ostensum esse confido: & in re- Nestorius quomodo separationis naturarum conuictus.

 liquis

liquis, quæ sequuntur, non minus apertè ostendam & probabo. Quisquis enim consequens bonæ consequentiæ negat, is quoque eius antecedens negat. Cùm igitur communicatio proprietatum & operationum realis, à parte vestra negetur: eo ipso etiam vnio vera personalis, quæ huius communicationis causa est, à vobis negatur, etiamsi eam cum Nestorio, VNAM ET SINGVLAREM ore & verbis fateamini.

Quomodo autem Dei Verbum impassibiliter passum dixerit Cyrillus: & Vigilius Diuinitatem clauis confixam, sed non transfixam esse scripserit: suprà dictum est.

D. BEZA.

Nos vnionem personalem naturarum in persona CHRISTI, nequaquam negamus, sed constanter asserimus. Negamus autem, ex ea communicationem idiomatum seu proprietatum diuinitatis in humana natura, sequi: quæ locum habere non potest, nisi humanitas in Deitatem mutetur: quod Eutychianum, & ab Ecclesia damnatum est.

D. IACOBVS.

Tom 1. Conc.

Suprà dictum est, quòd de Eutychete Historia Ecclesiastica testetur, eum vnam duntaxat naturam in Christo post humanam assumptionem, & humanitatem in Deitatem absorptam, credidisse & docuisse. Ideoq́ue eius hæresis nihil ad nos.

Nestorius optimo Iure hæreseos damnatus est.

Nihil autem obstitit, quòd Nestorius vnam personam singularem in Christo confiteretur, quò minus à Synodo Ephesina optimo Iure hæreseos damnatus sit, quòd videlicet duas personas propter negatam communicationem idiomatum constituerit. Nam si maximè in corde suo cum Ecclesia sensisset, sensum verò animi exprimere non potuisset: tamen

tamen propter pertinaciam iure damnatus est, quòd toties admonitus, cum Ecclesia loqui noluerit, cum qua sentire videri voluit.

Manet ergo adhuc immota probatio Syllogismi mei de omnipotentia, quem suprà posui: Cui communicata est plenitudo omnis diuinitatis: eidem quoque communicata est omnipotentia. Humanitati Christi communicata est omnis plenitudo Deitatis. Ergo eidem etiam omnipotentia est communicata. In qua communicatione, summa consolatio pijs mentibus reposita est.

Etsi enim absoluta Dei potentia infinita, nobis in cruce & calamitatibus, adeoque in summis tentationibus sufficeret: ea tamen nobis absque mediatore formidabilis est. Quando autem afflicta, summè perturbata, & hostibus propemodum oppressa conscientia cogitat, in manu hominis potestatem cœli & terræ positam esse, qui sit frater, redemptor, saluator, & opitulator noster in omnibus tribulationibus: tum maiorem fiduciam capit, & se liberatum iri nihil dubitat.

Consolatio piorum quanta in communicatione Christi omnipotentiæ reposita sit.

Sed de his satis. Illustrissimus enim Princeps, quia hora cœnæ iampridem audita est, vt nunc finem faciamus, & cras hora septima ad persequendam collationem denuò conueniamus, monet.

XXVI. MARTII, Anno 1586. hora 7. ante Meridiem.

D. IACOBVS.

1. Natura humana in Christo verè est omnipotens.



EVERENDE D. Beza: Heri inter nos placide & familiariter collatum est, de primo Dei attributo, videlicet, de omnipotentia: quam nos apertis sacrę Scripturę testimonijs probauimus, assumptę humanę naturę in Christo verè & realiter communicatam esse, vt etiam verè sit, & dicatur esse omnipotens.

2. Potentia homini Christo communicata, non est creatum donum.

Demonstraui quoque potentiam homini Christo in tempore datam, non esse creatum donum in homine Christo: sed ipsam essentialem omnipotentiam Dei, siquidem vna tantum in Christo est omnipotentia, non duæ: sicut vna quoque tantum diuinitas. Et plenitudo diuinitatis, sub qua etiam omnipotentia comprehenditur, nihil nisi essentiam diuinitatis, & quicquid est & esse dicitur Deus, significat, quæ corporaliter in assumpta natura habitat. Vnde Christus quoque dixit: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra: quæ potestas est æterna & infinita Dei potestas, de qua Daniel. 7. Cùm creata potestas ad cœli & terrę gubernationem non sufficiat. (Matth. 28.)

Gubernatio cœli & terræ, totius Christi.

Gubernat ergo nunc cœlum & terram, visibilia & inuisibilia, non sola diuinitas, sed etiam assumpta Christi humanitas: ad quam illi æterna & infinita potentia opus est, quæ ipsi per vnionem data & realiter communicata est. Contra hęc, si tua Reuerentia aliquid ex Scriptura amplius habet: rogo in medium proponat: paratus sum ad omnia & singula pro mea tenuitate respondere. Fides enim nostra non ratione humana, sed solo verbo Dei nititur, quod in sacris literis comprehensum est.

D. BEZA.

D. BEZA.



GNOSCIMVS verba ex Scriptura allata. Sed de illorum verborum sensu & interpretatione quæritur. Omnis autem interpretatio testimoniorum sacræ Scripturæ, ad analogiam fidei reducenda est. Hoc posito, respondeo: non negare nos, 1.
quin homini, vt essentia diuinitatis vnita est, ita etiam 2.
cum eo vnita esse hypostaticè, quæ in Deo sunt. Sed aliud 3.
est, cùm dicitur: Homini data esse: & aliud, Humanitati eius data esse. Nam in hypostatica vnione, vt naturæ, ita etiam proprietates manent distinctæ. Et quod proprium 4.
est, non fit commune. Quapropter dicimus, Christo homini datam potentiam creatam, non increatam, quæ si communicaretur, proprium diuinitatis non esset.

Quod ad locum Matth. 28. Data est mihi omnis potes- 5.
stas: referimus hoc ad potestatem creatam, quæ in hominem Christum collata est. Neque obstat, quod obijcitur: Hominem creata potentia cælum & terram gubernare non posse. Potest enim Deus in naturam humanam assumptam, quot & quanta vult, conferre. Quapropter dicimus: Christum secundum humanitatem Dominum omnium esse, excepto 1. Cor. 15.
illo, qui eum Dominum constituit.

D. IACOBVS.

Ad analogiam fidei, omnem interpretationem sacræ 1.
Scripturæ & testimoniorum eius, referendam esse, nihil dubitamus.

Sed quòd cùm analogia fidei pugnet, quod nos de homi 2.
ne Christo, & eius omnipotentia docemus, per vnionem personalem humanitati eius verè & realiter communicata:

Communicatio omnipotentiæ, cum analogia fidei non pugnat.

hoc nondum audiuimus. Quare nostram doctrinam analogia fidei apertè cōfirmat, quę testatur, humanitatem ad dexteram Dei patris collocatam esse.

3. Nam quòd affertur, in ipsa vnione hypostatica non modò naturas, sed etiam proprietates distinctas manere: extra omnem controuersiam positum est. Id verò non prohibet, quò minùs personaliter communicentur, quæ sunt diuinitatis propria.

4. Et non desinit omnipotentia Diuinitatis proprium esse, etiamsi personaliter assumptę naturæ humanę communicetur. Si enim persona secunda Trinitatis Filij Dei, quæ incommunicabilis est & esse definitur, humanę naturæ verè communicata est: quomodo proprium eius quoque communicari non posset, vt nihilominus eius proprium maneat? Idem similitudo ferri candentis ad oculum demonstrat. Nam proprietas lucendi & vrendi manet ignis propria, quę nunquam ab ea separantur naturaliter, vbicunque est ignis: ferro tamen realiter communicantur. Sic omnipotentia Dei essentialis, manet Deitatis propria, etiamsi humanę naturę realiter in persona Filij Dei communicetur, quam Filius Dei in vnitatem personę assumpsit.

Omnipotentia quomodo maneat diuinitatis propria, etiam cōmunicata.

5. Verba Christi de creata potentia intelligenda esse, dicitur quidem, sed non probatur. Et quamuis verum sit, Deum potentiam largiri posse, quantam velit: tamen Scriptura apertè testatur, hanc non creatam, sed æternam & infinitam potentiam esse, cuius participatione humana Christi natura etiam recessus cordium videre & iudicare potest, quod creatæ potestatis non est.

Et non nostris, sed Damasceni verbis heri demonstrauimus, potentiam hanc non creatam, sed infinitę potentiæ Dei participationem esse, qua cum λόγῳ assumpta humanitas omnibus in cœlo, terra, & inferno dominatur. Caro (inquit) operanti Deitati verbi COMMVNICAT ideo, quòd diuinę operationes per organum corporis perficiebantur. Ita sancta eius MENS etiam naturales suas operationes opera-

Damasc. lib. 3. cap. 19.

tur,

tur. COMMVNICAT autem & Deitati verbi operanti, & disponenti, & gubernanti vniuersum, INTELLIGENS ET COGNOSCENS, ET DISPONENS, NON VT NVDA MENS HOMINIS, SED VT DEO secundum hypostasin vnita, ET DEI MENS constitura. Vbi etiam particula vniuersalis obseruetur, omnis: Omnis potestas MIHI Iesu Mariæ filio data est: quam vt Deus ab æterno semper habuit (imò per essentiam hęc ipsa potentia est) ita eam, vt homo, à Deo accepit. Gloriam (inquit Cyrillus) quam semper habuit VT DEVS, VT HOMO PETIIT: nec quia gloriæ proprię vnquam expers fuit, hęc ab eo dicuntur: sed quia in GLORIAM, quę sibi semper adest, VT DEO, PROPRIVM TEMPLVM subducere voluit. Quid quęso de reali communicatione GLORIÆ, quæ diuinitatis propria est, & sub qua omnipotentia etiam intelligitur, magis apertè dici posset?

Quapropter adhuc peto, vt D. Beza vnum duntaxat Scripturę testimonium apertum proferat, quo demonstret, hanc potentiam Christo homini datam, creatam potentiam esse: quod non potest.

D. BEZA.

Analogiam fidei adduco, quæ docet, quòd proprietates diuinitatis sint & maneant etiam in ipsa vnione personali incommunicabiles. Et quando dicimus, Deum esse omnipotentem: intelligimus Hoc Deum IN SE, & per sese esse, & manere solum.

Deinde sunt radij diuinæ omnipotentiæ, & hi radij sunt qualitates creatæ, quæ à substantia diuinitatis in humanitatem Christi emanant: nempe creata dona, eaq́ absolutißima, perfectißima, & summa in humanitatem Christi collata, quæ ab illa absoluta Dei potentia distinguenda sunt.

D. IACO-

D. IACOBVS.

Peto ex analogia fidei mihi demonstrari, quòd communicatio omnipotentiæ in assumpta humana natura, cum hac analogia pugnet.

D. BEZA.

Argumentatio ex analogia fidei contra communicationem omnipotentiæ.

Analogia fidei docet, quòd Christus in vtero D. virginis Mariæ verum corpus, & veram naturam humanam, finitam & circumscriptam assumpserit, quæ suas essentiales proprietates etiam in vnione retinet: hæ illam communicationem realem non admittunt, sed humanam naturam Christi prorsus abolent, & in Deitatem mutant.

D. IACOBVS.

Hæc non est fidei analogia, sed ratiocinatio ex Philosophia humana, contra fidei analogiam petita.

Etsi enim verum est, quòd analogia fidei doceat, Filij Dei assumptam humanam naturam esse verè humanam naturam finitam & circumscriptam, nostræ, excepto peccato, per omnia similem, quod etiam sensus nostri probant & testificantur: tamen simul eadem analogia fidei docet, quòd hæc humana natura sit cum Filio Dei in vtero matris personaliter vnita, & supra omnes creaturas exaltata. Primùm quidem per gratiam vnionis, per quam à puncto conceptionis omnis plenitudo diuinitatis in hac assumpta natura habitauit corporaliter, quæ omnipotentiam complectitur, seu tota hoc vocabulo potiùs exprimitur.

Deinde, eadem analogia testatur, quòd ad dexteram virtutis & Maiestatis Dei Patris omnipotentis hæc ipsa humana natura collocata sit in throno Deitatis proprio, *QVI IPSA OMNIPOTENTIA EST.*

Pugnat ergo hæc Bezæ Philosophica collectio cum ipsa analogia fidei, quamuis ex ipsa analogia fidei, sed per falla-ciam diuisionis, facta. Nam vtrumque testatur hæc ipsa analogia:

gia: Christi humanitatem propria humanitatis in se retinere, & simul omnipotentis Maiestatis Dei participem factam esse: quæ simul stare possunt. Non enim vel contraria, aut contradictoria, sed diuersa & disparata sunt, quæ se inuicem non euertunt.

Quapropter denuò insto, & à T. R. peto, vt vnum Scripturę testimonium proferas, quo glossam tuam, & opinionem probes, quòd Christo homini, seu humanitati eius, non ipsa Dei omnipotentia, sed creata duntaxat potentia data & communicata sit, mediata videlicet potestas inter angelos, beatos homines, & Deum: quę maior sit, quàm potentia angelorum, & beatorum hominum: & minor, quàm potentia Dei propria. Hoc inquam, cupio mihi VNO tantùm illustri Scripturę testimonio probari.

Media potentia Christi ex S. Scriptura probari non potest.

D. BEZA.

Probet T. R. ex Scriptura sacra suam sententiam.

D. IACOBVS.

Ego meam sententiam non vno, sed aliquot apertis Scripturę testimonijs probaui: contra quę T. R. nihil aliud quàm glossam attulit, eaque de potentia creata interpretatus es: quam glossam autem nullo testimonio Scripturę probare potuisti. Quod, vt adhuc fiat, oro.

D. BEZA.

Ego non aliter communicari, quàm vniri, dico. Qua ratione enim Deus homo est: eadem homo, Deus & omnipotens, &c. est.

D. IACOBVS.

Vnionem naturarum, & communicationem proprietatum, non idem esse, sed differre tanquam causam & effectum, suprà demonstratum est. Quemadmodum etiam, quàm diuersa ratio communicationis proprietatum diuinarum &

humanarum, etiamsi vna vtriusque causa sit, quoque diximus. T. autem R. probet potentiam illam, quam sacra Scriptura Christo homini datam prædicat, esse qualitatem, seu creatum donum.

D. BEZA.

An potentia Christi sit creatum donum.

Dona Dei, sunt essentiæ Dei qualitates, 1. Cor. 12. Diuisiones gratiarum sunt, sed idem Spiritus: diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Ergo & in Christo, potentia data qualitas est.

1. Cor. 12.

D. IACOBVS.

Discrimen inter dona sanctorum, & dona in Christi humanitatem collata. Ioan. 3. Col. 2. Damasc lib. 3. cap 7. & cap. 18.

Hæc sunt particularia dona, quæ Deus distribuit membris Christi, secundum mensuram donationis Christi: ideo sunt qualitates. Sed Scriptura sacra testatur, Christo datum spiritum NON AD MENSVRAM. Ergo non de qualitatibus potest intelligi, quæ omnes sunt mensuratæ. Plenitudo diuinitatis totius habitat in Christo corporaliter, non peculiaria, aut particularia dona in illum collata, sicut in alios sanctos. Damascenus inquit: Diuina natura PROPRIAS SVAS EXCELLENTIAS CARNI communicat: quæ vt verè, & secundum naturam Dei voluntas facta est, omnipotens est. Et Ambrosius: Non enim Deus SVÆ SEDIS Apostolis dat consortium: Christo verò secundum humanitatem datur consortium diuinæ sedis. Tu contrarium ex sacra Scriptura proba.

D. BEZA.

Confiteor vnitam Deitatem omnipotentem carni Christi, & nego aliam communicationem, quàm vnionem.

D. IACOBVS.

Nullum adhuc Scripturæ testimonium contra communica-

nicatam omnipotentiam audio: cuius communicationis fundamentum est vnio: non autem est ipsa proprietatum communicatio.

D. BEZA.

Audiuimus Cyrillum lib. 2. Thesauri, differentem: quæ solius diuinitatis propria sint, diuinitati etiam soli tribuenda esse, ne naturæ confundantur.

D. IACOBVS.

Verba Cyrilli sunt plana & perspicua: in quam sententiam plura alia quoque eiusdem authoris afferri possunt. Quibus docet, si quis absolutè, & sine respectu vllo vnionis cum diuinitate τοῦ λόγου humanitati Christi tribueret, quod diuinitatis proprium est: quod hac communicatione propriorum humanitas aboleretur, & in diuinitatem commutaretur. Sed optimus verborum suorum interpres est ipse Cyrillus, qui suam sententiam apertè sequentibus verbis explicat, quæ heri quoque allata sunt. Non imperitè omninò (inquit) viuificam carnem esse negatis. Nam si sola intelligatur, nihil prorsus viuificare potest, quippe quæ viuificatione indigeat. Cum verò incarnationis Mysterium scrutati fueritis, & vitam habitantem in carne cognoueritis, quamuis nihil penitus caro per seipsam posit: viuificam tamen factam esse credetis.

De communicatione propriorum, Cyrilli perpetua & constans sententia.

Cyril. in Ioan. lib. 4. cap. 23.

D. BEZA.

Propter vnionem dicimus nos quoque, hominem esse omnipotentem.

D. IACOBVS.

Verba sunt. Nam vos per (Hominem) diuinitatem solam intelligitis, idq́ue per tropum, qui Metonymia dicitur: quemadmodum apertè in vestra responsione positū est: Homo est omnipotens, id est, Deitas humanæ naturæ vnita est omnipotens, sine omni communicatione reali, humanitati facta: quod nos falsum esse, nunc aliquoties diximus, & probauimus.

Consensus in verbis, non in rebus.

In respons. ad Thesin 8. & 9.

 D. BEZA.

D. BEZA.

Deprauatio verborum Lutheri.

In respons. ad dogma 1.

Lutherus ipse reprehendit eos, qui docent, hominem Christum esse omnipotentem: cuius hæc sunt verba in sermone Natalitio super Ebr. 1. Humanitas Christi æquè ac alius sanctus, & naturalis Homo, NON SEMPER omnia cogitauit, dixit, voluit, animaduertit, sicut quidam ex ipso omnipotentem hominem faciunt, imprudenter confundendo duas naturas, & earum operationes.

D. IACOBVS.

Verba Lutheri cum doctrina nostra nihil pugnant prorsus, quę ipsius Lutheri, imò Spiritus sancti doctrina est, quam Lutherus in assertione de Cœna Domini constanter asseruit, & apertissimis Scripturę testimonijs confirmauit.

Lutherus de communicatione scientiæ Christi.
Lutherus in Ecclesiastica Postilla super Epistolam Dominicalem in festo Natiuitatis Christi.

Nam in loco à te allegato, Lutherus reprehendit interpretationem verborum Christi, Marc. 13. (De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius, nisi pater:) quam quidam intempestiuè afferunt. Non opus est (inquit Lutherus) hic glossa: filius non nouit, id est, non vult scire. „ Quid facit hæc glossa? Humanitas Christi æquè ac alius „ homo naturalis non semper omnia cogitauit, &c. Et post ver„ba hęc addit: Quemadmodum non semper omnia vidit, au„diuit, & sensit: ita etiam NON SEMPER corde suo om„nia aspexit: sed quemadmodũ spiritus illum duxit, & illi obtu„lit. Plenus gratia & sapientia fuit, quòd omnia iudicare & do„cere POTVIT, quę ipsi proposita fuerunt. Idque hac ex „causa, quòd diuinitas, quæ sola omnia scit, in ipso personali„ter præsens fuit. In summa, quicquid de Christi humilitate & „exaltatione dictum est, HOMINI tribuendum est; quoni„am natura diuina neque humiliari, neque exaltari potest. Hactenus Lutheri verba, quæ apertè nostram sententiam confirmant, & opinioni D. Bezę minimè patrocinantur.

Non

Non enim Lutherus negat, Christum esse omnipotentem hominem: sed tantùm falsam interpretationem verborum Christi reprehendit, quæ in statu humilitatis de se ipso locutus est Christus. Quibus ostendere voluit, quòd non eodem modo secundum hominem omnia sciat, sicut secundum Deitatem. Cùm enim Deitas sit immutabilis, & scientia Dei sit essentia eius: ideo sicut non potest non semper esse Deus, ita non potest non OMNIA semper scire. Sed quia humana natura est mutabilis, & aliunde habet, vt sciat omnia, videlicet, sicut Lutherus hic loquitur, ex personali præsentia Deitatis, quæ in statu humilitatis se non semper exeruit per humanam naturam: ideo falsam esse docet illam glossam, NON scit, id est, NON VVLT scire, quem tamen omnia scire potuisse, apertè dicit. Non enim simulauit se nescire diem & horam extremi iudicij: sed cùm hæc verba loqueretur, VERE ignorauit, quia se ipsum, vt Paulus loquitur, exinaniuerat. Ἐκένωσε, inquit Paulus, euacuauit se ratione humanitatis: quæ euacuatio seu exinanitio nihil simulatum fuit in homine Christo, sed seriò & realiter facta est. Quemadmodum etiam filijs Zebedæi respondet: MEVM non est dare, vt hic sedeat ad dexteram, alter ad sinistram: quod non simpliciter, sed ratione suæ exinanitionis loquitur. Nam idem Christus alios ad dexteram, alios ad sinistram suam collocabit, & dicet: Ite: venite. Quapropter in serui forma hæc omnia locutus est, quasi diceret: Nunc hanc ob causam non adsum. Hæc autem euacuatio seu exinanitio præsupponit præcedentem impletionem infinitorum donorum, quòd secundum hominem habuerit quidem maiestatem illam, sed non vsurpare voluerit. Plenus (inquit Lutherus) erat gratia, & sapientia, quòd potuit omnia intelligere, &c. Et hæc est omnipotentiæ communicatio, de qua paulò pòst plura in tractatu de omniscientia Christi hominis dicemus.

Matth. 25.

Sed quæro, mi Domine Beza: An hæ duæ propositiones æquipolleant: Deus est omnipotens: Homo est omnipotens? Cùm enim secundum tuam opinionem, nulla sit om-

nipotentiæ communicatio in natura humana: quomodo ergo homo est omnipotens? aut verè omnipotens dici potest: quod tu asseris verè dici, vt maximè pertinaciter neges, humanitati omnipotentiam communicatam esse.

D. BEZA.

Ego has propositiones non dico æquipollere. Nam alia ratione dicitur Deus omnipotens, videlicet propriè, & essentialiter IN SE, & PER SE. Homo autem dicitur omnipotens, non quòd humanitati communicata sit omnipotentia: sed quia est vnita omnipotenti diuinitati, quæ sola est & ita manet omnipotens, vt suam potentiam nulli creaturæ, & ita etiam humanitati Christi nō communicet.

Homo Christus quomodo secundum Bezam Deus & omnipotens sit.

Sic dicimus: Illum hominem esse Deum. Intelligimus autem sub vocabulo hominis, Deitatem vel Filium Dei hoc modo: Filius Dei, qui vnitus est humanitati, & Deitas ipsius, est Deus. Deitas enim humanitati non est communicata.

D. IACOBVS.

Ego ex responsione vestra ad Thesin nostram 8. & 9. respondeo, quòd communicationem omnipotentiæ, quando humanitas dicitur suo modo omnipotens, ne quidem verbalem esse credatis, hoc est, non solùm non rem, id est, omnipotentiam, sed ne quidem nomen & appellationem omnipotentiæ Dei, humanitati Christi tribui verè posse doceatis: quæ auditu horrenda sunt. Quomodo enim hic homo verè omnipotens dici potest, cuius humanitati animæ & corpori non solùm neque omnipotentia: sed ne quidem nomen omnipotentiæ vllo modo communicatum est? Hoc, quæso, auditores diligenter expendere velint, quomodo cum Scriptura sacra conueniat, & allatis ex ea testimonijs consentiat, quæ Christo non solùm NOMEN, sed rem ipsam, hoc est, Maiestatem diuinitatis propriam, & omnipotentiam apertè tribuunt.

D. BEZA.

D. BEZA.

D. Brentius locum Ioannis primo, [Verbum caro factum est] non de vnione naturarum, sed de communicatione proprietatum diuinitatis, & ratione donorum exposuit, quibus Petrum Christus superet, aliâs vnam diuinitatis vnionem cum Petro & Christo fore. Verba eius hæc sunt: Itaque discrimen Christi & Petri non est sumendum simpliciter ab inhabitatione Filij Dei: sed à communicatione proprietatum eius.

D. IACOBVS.

Simpliciter nego, Brentium asserere: Eandem vnionem diuinitatis cum Petro esse, quæ est cum assumpto Homine Christo. Nam contra Petrum Martyrem disputans (qui scripserat: Sufficit Deitatem, quamuis immensam & infinitam sua hypostasi fulcire ac SVSTENTARE humanitatem, vbicunque illa fuerit) hæc verba subiungit: Certè si sententiam Martyris, quam suprà commemoraui, de vnione personali, rectè introspexeris, talem facit vnionem Filij Dei, & filij Mariæ virginis, qualis est Filij Dei & omnium creaturarum, aut saltem Petri & Pauli aliorumq́ue Sanctorum. Tantùm igitur abest, vt Brentius eandem vnionem Christi & Petri cum Deo asseruerit, vt hanc tanquam omnium absurdissimam sententiam ex Petri Martyris descriptione sequi demonstrauerit, si ad constituendã vnionem personalem sufficiat in sua hypostasi *FVLCIRE ET SVSTENTARE.*

Quod autem vnionem personalem per communicationem idiomatum definiuerit, hæc causa est, quod vnionis hypostaticæ Mysterium ita comparatum sit, vt à priori definiri non possit. Quando ergo non habemus specificas differentias: in earum locum, quæ magis nota sunt, siue propria, siue accidentia, siue operationes reponimus: quibus ab alijs rebus discernantur, vt aliquo modo quid sint, intelligi possit.

Vnio hypostatica duarum naturarum in Christo, cur per communicationem idiomatum definiatur.

Sic

Animæ rationalis cum corpore vnio.

Sic qualis sit vnio animæ cum corpore in quolibet homine, à priori non possumus scire. Definimus ergo à posteriori, hoc est, à communicatione potentiarum animæ cum corpore, qua corpus viuit, sentit, mouetur. Hinc Aristoteles, cùm aliàs vniuscuiusque rei vna tantùm sit definitio, duas definitiones animæ tradit: alteram, qua anima quid per se & in se sit, ratione potentiarum suarum describit: alteram verò ea ratione tradit, qua corpori vnitur, & se cum potentijs suis communicat. Anima, inquit, est actus corporis physici Organici vitam habentis in potentia. Item: Anima est, qua viuimus, sentimus, mouemur & intelligimus. Et cùm videamus, animam nullam harum potentiarum sine corpore exercere quamdiu est in corpore, sine quibus etiam corpus nihil agere potest, sed instar lapidis & trunci est: Ex hac communicatione tanquam vnionis consequente intelligimus, quanta sit vnio, & quàm arcta corporis cum anima coniunctio.

Cur duæ definitiones animæ, ab Aristotele traditæ.

Vnio animæ cum corpore vnde cognoscatur.

Cur D. Brentius & D Iacobus Andreæ vnionem personalem per communicationem idiomatum dnfinierint.

Sic cùm nos multò minùs Mysterium vnionis personalis diuinę & humanæ naturæ in Christo intelligamus, vt qui nos ipsos ignoramus: D. Brentius & Collegæ ipsius, Scripturæ sacrę, & S. Patrum vestigia secuti, hanc admirandam vnionem per communicationem Maiestatis diuinæ descripserunt, qua discrimen inter Petrum & Christum hominem conspiciatur, qui aliàs multa communia habent.

Collatio personæ totius Christi cum Petro.

Non .n. negari potest, diuinitatem totam, quæ ἀμέριστος est, & in partes non diuiditur, in Petro non solùm totam esse, sed etiam in ea habitare, quæ numero non alia est diuinitas, quàm quæ in Christo est. Ex quo autem minimè sequitur, quòd idem modus vnionis & coniunctionis Dei cum Petro fuerit, qui est in homine Christo.

Discrimen vnionis diuinitatis in Christo & Petro, vnde sumendum.

Vnde autem hoc discrimen sumendum, quod neque oculis corporis, neque mente percipi potest?

Ex consequente nimirum huius admirandæ vnionis effectu, qui in Scriptura sacra explicatus est: videlicet à communicatione Maiestatis, quam Scriptura sacra Christo homini tribuit,

tribuit, quæ nulli homini aliàs quantumuis sancto & excellenti tribuitur. Nam homo Christus dicit: Adolescens, tibi dico, Surge: & statim resurgit. Ad hunc modum Petrus non loquitur: sed inquit, Dico tibi, in nomine IESV CHRISTI NAZARENI surge, & ambula. Vnde colligitur, alia ratione Petrum, alia ratione Christum resuscitasse mortuos? Luc. 7. Actor. 3.

Sed ais: Quid suscitauit mortuos? Respondeo: Omnipotens virtus diuinitatis, cuius solius proprium est mortuos resuscitare.

Cur autem homo Christus simpliciter dicit: Adolescens, tibi dico, surge, & statim ad hanc vocem Christi adolescens surgit? Petrus autem non simpliciter inquit: Dico tibi surge: sed dicit: IN NOMINE IESV surge & ambula: cùm tamen vna & eadem sit diuina virtus, qua excitati sunt? Hic discrimen vnionis diuinitatis cum Petro, & cum homine assumpto, conspicitur: quòd homo Christus propria, Petrus autem aliena virtute mortuos suscitauit, & miracula edidit.

Quomodo hominis assumpti omnipotentia simul propria & communicata sit.

Quia omnipotens illa virtus diuinitatis, communicata est humanitati Christi: cuius solius humanitatis seu hominis, RESPECTV ALIORVM SANCTORVM hominum propria fuit: vt respectu illarum propria, communicata tamen à diuinitate virtute homo Christus mortuos suscitaret: quod propter defectum communicationis huius, Petrus facere non potuit, sed semper coactus est addere: IN NOMINE IESV. Sicut Apostoli orasse leguntur, vt Dominus extendat manum suam ad sanitates, signa & prodigia efficienda per nomen sancti FILII SVI IESV. Ex qua communicatione reali in Christo facta intelligitur, longè aliam vnionem esse diuinitatis cum homine assumpto in persona Christi, quàm cum Petro.

Refutatio falsæ doctrinæ, D. Brentio imputatæ.

Hæc mens & sententia D. Brentij, in collatione Petri cum Christo fuit, quando per communicationem Maiestatis diuinæ in Christo vnionem personalem definire, & ab alijs vnionibus DEI cum beatis hominibus discernere voluit.

Nequaquam verò eandem vnionem diuinitatis cum humanitate Christi & Petri docuit, vt discrimen duntaxat in donorum gradu vel numero collocauerit. Sicut falsò ipsi Brentio in Domino quiescenti, & mihi quoque, tribuitur: quasi doceamus aut docuerimus, quòd diuinitas πρώσοία tantùm adfuerit homini Christo, sicut reliquis sanctis, quos gradu donorum superauerit, & creata potentia & sapientia Deo similis, Deus & Deo æqualis dicatur. Quæ omnia ne per somnium quidem Brentio aut mihi vnquam in mentem venerunt.

Cur Brentius vnionem personalem per communicationem idiomatum definiuerit

Sed per hanc collatam Maiestatem, homines aliquo modo ad illam admirandam & ineffabilem vnionem diuinitatis cum assumpto homine Iesu Mariæ filio perducere voluit, quæ toto genere ab omni alia vnione diuinitatis cum sanctis hominibus differat: in qua spiritus Christo non ad mensuram, sed sine mensura donatus est. Neque potentia aliqua creata sed OMNIS plenitudo Deitatis ei communicata est: ex qua plenitudine nos omnes accepimus dona, secundum mensuram donationis Christi.

Ioan 3.
Col. 2.
Ioan 1.
1. Cor. 12.
Rom 12.

D. BEZA.

Dico, nos non negare: homini huic datam omnipotentiam, quia homo ille est Deus: sed nego humanitati datam esse. Sicut enim dici non potest: Humanitas est Deitas: ita etiam dici non potest, humanitas est omnipotens.

D. IACOBVS.

Hæc nunc aliquoties audita & à te repetita sunt: & quomodo sub vocabulo (Homo) Deitatem solam absque humanitate intelligas & lectori fucum facias, ex responsione vestra ostensum est. Sed peto VNVM, VNVM duntaxat Scripturæ sacræ testimonium, quo hanc glossam probes, qua asseris, & toties repetis, atque inculcas: si humanitati à Filio Dei assumptæ communicata esset omnipotentia, quòd in Deitatem conuersa esset: Hoc quæso proba.

D. BEZA.

D. BEZA.

Hoc perinde est, ac si quis peteret à me testimonium Scripturæ, vt probem, quòd simus Mompelgardi. Res aperta & manifesta est: ideo nullo Scripturæ testimonio indiget.

D. IACOBVS.

Contrarium ego ex Scriptura apertè & manifestissimè probaui, & similitudine ferri igniti demonstraui: ad quæ testimonia tu nihil aliud, quàm glossam contra apertum textum attulisti, eamq́ue nullo Scripturę testimonio probare potes, quòd videlicet potentia homini Christo data, sit creata qualitas & donum creatum.

D. BEZA.

Certum est, omnia dona hominibus data, esse qualitates creatas. Quapropter cùm Christus sit caput corporis, quod dicitur Ecclesia: ideo certum est, etiam dona eius humanitati data, esse qualitates creatas, quorum numero & excellentia, Christi humanitas non modò omnes beatos homines, sed etiam Angelos superat. Bezæ argumentum à membris ad caput.

D. IACOBVS.

Ego simpliciter nego consequentiam. Omnibus enim pijs & fidelibus sunt creata dona collata, quia non sunt hypostaticè cum Deo vniti. Et Scriptura sacra apertè testatur, quòd membrorum corporis Christi omnia dona sint mensurata, nec vni cuncta dederit Dominus, sed secundum mensuram donationis Christi, quantum cuique sufficit: Sed Christo cuncta dedisse sine mensura, Spiritus sanctus adeoq́ue ipse Christus de se testatur: Et omnem plenitudinem, non donorum creatorum, sed totius diuinitatis, inquit Paulus, in Christo habitare. His verbis Spiritus sancti, conscientia pij hominis tutò inhærere, & in eis acquiescere potest: cùm de glossa vestra nullo Scripturæ testimonio confirmata semper dubitare cogatur, an sit vera vel falsa. Sed cùm nullo Scripturæ testimonio probari possit, potentiam huma-

Refutatio huius argumenti.

1. Cor. 12. 14. Rom. 12. Ioan. 3. 13. Col 2.

næ naturæ Christi datam, creatum donum esse: videamus etiam de reliquis Dei attributis, quæ sunt, omniscientia, omnipræsentia, viuificatio, & religiosa adoratio: (nam hæc omnia sunt Deitatis propria) an ea quoque assumptæ humanitati Christi communicata sint.

D. BEZA.

Confess. D. Bezæ de communicatione attributorum Deitatis.

Quid opus est de singulis dicere? cùm omnium attributorum Dei eadem sit ratio & communicatio. Si enim demonstraueris, vnum Dei attributum proprium communicatum esse: de reliquis nihil disputandum censeo.

D. IACOBVS.

Omnipotentiam diuinitatis, humanitati Christi assumptæ communicatam esse: luce meridiana clarius apertis Scripturæ testimonijs me demonstrasse, confido. De quo iudicium sit penes auditores.

Deinde, non ignoras, quosdam omnipotentiam & omniscientiam tribuere Christi humanitati: sed omnipræsentiam communicatam esse, negare & oppugnare. Ideo etiam de illis dicendum erit.

D. BEZA.

D. Heshusij opinio quomodo à Beza damnata.

Scio Doctorem Heshusium hoc facere: sed toto cœlo errat, & stultè facit. Nam si vna proprietas diuinitatis naturæ humanæ communicata est, reliquæ omnes communicatæ sunt. Id si tu de vna demonstraueris: ego de reliquis tecum nihil prorsus contendere aut disputare volo.

D. IACOBVS.

Age ergo, vt de reliquis quoque placidè conferamus, idque potissimum propter auditores, vt videant & cognoscant, nos ex parte nostra Christo homini seu humanitati eius

eius nihil tribuere, quod non Scripturę sacrę apertis testimonijs (qua sola, fides nostra Christiana nititur) probari & demonstrari posit.

D. BEZA.

Si ita placet, fiat.

D. IACOBVS.

Nos Christo homini, hoc est, humanitati eius, omniscientiam realiter communicatam asserimus. Quòd autem vera sit hęc nostra doctrina, hoc argumento confirmo. Cuicunque datus est spiritus sine mensura: huic omniscientia data est. Sed Christo homini seu secundum humanitatem datus est spiritus non ad mensuram. Ergo data est illi etiam omniscientia. Probatio minoris propositionis: Ioan. 3. scriptum est (Quem misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.)

II. De omniscientia. Humanæ naturæ in Christo, omniscientia verè & realiter communicata.

D. BEZA.

Concedo, quòd omnia dona Spiritus sancti sint data Christo sine mensura, quæ sunt creatæ qualitates. Et sic concedo etiam nunc Christum in gloria OMNIA SCIRE, quæ priùs in statu humilitatis seu exinanitionis non sciuit: quia nunc gubernationem omnium tenet.

D. IACOBVS.

Quęro igitur: An spiritus Christi humanus, hoc est, anima Christi nunc in gloria omnia sciat, quę Deus scit?

D. BEZA.

Non dubito, etiam nunc OMNIA scire, QVAE priùs non sciuit, cùm in statu exinanitionis esset. Et suprà dixi: Lutherũ in Serm. Natalitio distinguere inter cognitionem

humanitatis & diuinitatis Christi: quòd Christus multa ignorauerit secundum humanam naturam, quæ secundum diuinitatem nouerit. Et fatetur ipse Lutherus, se etiam sæpe errasse in hoc & in alijs Scripturæ locis, quòd naturæ tribuerit, quæ personæ conueniunt: & contrà.

D. IACOBVS.

An Lutherus suam doctrinam de persona Christi reuocauerit.

Quo anno hæc scripsit Lutherus? Nam à vestris fratribus hæc eadem Lutheri verba, in hunc potissimùm finem proferuntur & allegantur, vt probent: Lutherum ipsum doctrinam suam de persona Christi reuocasse. Potissimùm verò illa, quæ de persona Christi in Maiori Confessione de Cœna Domini, & in libro cui titulus est: Quòd verba Christi (Hoc est corpus meum) adhuc firma & immota persistant, scripserit. Ideò quæro, quo anno hæc scripserit?

D. BEZA.

Ego nescio.

D. IACOBVS.

Lutherus cùm tyro esset, in sacrarum literarum studio sæpe errauit.

In Epistola dedicatoria ad Comitem Mansfeldensem annotatum est tempus, quo hæc Lutherus scripsit: videlicet, anno Domini 1521. editam Postillam istam, quam præcedentibus annis scriptam esse docet. Quomodo ergo his verbis Lutherus ea retractare potuit, quæ anno 1527. & 1528, hoc est, sex vel septem annis pòst scripsit? Non enim posteriora per priora, sed priora per posteriora scripta corriguntur. Sensus ergo verborum Lutheri in sua Ecclesiastica Postilla est: cùm adhuc tyro sacrarum literarum esset, fatetur, quòd sæpe in eiusmodi Scripturæ sententijs errauerit, & naturæ tribuerit, quod personæ est.

Collatio scriptorum Lutheri, ratione temporis.

In posterioribus autem scriptis non ampliùs hac ignorantia laborauit, sed ex vera & genuina interpretatione Scripturæ sacræ testimoniorum, contra hostes veritatis solidè disputauit, & eosdem verbo Domini prostrauit. Scripturam enim per

per Scripturam interpretatus est: qui optimus modus interpretandi est. Et explicatione dexteræ Dei, non ex humanis glossis, sed apertissimis sacræ Scripturæ verbis demonstrauit: Christo secundum humanam naturam omnipotentiam diuinitatis propriam verè & realiter communicatam esse. Et regula Lutheri suprà posita, omnibus sacrarum literarum studiosis, tyronibus maximè, valdè necessaria est: Ne tribuant naturis, quod personæ est, ne naturas confundamus aut separemus: de quo aliàs.

Sed quæro ampliùs: An Christi anima nunc in gloria, omnia sciat, etiam cogitationes hominum?

An Christi anima etiam cogitationes hominum sciat & videat.

D. BEZA.

Nescio. Ex reuelatione diuinitatis potest scire, quantum vult scire, & quantum illi opus est.

D. IACOBVS.

Sic quoque olim Heydelbergenses Theologi scripserunt, Christum scire, quantum velit scire, & quantum illi opus sit ad exercendum iudicium: tantam etiam Dei ipsius, & operum Dei cognitionem habere, quantum ei conueniat scire. Quæ vox in auribus piorum hominum non modò dura, sed planè impia est. Quasi verò Christus secundum humanitatem suam nondum perfectam Dei, & operum eius cognitionem habeat?

D. BEZA.

Illi quid scripserint, ego ignoro: ipsi pro se respondeant. Ego dico, Christum secundum humanam naturam nunc scire omnia, QVAE VELIT SCIRE.

D. IACOBVS.

Vult ne homo Christus omnia scire?

D. BEZA.

Nescio. Non sum cum illo hac de re collocutus.

D. IACO-

D. IACOBVS.

Est ne homo Christus secundum humanum suum spiritum, hoc est, secundum animam seu animâ suâ καρδιογνώστης?

D. BEZA.

NON.

D. IACOBVS.

Cùm in terris versaretur, an non suo humano spiritu vidit cogitationes in cordibus hominum? Item: Oportet illum cogitationes hominum scire, quia futurus est iudex viuorum & mortuorum, qui etiam cogitationes cordium est iudicaturus & puniturus, voluntati & legi diuinæ contrarias.

D. BEZA.

Solus Deus est καρδιογνώστης, id est, scrutator cordium: communicat autem humanitati, quæ vult: cuius anima habet scientiam, quæ est qualitas: Et tantam scientiam, quantam vult Deitas. Sic Deitas Christi, cùm Christus localiter & visibiliter in terris versaretur, vidit cogitationes cordium, & humanitati reuelauit, quantum voluit & quando voluit. Talis etiam nunc est gloria eius ratio, sed excellentissima, quanta in creaturam cadere potest: qualitas tamen & donum creatum.

D. IACOBVS.

Quomodo Deus omnia viderit & nouerit.

Psalm. 139.

Quomodo Deus cogitationes in cordibus hominum videat, nos non intelligimus. Non enim, sicut nos, per fenestram prospicit, vt videat, quid in terris agatur. In Psalmo scribitur: Intellexisti cogitationes meas de longè. Sic quoque de Christo non quæritur, quomodo cogitationes hominum viderit: sed an viderit etiam tanquam homo? Tu respondes: ex reuelatione diuinitatis habere; de quo minimè quæsi-

quæsitum fuit. Testantur autem Euangelistę de homine Christo, quòd viderit cogitationes Phariseorum, & aliorum, quibus cum conuersabatur, malorum maximè. Quid malè cogitatis, inquit, in cordibus vestris? Ergo Christus etiam quatenus homo, est καρδιογνώσης, & nouit cogitationes hominum, non solum vt Deus, sed etiam tanquam homo. Matth. 9. Mar. 2. Luc. 5.

D. BEZA.

Scientia Dei est absoluta. Sed scientia hominis est qualitas, qua homo scit ea, quæ Deus reuelat.

D. IACOBVS.

Nostra cognitio in altero seculo non erit talis, qualem vos ipsi Christo affingitis. Sicut Apostolus testatur: scientia destruetur: ex parte enim cognoscimus, ex parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur, quod EX PARTE est. Nunc cognosco ex parte: Tunc autem cognoscam, SICVT COGNITVS SVM. Si ergo in nobis quod ex parte est, abolebitur: & sicut à Deo cogniti sumus, cognoscemus: multò minùs illud (EX PARTE) humanitati Christi in cognitione Dei & operum eius, tribuendum est. Differentia cognitionis in hoc & in futuro seculo. 2. Cor. 13.

D. BEZA.

Humanitas Christi, quia creatura est & finita, ideo scientia eius quoque est finita qualitas, etiamsi omnium creaturarum scientiam superet.

D. IACOBVS.

Sed hæc finita humanitas, habet in se corporaliter inhabitantem infinitam plenitudinem Deitatis: & accepit spiritum non ad mensuram. Ergo non potest esse qualitas, seu scientia finita: sed ipsius Dei propria scientia infinita. Quicquid enim mensura caret, immensum & infinitū est. Spiritus, Scientia Christo data non est mensurata. Col. 2. Ioan. 3.

quem Christus accepit secundum hominem, sine mensura datus est. Ergo infinita & non mensurata est eius cognitio atque scientia.

D. BEZA.

Spiritus, pro donis Spiritus sancti accipitur. Ioan. 7. cap. legimus: [Nondum erat spiritus, id est, dona Spiritus sancti.]

D. IACOBVS.

Vt maximè tibi concederem, quòd eo loco (Spiritus) pro donis Spiritus sancti accipiatur, quod rectiùs de reuelatione Spiritus sancti, quàm de donis Spiritus sancti intelligitur: tamen restrictio, Ioan. 3. apposita apertè indicat, dictum Christi non de creatis donis intelligi posse, sicut Ioan. 7. Non enim absolutè ponitur vocabulum spiritus, sicut in allegato loco, Ioan. 7. sed additur: NON ad mensuram: quibus verbis à creatis donis manifestè distinguitur. Nam nihil caret & est sine mensura, prçter quàm SOLVS DEVS.

D. BEZA.

Est'ne Spiritus sanctus humanitati Christi essentialiter datus?

D. IACOBVS.

Ambiguum est vocabulum (Essentialiter.) Ego dico hoc in loco intelligi ipsum Spiritum sanctum, non dona Spiritus sancti creata: quæ non sunt Spiritus S. sed Spiritus sancti effectus, seu opera in sanctis. Hic Spiritus S. est datus Christo homini absque mensura: secundum illud, Ioan. 1. (Super quem videris Spiritum S. descendentem & manentem super eum.) Si igitur Spiritus non ad mensuram datus, esset donum creatum, tum Spiritus S. tertia Trinitatis persona esset quiddam creatum: quod absurdum & planè impium est dicere.

Ioan. 1.

D. BEZA.

Tu transis à persona Filij ad Spiritum. Cùm enim dixeris humanitatē à diuinitate Filij & eius communicatione habere infinita et increata dona: nunc Spiritui S. ea tribuis & asscribis.

D. IA-

D. IACOBVS.

Collatio hęc donorum, qui Spiritui sancto tribuitur, nullam facit confusionem personarum. Cùm enim Spiritus sanctus sit Patris & Filij communis Spiritus: ideoque quicquid Spiritus sanctus donorum in assumptam naturam humanam confert, id totius diuinitatis, Patris & Filij & Spiritus sancti opus est, à quibus Spiritus sanctus accipit.

Quomodo eadem dona non mensurata à Filio Dei & Spiritu sancto humanitati Christi data sint.

Habet igitur assumpta humanitas à diuinitate filij infinitam potentiam & scientiam per Spiritum sanctum collatam, sicut scriptum legimus: Super quem videris Spiritum sanctum descendentem & manentem. Non dicit: Super quem videris dona Spiritus sancti descendere. Cùm igitur hunc Spiritum sine mensura habeat: ideo Ioannes dicit, de plenitudine eius nos accepisse: quæ infinita est, non mensurata aut creata. Ioan. 1.

D. BEZA.

Vis ergo, Christum etiam secundum humanum spiritum omniscium esse?

D. IACOBVS.

Sic sentio. Non enim volo dimidium Christum habere, sed TOTVM, Deum & hominem, & maximè hominem, de quo Epistola ad Hebręos testatur: Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia, absque peccato. Item: IN QVO passus est ipse tentatus, POTENS est & eis qui tentantur, auxiliari. Summæ autem tentationes internæ sunt in cordibus piorum: quas, si Christus quatenus homo est, καρδιογνώστης, id est, scrutator cordium non est, non videret: & maxima consolatio nobis in eiusmodi tentationibus adempta esset.

Christus secundum humanum spiritum omniscius.

Heb. 4.
Heb. 2.

Vt enim maximè Christum hominem adorarem, & miseriam meam in sinum eius effunderem: tamen si cogitationes cordis mei non nouit: quæ consolatio, quæso, in homine Christo mihi reposita esset?

D. BEZA.

Non est dimidius sed totus Christus, qui omnipotens, omniscius, & omnipræsens est. Non autem totum Christi est omnipotens. Sola enim diuinitas est omnipotens: Humana verò natura non est omnipotens.

D. IACOBVS.

Præstigias verborum, & nihil nisi verba esse, suprà ostendimus, cùm dicunt aduersarij nostri: Totus Christus est omnipotens, omniscius, omnipræsens. Nam sine humanitate Christus non est totus Christus, sed λόγος duntaxat. Ad totum Christum autem requiritur etiam humanitas: quam cùm apertè ab omnipotentia excludant, quomodo ergo totus Christus Deus & homo omnipotens esse aut dici potest?

D. BEZA.

Ludus Sophisticus in vocabulis, TOTVS & TOTVM.

Vocabulum [TOTVS] nomen personæ est, quæ omnipotens est. Nomen autem [TOTVM] ad naturas refertur: quarum altera tantùm omnipotens est, videlicet diuina natura, non autem humana natura. Ideoqúe totum Christum, non autem totum Christi, hoc est, humanitatem eius quoque omnipotentem esse dicimus.

D. IACOBVS.

Deceptio & Sophistica sub vocabulo, TOTVS, latitans.

Christus sine humana natura non est totus Christus.

Totus Christus & totum Christi, æquipollentia.

Deceptio latet sub vocabulo, TOTVS. Nam si candidè hoc vocabulo (TOTVS) de Christo vtaris: significat personam, quę duabus naturis, & non vna duntaxat natura constat. Si quis ergo dicat: Totus Christus est omnipotens: & intelligat hoc tantùm de diuina natura, exclusa humana: manifesta est deceptio & Sophisticatio. Nam sola diuina natura non est totus Christus, sed ad totum Christum requiritur etiam humana natura. Ideóq; (Totus Christus, & Totum Christi;) æqui-

sti) æquipollent, cùm totum Christi nihil aliud sit, quàm Filius Dei & assumptus homo: Et totus quoque Christus nihil aliud est, quàm Filius Dei, cum assumpta natura humana. Sicut Augustinus disertis verbis testatur: Accipe, inquit Augustinus, totum Christum, verbum, mentem rationalem ac carnem. Hoc totum est Christus.

August. Tract. in Ioan. 23.

Totus ergo Christus, Deus & homo, est omnipotens, si naturas ratione vnionis personalis consideremus: quamuis quo ad naturas, si considerentur proprietate essentiæ, non eadem ratione. Nam λόγος seu natura diuina τοῦ λόγου, siue in vnione, siue extra vnionem considerata, IN SE ET PER SE semper est omnipotens & omniscia. Humana autem natura non IN ET PER SE, sed ratione vnionis & factæ participationis omnipotens & omniscia est, quæ à filio Dei omniscio habet, vt ipsa quoq; omniscia effecta sit. Quando autem dicitur: Totum Christi non est omnipotens: Naturæ non ratione vnionis, sed in se & per se considerantur, & hoc modo verum est, quod dicitur: Totum Christi non est omnipotens: quia natura humana per se & in se, id est, proprietate naturæ suæ non est omnipotens, sed tantùm ratione vnionis & in vnione.

Totus & totum Synonyma.
Christus totus quomodo verè omnipotens.
Totum Christi non est omnipotens, quomodo verè dici possit.

Hæc vera & germana sententia est huius dicti: Christus omnipotens, omniscius, & vbiq; est TOTVS, sed non TOTVM. Quod si quis aliter interpretetur, sicut aduersarij nostri, sophisticatur & simplicia corda decipit.

D. BEZA.

Cùm dicitur: Christus totus est omnipotens: intelligo Filium Dei non ab humanitate separatum, sed cum ea personaliter vnitum. Hoc verò nihil obstante, verè tamen possum dicere, quòd sit omnipotens, etiamsi humana eius natura non sit omnipotens.

Fallacia diuisionis Bezæ.

D. IACOBVS.

Noua hæc fallacia est, quæ dicitur diuisionis. Nam voca-

Christus totus est omnipotens, dupliciter potest intelligi.

bulum (Totus) in enunciatione D. Bezæ, non refertur ad prædicatum (est omnipotens:) sed ad subiectum (Christus.) Vt hæc sententia sit: Christus totus, id est, Filius Dei ab humanitate non separatus, sed cum ea vnitus, est omnipotens. Hac ratione enunciatio est vera, etiamsi de vna duntaxat natura intelligatur. Quando autem vocabulum (TOTVS) ad prædicatum (omnipotens) refertur, hoc modo: Christus est totus omnipotens: tum est falsa, si de vna tantùm natura intelligatur: quod aduersarij nostri faciunt.

D. BEZA.

Dona Christi hominis, inter quæ etiam scientia eius numeratur, & reliquorum sanctorum hominum dona, differunt secundum maius & minus: quæ pariter omnia, & non minùs in Christo quàm in sanctis, creata Dei dona sunt.

D. IACOBVS.

Dona Christi & sanctorum, non tantùm secundum magis & minus differunt.

Dona Christi & sanctorum hominum, tantùm secundum magis & minus differre, nunquam concessero. Nam ex vnione personali habet Christus homo, quòd vnctus est oleo Spiritus sancti præ consortibus suis: Idq́ue non gradibus donorum. Nam scientia Christi hominis toto genere differt à sanctorum scientia: quòd dona nostra singulis secundum mensuram donationis Christi sint distributa, hoc est, sicut Christus homo singulis mensus & partitus est, qui in altum ascendit, vt daret dona hominibus. Sed ipsi Christo homini Spiritus datus est non ad mensuram.

Ephes. 4.
1 Cor. 12. 14.
Rom. 12.
Psalm. 69.

D. BEZA.

Metonymia D. Bezæ.

Effectus accipit nomen causæ, vt spiritus pro donis Spiritus S. intelligatur: quæ Christus simul omnia summè & plenissimè habuit in sua humanitate. Quia Deitas dupliciter in ipsius humanitate est, videlicet, tanquam λόγος & Spiritus S. quod alijs sanctis non accidit. Nullus enim eorum omnia dona Spiritus sancti habuit: neque vlli data sunt, præterquam homini Christo.

D. IACO-

D. IACOBVS.

Hanc glossam euertunt verba Baptistæ: non ad mensuram dat Deus spiritum. Nam si omnia dona omnium sanctorum in vnum cumulum congeras, quemadmodum ipsi sancti sunt numerabiles, sic etiam dona illa numerari possent, si in vno Christo homine omnia eo modo, de quo aduersarij loquuntur, concurrerent. Sed Baptista inquit: Filio datus est spiritus non ad mensuram. Ergo nullo modo de creatis donis intelligi potest, sed de ipsius Spiritus sancti increatis donis, quibus intelligitur participatio diuinæ & Deo propriæ scientiæ, quę homini Christo tota collata est, vt nunc etiam sciat, quæ Deus scit, neque quicquam ab eo absconditum aut reconditum sit, quod non sciat. Ioan. 3. Christus homo omniscius est.

D. BEZA.

Si talis scientia humanitati Christi communicata esset, sequeretur, quòd humanitas Deitas facta esset: quod impossibile est.

D. IACOBVS.

Profer vnum (vnum inquam) Scripturæ testimonium, quo hanc sententiam probes, quòd videlicet illa scientia in homine Christo sit creatum donum, aut quòd non possit fieri omniscius, nisi humanitas in Deitatem conuertatur: & paratus sum tibi respondere. Non enim satis est hoc dicere, sed oportet etiam probare, non humana Philosophia, sed verbo Dei ex Scriptura sacra deprompto, quod testatur: in Christo omnes thesauros sapientiæ & scientiæ absconditos esse, idque sine mensura. Quibus testimonijs magis tutò conscientia & fides hominis nititur, quàm rationis humanæ argumentis & glosis, quę manifestè & apertè verbo Dei opponuntur.

D. BEZA.

Illud quod dicitur: Filio datũ spiritũ nõ ad mensurã: fateor ad solũ Christũ pertinere. Sed dicitur de nobis quoq;, quòd simus

simus vnus spiritus cum Christo. Item, Rom. 8. Qui spiritu Dei ducuntur, Filij Dei sunt. Aliam ergo diuinitatem Spiritus Christo homini tribuis, & aliam sanctis hominibus: qui sunt Christi membra, & eiusdem spiritus participes.

D. IACOBVS.

Vnus spiritus in homine Christo & sanctis: sed non vna & eadem communicationis ratio.

Vna quidem est diuinitas Spiritus sancti in homine Christo, & in alijs sanctis hominibus, qui sunt Christi membra: sed non vna & eadem est eiusdem participatio seu communicatio. Nam in homine Christo omnia sunt sine mensura, hoc est, increata, immensa, & infinita: in omnibus alijs autem sanctis hominibus, Christi membris, omnia sunt creata, mensurata, finita dona communicata. Quæ communicatio ratione particularium donorum, non solùm gradibus & numero donorum, sed toto genere, sicut vnio quoque humanitatis cum Filio Dei in Christo facta, differt. Quorum donorum in sanctis, Christus ipse quoque Deus & homo, largitor & dispensator est, quæ ex eius plenitudine infinita, omnia eius membra accipiunt.

III. De omnipræsentia Christi secundum humanitatem.

In Respons. ad Thesin 13. 14.

Sed quoniam nullum Scripturæ testimonium profertur, quo probetur: Scientiam hominis Christi, creatum donum esse: nos ad aliam Thesin vestræ responsionis accedamus, videlicet, de omnipræsentia Christi hominis, quam in vestris scriptis Vbiquitatem appellatis: qua nos asserimus: quòd Christus non solùm sua Deitate, sed etiam assumpta sua humana natura, vbique præsens sit. Quam doctrinam tanquam nouum & in Ecclesia prius inauditum dogma rejicitis & damnatis. Ego autem illam non minùs illustribus sacræ Scripturæ testimonijs, quàm omnipotentiæ & omniscientiæ communicationem in humanitate Christi realiter factam probabo, & ad oculum demonstrabo: si modò expreßis Spiritus S. verbis fides habeatur. Argumentum est tale:

Quicunque

Quicunque implet omnia, ille vbique presens est. Homo à Filio Dei in vnitatem persone eius assumptus, implet omnia. Ergo homo ille assumptus vbique praesens est. Argumentũ pro omnipraesentia Christi hominis.

Maior probatur primùm testimonio & authoritate Ieremiae, cap. 23. Cuius verba sic sonant: Putásne Deus è vicino ego sum, dicit Dominus? & non Deus de longè? Si occultabitur vir in abscondiris, & ego non videbo illum, dicit Dominus? Nunquid non coelum & terram ego impleo? Et illud Esaiae: Coelum sedes mea, & terra scabellum pedum meorum. Probatio minoris propositionis, Ephes. 4. Christus ascendit super omnes coelos, vt omnia impleret, quod de Christo filio hominis, seu respectu humane nature dicitur. Ex quo sequitur, quòd Christus homo, qui super omnes coelos ascendit, nunc omnia impleat, & omnibus praesens sit. Vnde etiam dulcissimae promissiones eius: Ero vobiscum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Item: Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, IBI SVM IN MEDIO ipsorum.

Haec verba D. Osiander ex libro recitauit.

Esa. 66.

Matth 28. Item 18.

D. BEZA.

Ad maiorem propositionem syllogismi respondeo: Quòd is, qui implet omnia, sit verus Deus, non autem homo. Quapropter non simpliciter de Christo concedo, sed de solo Deo vero. Quisquis igitur non est Deus, de eo non concedo, sicut de humanitate Christi, quae non est Deus. Omnia enim implet Deus, sed non humanitas. An solus Deus omnia impleat.

Ad minorem propositionem, vbi dicitur: quod Christus impleat omnia: idque ex verbis Pauli Ephes. 4. probatur, qui testetur: Christum sua humanitate ideo ascendisse supra omnes coelos, vt omnia impleret, respondeo: quòd verbũ [implere] nõ referatur ad substantiam vel diuinitatis, vel humanitatis, sed ad officium Christi. Quo Apostolus demonstrare & docere voluit, iam officium Christi consummatũ, hoc est, omnia per Christum impleta esse, quae ad ipsius officium pertinebant. An humanitas Christi etiam omnia impleat.

tinebant. Nam ascensus Christi in cœlum finem imponit Ministerio Christi in terris peracto. Ideoq; peractis rebus omnibus in terris sibi à patre mandatis, ascendit ad cœlos, vt ostenderet, nihil superesse, quod non impleuisset. Sic verbo hoc implendi Christus quoque vsus est, cùm à Ioanne baptizaretur. Sine modò, inquit: Sic enim decet nos implere omnem iustitiam.

Matth 3. Attulit hic verba Vigilij, Orig. homil. 13. in Matth.

D. IACOBVS.

Explicatio vera verborum Pauli. Ephes. 4.

Verba textus Pauli apertissima glossæ & interpretationi manifestè repugnant, neque eam admittunt, quam hoc loco Beza affert. Nam quę commemorata verba Pauli pręcedunt, apertè testantur hic de pręsentia Christi ascendentis agi, non de consummatione officij eius, sed de locis superis & inferis apertè mentionem fieri. Verba sic sonant: Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ. Qui descendit, ipse est, & qui ascendit supra omnes cœlos, vt omnia adimpleret. Hactenus verba Pauli. Vbi vocabula, in altum, ad inferiores partes terræ, supra omnes cœlos, ascendere, descendere, nullam partem officij Christi exprimunt, sed solùm de varia Christi pręsentia loquuntur, qualiscunque eius ratio sit.

De ascensu Christi nihil carnale cogitandum.

Diligenter autem obseruandum est, quòd Paulus non dicit: Eum ascendisse in cœlos, vel ad cœlos, sed supra cœlos. Et quidem addit: supra omnes cœlos: Ne quid carnale de hoc Christi ascensu cogitemus.

Ex quo etiam docemur, vocabulum (implere) idem ad Ephesios, quod Ieremię. 23. significare, videlicet, veram pręsentiam, qua Deus & homo Christus vbique adesse dicitur, etsi alio modo diuinitati Christi, quàm humanitati eius tribuatur. Nam diuinitas seipsa, per se, sine respectu alterius, implet omnia. Humanitas autem non per se, aut suæ naturę proprietate, sed respectu & participatione diuinitatis & maiestatis eius qua indiget, implet omnia: non tamen carnaliter, physicè, aut localiter de vtraque accipiendum & intelligendum esse dicimus.

Neque diuinitas neque humanitas Christi localiter implet omnia

Quam-

Quamuis enim essentia diuinitatis sit infinita, quę cœlum & terram essentialiter implet, & omnibus rebus creatis præsens est: tamen quia Deus non est magnus mole & quantitate, sed virtute, nulla corporalis extensio aut diffusio imaginanda est localis, qua essentia diuina in creaturis præsens sit, quemadmodum stramen in sacco, aut panis in cibario est. Sed, sicut Augustinus loquitur, IN SEIPSO vbique pręsens & est, & omnia implet: quem pręsentię modum ratio & intellectus humanus non percipit.

Deus sua essentia quomodo omnia impleat.

August. Epist. 57. ad Dard.

Quum igitur humanitati Christi tribuatur, quòd ipsa quoque omnia impleat cum diuinitate, cum qua personaliter vnita est: quamprimùm de hac impletione cogitare incipimus, localis extensio in omnia loca procul remouenda est. Sed cogitandum de participatione diuinæ Maiestatis, ad quam Christi caro ascendisse dicitur, & collocata ad dextram virtutis Dei, quæ neque locus est, neque in loco, sed cœlum & terram, & omnia implet. Et cùm diuinitas non sit extensa aut diffusa, nulla quoque humanitatis Christi coextensio vel diffusio imaginanda est: sed respicienda maiestas, quæ cœlum sedem, & terram scabellum pedum eius constituit. Quæ omnia si quis physicè & localiter de Deo intelligat: quàm absurdas & impias, de ipso Deo, ne dicam de humanitate Christi, cogitationes in animis hominum gignet?

Quomodo de omnipræsentia humanitatis Christi cogitandum sit.

Humanitas Christi non est coextensa cum diuinitate.

Absurda refutatio omnipræsentiæ humanitatis Christi.

His omnibus necessariò positis, euanescunt omnia argumenta vestra, quibus hactenus contra præsentiam illam spiritualem & cœlestem humanitatis Christi, & omnipræsentiam eius, qua omnia Christus tanquam homo etiam implere dicitur, disputatū est. Ad quam explicandam & refutandam, varijs similitudinibus vestri Scriptores vsi sunt. Nam diuinitatem orbibus seu circulis cœlestibus, corpus Christi autem corporibus planetarum comparantes, sic ratiocinati sunt: Quemadmodum orbis seu circulus planetæ semper est, vbi corpus planetæ est, quia orbem seu circulum suum nunquam egreditur. Non autem è contra, vbi orbis planetæ est, etiam corpus plane-

Carnales, crassę, & absurdæ similitudines contra omnipræsentiam humanitatis Christi.

1.

Similitudo de orbibus, & corporibus planetarum: & inepta contra Maiestatem hominis Christi argumentatio.

planetæ est: quia orbis planetę maioris ambitus est, quàm corpus planetæ. Ita diuinitas quidem pręsens est, vbicunque assumptus homo est: sed non contrà, vbi diuinitas est, ibi assumptus homo quoque pręsens est.

2. Similitudo gemmæ in annulo.

Idem similitudine gemmę in annulo pariter explicarunt. Et in Maulbronnensi Colloquio, Heidelbergenses Theologi comparatione & exemplo Antvverpiæ & Oceani, hoc modo contra nos argumentati sunt: Quemadmodum non sequitur, Oceanus circumluit vniuersum orbem terræ: Antvverpia coniuncta est cum Oceano: Ergo Antvverpia etiam circumluit vniuersum orbem terræ: Sic quoque non sequitur, si propter coniunctionem Verbi cum humanitate assumpta, ipsam humanitatem etiam in Christo vbique pręsentem asserere velimus, vbicunque diuinitas pręsens est.

3. Similitudo Antvverpiæ, & Oceani.

Ad eundem quoque modum, similitudine capitis & membrorum in humano corpore, stipitis & ramorum arboris, vtuntur: & ex ijs contra præsentiam humanitatis Christi argumentantur, quæ omnia cum diuinitate implere dicitur.

Crassæ & carnales cogitationes de mysterio incarnationis, de diuinitate, & humanitate Christi.

Hę similitudines, quę in scriptis vestris, & vestrorum fratrum reperiuntur, ostendunt, quàm crassas, carnales, absurdas, atque falsas cogitationes de mysterio incarnationis Filij Dei, & non solùm de humanitatis, sed etiam diuinitatis Christi pręsentia in omnibus locis, habeant.

Phantasiæ de Deitatis præsentia in creatura.

Fingunt enim: Deum instar orbis planetarum, & Oceani, extensum & diffusum esse, quasi mole & quantitate sit magnus. Inde dicunt: Humanitatem diuinitati non COEXTENDI. Hoc enim verbó vtuntur Petrus Martyr, & multi alij. COEXTENSVM verò pręsupponit EXTENSVM. Cùm autem diuinitati propter pręsentiam suam, in cœlo & in terra, qua omnia implet, non opus sit EXTENSIONE, neque ea extensa sit: quę causa quæso est, si humanitas Christi cum diuinitate omnia implere dicitur, propterea ipsam quoque cum diuinitate coextensam dici?

Carnales cogitationes de præsentia humanitatis Christi, in gubernatione omnium.

Deinde

Deinde fingunt vnionem naturarum in Christo talem, quòd quemadmodum corpus Planetæ à sui orbis ambitu, & gemma ab annuli circulari forma, & Antvverpia ab amplitudine Oceani nihil accipit, sed extremitatibus tantùm & superficiebus vniuntur & copulantur: sic assumptam naturam humanam à Filio Dei, & ipsius maiestate propria nihil participare, sed cum ea solùm vniri. Carnales cogitationes de vnione personali.

Cuius absurditas vel vno illustri Scripturæ testimonio apertè refutatur, quod paulò antè copiosè explicatum est. Nam Paulus testatur, quòd in Homine assumpto, videlicet in Christo, *OMNIS PLENITVDO DEITATIS CORPORALITER INHABITET*. Nomine plenitudinis autem Deitatis, totam diuinitatem intelligi extra omnem controuersiam positum est, & nullo modo negari potest. Hoc si verum est, quomodo hæ similitudines simul consistere, & præsentiæ humanitatis Christi quicquam derogare possunt? ex quibus contra vniuersalem præsentiam humanitatis Christi, vestri argumentantur & disputant? est ne totus Oceanus in vrbe Antvverpiæ? est ne totus annulus in gemma? est ne totus ambitus orbis in corpore planetæ? continentur ne omnia membra corporis in capite? sunt ne omnes rami in stipite arboris? Refutatio absurdissimarum similitudinum, de persona & naturis in Christo. Coloss. 2.

Est igitur imaginatio falsa & prorsus carnalis, cùm de ipsius Deitatis, tùm humanitatis Christi vniuersali præsentia: quæ non contra nostram, quæ Spiritus sancti doctrina est, sed contra suum ipsorum carnale & crassissimum figmentum pugnat.

Ad cognoscendam ergo & dijudicandam hanc controuersiam, ante omnia opus est, vt omnipræsentiam diuinitatis rectè consideremus: cuius participatione & communicatione, humanitati quoque tribuitur, quam ex diuinitate & vnione cum persona Filij Dei habet. Controuersiæ de vniuersali præsentia dijudicatio, vnde petenda sit.

De hac autem præsentia non possumus dicere, quid & qualis sit, sed duntaxat quid & qualis non sit. Nam diuinitatem omnibus creaturis præsentem esse, ipsæ creaturæ suis Deus quomodo vbique præsens sit, ignoratur.

Ephes. 4. admirandis effectibus & proprietatibus concionantur, &
Ierem. 23. Scriptura apertè testatur, quòd Deus sit super omnia, per
Esai. 66. omnia, & in omnibus, adeoq́ue omnia, cœlum & terram im-
Psalm. 139. pleat. Quò fugiam à spiritu tuo? inquit Dauid. Sed QVO-
MODO præsens sit, non intelligimus.

Si enim localiter accipiamus, & naturaliter seu carnaliter de ea cogitemus, aut ratiocinemur: In quas absurditates non incidemus? Nam ratione Physicæ seu localis pręsentiæ consideratus, si est in omnibus, non est super omnia: si super omnia, non est in omnibus. Nam IN, & SVPER, diuersa loca significant. Cùm ergo nullo horum modorum sit pręsens, verè tamen & realiter pręsens sit, rectè dicitur: supra, infra, extra, & intra omnia, nullibi vel inclusus, vel exclusus. Et notum est illud vulgare & verè dictum: Deus est intra omnia, non inclusus, extra omnia non exclusus, supra omnia non elatus, infra omnia non detrusus.

Non autem assumpsit λόγος humanam naturam, & sibi ita coniunxit eam, sicut corpus planetæ suo orbi, Antvverpia Oceano, & gemma annulo, membra humani corporis capiti, rami stipiti arboris, coniuncta sunt. Omnes ergo illas similitudines in huius Mysterij consideratione abijciamus. Quamdiu enim animis nostris inhęserint, nihil recti, aut veri, & Scripturę sacræ consentaneum cogitabimus. Quę similitudines cum multorum animos occupauerint: ideo neque mysterium hoc capere, neque veram eius explicationem audire, neque se illi subijcere possunt.

Has verò cogitationes cùm abijcerimus: restat solum verbum Dei, quod de illa pręsentia admiranda Deitatis in omnibus creaturis concionatur. Cuius pręsentiæ modus, neque sensibus, neque ratione percipitur, sed sola fides intelligit eum, quæ captiuum ducit intellectum, & à Maiestatis huius perscrutatione prorsus abstinet.

Deinde cùm eadem sacra Scriptura doceat, quòd Filius Dei in suæ personæ vnitatem humanam naturam assumpserit, & omnis plenitudo Deitatis IN ipso corporaliter habitet,

tet, eamq́ue suæ propriæ Maiestatis participem fecerit, quam ad dextram virtutis & Maiestatis Dei Patris omnipotentis collocauerit, in ea sede, quæ cœlum & terram implet: Et apertè testetur, quòd ad cœlos, in cœlos, & super omnes cœlos ascenderit, vt omnia impleret: Quæ causa est, vt de ea quoque maiestate communicata tantillum dubitemus? & tam apertis testimonijs Scripturæ alienum sensum affingamus? quæ de hac Maiestate hominis Christi tàm magnificè concionatur, ad quam secundum carnem Christus exaltatus est? Condonent mihi Domini auditores, quòd tam prolixus fuerim in explicanda sententia nostra, vt intelligatur, qua de re controuersia sit: posthac breuior ero.

D. BEZA.

Nostri vsi sunt commemoratis similitudinibus, quòd his significare voluerint: Humanitatem, cùm sit circumscripta, non tàm latè patêre quàm diuinitatem, vt quæ in ipsa vnione maneat finita, circumscripta, & organica. Vnde non sequitur, quòd diuinitas extra eam nihil agat, sicut non ita ab humanitate continetur, vt non possit extra illam agere. Ego dico, hominem Christum implere omnia, & vbique præsentem esse: sed non humanitatem.

D. IACOBVS.

Similitudines illas ineptißimas esse, nunc demonstrauimus: quæ neque diuinitati, neque humanitati Christi, neque vnioni personali naturarum applicari possunt. Et falsum est, quòd dicitur: Diuinitatem extra carnem assumptam quidquam agere: Quia IN EA, CVM EA, & per EAM omnia agit, sicut suprà probatū est. Præterea cùm dicis, Hominem omnia implere: nihil ad rem respōdetur. Nam responsio vestra (in qua hanc phrasin explicastis) satis docet, quòd sub vocabulo Hominis, Deitatem solùm intelligatis, quando dici- Consensus in verbis, deceptio in rebus.

dicitis: Homo Christus implet omnia. Vobis enim idem significat, quòd Deitas humanitati vnita impleat omnia: quæ manifesta fraus & deceptio est, qua simplices Christiani putant, vos idem sentire quod nos, cùm nobiscum duntaxat iisdem verbis loquamini, interim tamen aliud intelligatis & sentiatis.

D. BEZA.

Obiectio petita à proprio corporis.

Etsi diuinitas non sit extensa vel diffusa in omnia loca, quia est spiritus, qui vbique totus est: non tamen sequitur, humanitatem, quia diuinitati in persona Verbi vnita est, vbique etiam præsentem esse cum diuinitate. Id enim proprietas & veritas corporis Christi non admittit: Quod verè & essentialiter adesse non potest, nisi per extensionem, locali & physica circumscriptione, qua instar orbis planetarum cum diuinitate extendatur, vt vbique locorum ei præsens sit.

D. IACOBVS.

Refutatio.

Qualis est humanę naturæ vnio cum persona Verbi seu Filij Dei, talis quoque est pręsentiæ modus. Vnio autem non est localis, sed personalis, qua λόγος cum omni plenitudine diuinitatis in assumpta humana natura corporaliter habitat, sine qua seu extra quam nihil, sed omnia CVM EA, IN EA, & PER EAM agit, sicut Patres orthodoxi testantur. Ideoq́ue ad illam vniuersalem præsentiam, nulla opus est locali diffusione vel extensione. Quia INTRA SE habet caro Christi, quod humanitati eius hanc realem pręsentiam præstat, non extra se: sicut crassæ vestrę similitudines falsò inculcant. Si ergo λόγος vbique pręsens est: cur non etiam humanitas, in qua λόγος cum omni plenitudine Deitatis corporaliter habitat?

D. BEZA.

D. BEZA.

Λόγος ita in humanitate assumpta est, vt etiam extra eam sit in reliquis creaturis, neque in partes distributus, vt hic sit pars λόγου, illic altera pars: sed totus λόγος, qui totus est in humanitate assumpta, idem totus quoque est extra illam. Ideoq; propter illam vnionem, non necesse est, neq; sequitur: vbicunque est λόγος, ibi quoque est eius humanitas. Nam veritas & proprietas veri corporis, cuiusmodi Filius Dei assumpsit, non patitur neque admittit istud.

D. IACOBVS.

Si de veritate corporis Christi, & locali eius circumscriptione, & tali praesentiae modo loquaris: facile tibi concesserim, eo modo Christi humanam naturam localiter & circumscriptiuè non esse vbique praesentem. Nam de locali hac praesentia, nulla vnquam inter nos controuersia fuit, sicut nostra scripta apertè testantur. Humana Christi natura, localiter non vbique praesens est.

Cùm autem personalis vnio non sit localis, sed personalis, qua non localiter, sed personaliter Filius Dei cum humana natura vnitus est: quaero, an λόγος humanitatem assumptam personaliter, hoc est, eo modo, quo illi personaliter vnita est, vbique secum praesentem habeat? vt non sit in vno loco Deus & homo, & in altero tantùm Deus sine humanitate, sicut ab aeterno fuit: sed vbique totus Deus & homo, vbicunque est λόγος; Hic mihi categoricè respondeas quaeso, tum apparebit omnibus, quid cuilibet Christiano homini hac in parte credendum vel non credendum sit. Quaestio, an Christi humanitas personaliter vbique sit cum λόγῳ praesens.

D. BEZA.

Omnipraesentia necessariò praesupponit infinitam essentiam: ideoq; vni Deitati prorsus, et quarto, vt loquũtur, modo propria est, vt eam nullo modo in humanitate Christi, quãtumuis In respons. ad 13. 14. Thesin.

tumuis hypostaticè vnita, & nunc etiam glorificata, agnoscere possimus. Quia corpus Christi suam circumscriptionem perpetuò retinet.

D. IACOBVS.

Nihil ad quæstionem responsum est. Quęro enim de humanitate, in suæ naturæ proprietate circumscripta semper permanente, an λόγος hanc finitam & circumscriptam naturam humanam in suæ personæ vnitatem assumptam, vbique personaliter pręsentem habeat, vt vbique sit Deus & homo, & non vno tantùm in loco tanquam homo pręsens? Ad hoc responde.

D. BEZA.

Humana Christi natura, localiter non vbique præsens est.

λόγος vbicunque est, cum natura humana vnitus est: neque vsquam est, vt à sua natura humana separatus sit: sed eam semper habet sibi personaliter vnitam, quamuis natura humana certo & circumscripto loco continetur, & non sit vbiq; præsens, vbi λόγος præsens est.

D. IACOBVS.

Quæstio, an Christi humanitas personaliter vbique sit cum λόγῳ præsens.

Adhuc nihil ad meam quęstionem propositam responsum est, videlicet: An λόγος personaliter vbique pręsentem secum habeat humanitatem?

D. BEZA.

Humanitas assumpta λόγῳ seu Filio Dei semper præsens est, quia ab eo non separatur: neque Filius Dei, quod assumpsit, vnquam deponit: sed inde non sequitur, quòd in omnibus illis locis præsens sit, vbi est λόγος, propter veritatem & circumscriptionem naturæ humanæ, quæ in vno loco est, nimirum in cœlis & non in terra.

D. IACO-

D. IACOBVS.

Est'ne λόγος nobis in terra præsens?

D. BEZA.

Est præsens.

D. IACOBVS.

Et in terris non habet secum præsentem humanam naturam?

D. BEZA.

Habet secum quidem præsentem, sed ipsa manet in cœlo circumscripta.

D. IACOBVS.

Est'ne modus ille præsentiæ, quo ὁ λόγος in terris, hominem assumptum secum præsentem habet, verus & realis, an vero fictitius & imaginarius?

D. BEZA.

Corpus Christi in cœlo est, & non in terris: neque simul in cœlo & terris esse potest.

D. IACOBVS.

Vides ergo mi Beza, quòd necessariò statuere debeas, λόγον in cœlis tantùm esse Deum & hominem, vbi est humanitas Christi. Neque tamen etiam in omnibus locis cœli, sed vno duntaxat loco, vbi est homo assumptus: extra cœlum autem nudum λόγον sine sua humanitate: quòd tamen non apertè audes dicere, quia intelligis absurditatem, in quam incidis.

Causa autem huius erroris est, quòd in articulo de Cœna Domini, de corpore Christi asseruisti: Humanitatis Christi quantumuis glorificati substantiam, non posse re ipsa in terris esse & præsentem statui ALITER, QVAM LOCALI ET PHYSICA CIRCVMSCRIPTIONE: quod falsum est. In respon. ad 4. Thesin.



Nam & nos illam physicam & localem præsentiam corporis & sanguinis Christi, adeoque totius humanitatis in terris, in pluribus locis, nunquã credidimus, nunquam docuimus, nunquam scripsimus.

Questio ergo adhuc indiscussa relinquitur, ad quam categoricè àte respondendum erat, quòd non est factum: cùm vnio non sit localis, & tamen realis, an salua localitate humanitatis Christi, vera & realis eiusdem præsentia, virtute illius vnionis existere poßit, vt vbicunque sit λόγος, ibi propter personæ vnitatem quoque sit assumpta natura humana? non autem localiter, sed personaliter, non nominetenus aut verbotenus, sed reuera & realiter?

Ephes. 4.

De omnipræsentia humanitatis Christi, categorica assertio Theologorum Vuirtembergensium.

Nos cum D. Paulo constanter & intrepidè affirmatiuam tenemus & asserimus, qui dicit: Christum ascendisse supra omnes cœlos (ascendit autem secundum humanitatem, quod negari non potest, qui secundum Deitatem semper fuit in cœlis) VT OMNIA IMPLERET, id est, omnibus præsens esset.

Matth. 28.

Matth. 18.

Quod Christus quoque confirmat, cùm inquit: Ego sum vobiscum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Item: Vbi duo vel tres congregati sunt in meo nomine, sum in medio ipsorum. Modum autem præsentiæ tam non scrutamur, quàm modum vnionis personalis ratione & intellectu humano capere non possumus, qui ineffabilis & inscrutabilis est, quem ipse Deus solus nouit. Nobis autem sufficiat, quòd, secundum aperta hæc, & minimè dubia testimonia Christi & Pauli, in terris non dimidium, sed totum Christum præsentem habeamus, maximè autem Christum hominem fratrem nostrum, adiutorem in omnibus tribulationibus, vbicunque locorum sumus.

D. BEZA.

Crambe.

Natura diuina & humana in persona Christi ita vnitæ sunt, vt saluæ semper maneant naturæ, earumq́; proprietates distinctæ. Quapropter etiamsi dicamus: Deitatē alicubi esse, vbi non est humanitas: non tamen propterea personam diuidimus, aut naturas separamus. Quia sicut propriū diuinita-

Ratiocinatio humana contra Mysterium fidei.

uinitatis est, esse vbique: ita proprium est humanitatis, esse certo loco circumscriptum. Cùm ergo humana Christi natura, hanc proprietatem etiam in gloria saluam retineat: non video, quomodo aliter præsens esse posſit, quàm physica & locali circumscriptione.

De personali præsentia, quod dicis, ego vnionem quidem humanæ naturæ cum Filio Dei agnosco & credo: sed substantiæ humanitatis Christi in terris veram & realem præsentiam nullam aliam video & credere possum, quàm localem & physicam: qua ego eam nunc in cœlis, & nusquam aliâs esse dico. Et verba Pauli, cùm dicit: Christum ascendisse super omnes cœlos, vt omnia impleret: ad officium Christi, & non ad omnipræsentiam referenda esse dico. Opinio Bezæ contra modum præsentiæ in Mysterio.

D. IACOBVS.

Naturam humanam in vnione personali, & in gloria, suas proprietates retinere, nemo dubitat, aut contradicit: sed saluis proprietatibus illis, an eadem natura humana diuinâ gloriâ & maiestate Deitatis propria ornari posſit, quæritur. Quod de omnipotentia & omniſcientia nunc probauimus, easque assumptæ naturæ realiter communicatas esse, luce meridiana clariùs apertis Scripturæ testimonijs demonstrauimus.

Repono igitur in iudicio omnium auditorum & piorum hominum: an ipsi quoque credant, quòd Deus nullum alium modum præsentiæ habeat, quo assumptus homo verè & realiter cum λόγῳ vbique adsit & adesse posſit, quàm localem & physicum? Non enim existimo, aliquem in toto auditorio esse, qui id asserere, & hoc modo diuinæ omnipotentiæ detrahere ausit. Non enim præsentiam nudam aut ociosam, sed valde negociosam & efficacem Christo secundum humanitatem Paulus tribuit, Ephes. 1. cum inquit: Constituens Summa summarum in controuersia de Cœna Domini.

tuens eum ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum, potestatem, virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc, sed etiam in futuro seculo. Item: Omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo autem, quod omnia ei subiecit, nihil dimisit ei non subiectum. NVNC AVTEM (inquit Epistola ad Hebr.) NON VIDEMVS OMNIA EI SVBIECTA ESSE. Quare gubernatio, dominium, & administratio omnium visibilium & inuisibilium, in cœlo & terra, diuinam & cœlestem præsentiam necessariò præsupponit. Non enim absens, sed præsens Christus homo hæc omnia sibi subiecta gubernat: nisi regnum Christi, in regnum mundanum conuertere velimus: in quo non ipse rex, sed authoritate eius præfecti & vicarij dominantur ijs in locis, ad quæ rex non peruenit, aut vbi ipse præsens non est.

Hebr. 2.

Psalm. 8.

Gubernatio omniū creaturarum præsentiam necessariò præsupponit.

Discrimen inter gubernationem Christi, & regnum mundanum.

D. BEZA.

Deus multa potest, quæ non facit, quia non vult. Non autem vult, vt res simul sit, & non sit: simul localis, & illocalis seu non localis sit. Cùm igitur Christus veram humanam naturam perpetuò retineat, cuius proprium est circumscriptio localis: ideo non vult simul in cælo, & in terris, & vbique adesse. Aliâs contra veritatem suam, quæ ipse Deus est, faceret.

D. IACOBVS.

Nunc verbis Pauli & Christi demōstraui, quòd CHRISTVS velit sua humanitate omnia implere: Ideo enim ascendit, inquit Paulus, vt omnia impleret, non sua diuinitate tantùm, ad quam illo ascensu non indigebat, qua iam inde ab orbe condito omnia impleuit: sed cum CARNE SVA, vt loquitur Oecumenius, cuius hęc sunt verba: Ascēdit super omnes cœlos, vt omnia impleret: Etenim (inquit)

NVDA

NVDA quoque diuinitate olim implebat omnia. Et incarnatus, vt omnia cum CARNE impleret, descendit & ascendit.

Contraria diuerso respectu eidem rei tribui possunt.

Neque hac præsentia humanitatis Christi Deus contra regulam veritatis agit, qua dicitur: quòd Deus non velit, vt res simul sit, & non sit. Possunt enim vni & eidem rei diuerso respectu, non modò diuersa, sed etiam contraria tribui. Ex quo tamen non sequitur, quòd propterea res simul sit, & non sit.

Humanitas Christi, quomodo simul localis & illocalis.

Christi humanitas illocaliter in Deo est.

Sic humanitati Christi contraria tribuuntur, locale & illocale: sed diuerso respectu. Nam localis dicitur, & est proprietate suæ naturæ, & manet semper: Illocalis autem, ratione personæ Filij Dei. Nam vna est & eadem numero humanitas, quæ localiter est in cœlo, & illocaliter in Deo & cum Filio Dei vnita: quod nemo sobrius, ne dicam pius, negare potest. Deus enim neque locus est, neque in loco. Eo ergo modo, quo aliquid in Deo, illocaliter in eo esse, necesse est. Quia in Deo locus non est: neque tamen propterea sequitur, quia illocaliter est in Deo: Ergo non potest localiter esse in cœlo.

Sic igitur verè cum Paulo & cum Christo dicere possumus, quòd eadem Christi humanitas sit in cœlo localiter & circumscriptiuè, hoc est, proprietate naturæ humanæ, quæ semper manet: qua illi ratione substantiæ in resurrectione conformes erimus: & simul illocaliter in terris cum Filio Dei, eo modo, quo in Deo, hoc est, cum Filio Dei personaliter vnita est.

Hic nulla implicatio contradictionis est: quia contraria non simpliciter, sed diuerso respectu, vni & eidem tribuuntur.

Fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.

Manifesta autem fallacia est à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, quando ad hunc modum vos argumentamini: Humanitas Christi non adest in terris physica locatione & circumscriptione: Ergo NVLLO MODO ADEST. Nam verè adesse iam demõstrauimus. Nullũ .n.

Chri-

Christum in terris credimus, qui tantùm Deus, & non quoque homo sit. QVOMODO autem adsit, diuinę potentiæ, sapientię & veritati tribuimus, qui dixit: EGO SVM VOBISCVM. Non dixit: Mea diuinitas est vobiscum.

Matth. 28.

D. BEZA.

Vnde veniet Christus?

D. IACOBVS.

E cœlis veniet.

D. BEZA.

Verbum ergo (implere) non ad præsentiam illam vniuersalem, sed ad consummationem officij Christi pertinet. Diuinitas implet omnia, humanitas non est omnipræsens.

D. IACOBVS.

Implere Paulo præsentiam, non consummationem officij significat.
Ephes. 4.
Matth. 1.
Luc. 24.

Simplicissimè nego, verbum (implere) hoc loco apud Paulum consummationem officij Christi significare. Scriptura enim, quando de impletione eorum loquitur, quæ ad officium Christi pertinent, addit: vt impleretur, quod scriptum est. Hic autem nullius Scripturæ fit mentio, quæ impleta sit, sed de descensu, de ascensu, & impletione pręsentiæ apertè dicitur.

Humanitas Christi non implet omnia, sicut diuinitas.

Deinde verum est, quòd humanitas non omnia impleat, sicut diuinitas, quia diuinitas se ipsa & proprietate suæ essentiæ, Humana autem natura, personali participatione & communicatione ipsius diuinitatis, sibi communicatę: In qua de circumscriptione humanitatis Christi nihil agitur, & communicatione huius maiestatis non aboletur. Quia hæc maiestas non est localis, ideoqúe & pręsentia eius maiestatis localis non est.

D. BEZA.

Circumscriptio humanæ naturæ in Christo eiusmodi præsentiam

sententiã non admittit, quæ solius Dei propria est, in quarto modo. Et humana natura secundum proprietatem suæ natura, vt manet finita & circumscripta, sic vno duntaxat loco continetur, neque simul in cœlo & in terris præsens esse potest.

D. IACOBVS.

Probes ergo VNO, VNO (inquam) saltem Scripturæ testimonio, quòd hoc veritas corporis non admittat, & credam tibi. Nam ego apertis verbis Scripturæ probaui, quòd humana natura capax & particeps facta sit TOTIVS plenitudinis diuinitatis: cur igitur non etiam huius præsentiæ? Deus enim, vt creaturæ præsens sit, extra se non egreditur.

D. BEZA.

Analogia fidei hoc probat & confirmat, quod non possit fieri.

D. IACOBVS.

De analogia fidei suprà satis est dictum, quòd contra nos non pugnet. Ego autem testimonium Scripturæ postulo, VNVM tantùm, quo id probes: sed nullum audio. Cùm igitur nullum possis producere, iudicium auditoribus relinquo. Spero autem, me satis demonstrasse, quia Christum sua humanitate supra omnes cœlos ascendisse Paulus testatur, vt impleret omnia; hoc de præsenti gubernatione creaturarum intelligi, & non de consummatione officij, quod illi à Patre in terris iniunctum fuit.

D. BEZA.

Mediatoris officium est, non solùm per passionem & mortem suam, nos Deo Patri reconciliare: sed etiam mediatorem agere in cœlis, vbi pro nobis apud Patrem adhuc intercedit. De mediatoris officio in cœlo.

Item, officium eius est, nos quoque accersere, vt cum ipso simus. Sicut scriptum est: Pater volo, vt vbi ego sum, sint etiam mecum, quos dedisti mihi, vt videant gloriam meam. Ioan. 17. *Hoc ante ascensionem Christi in cœlum, nondum impletum fuit: quod nunc Christus in cœlo implet, cuius causa etiam ascendit.*

D. IACOBVS.

Christus quomodo mediator & aduocatus noster in cœlo sit.

Quod ad mediatoris officium, & eius partes attinet, quorundam puerilis est cogitatio de Christo, si fingatur prostratus, vel supplex genibus, manibus expansis coram Patre pro nobis intercedere, & Patrem pro nobis deprecari, sed virtus mortis & resurrectionis, loco intercessionis perpetuò in Christo apparet coram Patre, & loco efficacissimæ orationis est coram Deo Patre, propter quod in vera fide atque fiducia in Christum, Patrem inuocamus, & petitiones nostras consequimur.

Quapropter quod Paulus dicit: Christum nunc post ascensum suum omnia implere: ad præsentiam & in cœlo & in terra, & ad regni administrationem refertur, quod à Patre super omnes visibiles & inuisibiles creaturas accepit: qui piorum miseriam, tanquam homo non eminus aspicit, sed præsentissimus videt, & eos contra malos defendit atque tuetur.

D. BEZA.

Ostende humanitatem factam esse Deitatem: & concedemus, eam quoque omnipræsentem esse.

D. IACOBVS.

Communicatio maiestatis non commutat humanitatem in Deitatem.

Nunc demonstraui participatione diuinę Maiestatis omnipręsentem factam: neq; tamen propterea in Deitatem conuersam, aut Deitatem factam esse. Tua autem Reuerentia proferat VNVM (VNVM inquam) Scripturæ testimonium, quo probet, quòd Maiestas diuinitatis propria, humanitati Christi realiter communicata, quam sacra Scriptura commendat,

mendat, sit donum creatum. Proba quæso, vno saltem testimonio, & contentus ero. Nam in sacris, salutem animarum nostrarum concernentibus, sine verbo Dei nihil affirmare aut negare debemus.

D. BEZA.

Ego ex analogia fidei probaui, quam sufficere puto: quæ docet, quòd Filius Dei veram humanam naturam cum omnibus essentialibus proprietatibus assumpserit, neque eam vnquam deponat. Præterea quia hæc maiestas donum est, ideo creata: siquidem omnia dona creata sunt.

D. IACOBVS.

Quòd hæc maiestas donum sit, nemo vnquam negauit: quia non est humanæ naturæ proprietas, sed à diuinitate Filij Dei humanæ naturæ accessit. Sed D. Beza demonstret, vbi scriptum sit in sacris literis, quòd sit creatum donum? Nam Christus nos non ad ratiocinationes humanas, sed ad Scripturam ablegat. Vbi scriptum est?

D. BEZA.

Totus Christus est vbique & omnipotens: sed non totum Christi. Tu semper confundis abstractum & concretum: & humanitati tribuis, quod homini tribuendum erat. Doce autem humanitatem factam Deitatem.

D. IACOBVS.

De illo trito & vulgari dicto: quòd totus Christus sit vbique, sed non totum Christi: quomodo verum aut falsum sit, & quomodo ad hoc negocium applicari possit, suprà à me satis dictum, sed à te non refutatum est. Similiter quoque ostensum est, nos abstractum & concretum minimè confundere. Vos autem pro concretis habere, quæ sunt abstracta, ad oculum demonstrauimus.

Sic quoque non opus esse, vt doceamus: Humanitatem Deitatem factam, satis dictum est. Quia hęc communicatio naturarum, ex communicatione maiestatis, nulla ratione sequitur, aut verè colligi potest.

D. BEZA.

Peto mihi probari, humanitatis Christi substantiam omnia implere.

D. IACOBVS.

Substantia humanitatis Christi omnia implet.

Causa vnica erroris & controuersiæ de præsentia humanitatis Christi in Cœna Domini, & de Vbiquitate.

Ego iam probaui. Non enim accidens, sed substantia humanitatis Christi ascendit super omnes cœlos, vt omnia impleret. Errat autem Dominus Beza (vt pace eius dicam) in eo, quòd putat humanitatem Christi sua substantia non omnia implere posse, nisi fiat physicè, localiter, & circumscriptiuè. Quæ opinio si vobis eximi posset, facilis in hac tota controuersia & expedita via ad concordiam esset.

Explicatio verborum Christi, Ioan. 3.

Filius hominis quando in terris cum Nicodemo loquebatur, (inquit Christus) est in cœlo. Non ait: Filius Dei, ne de sola diuinitate intelligatur: sed filius hominis. Non autem physicè, localiter, & circumscriptiuè fuit in cœlo, sed VNITATE personæ, sicut Augustinus loquitur: seu propter vnionem personalem, qua Christus humanitate sua non modò in cœlo, sed ipsis cœlis sublimior factus est. Heb. 7.

D. BEZA.

Aliud est filius hominis, aliud humanitas. Nam nos minimè negamus, filium hominis tum in cœlo fuisse, quando in terris cum Nicodemo loquebatur: sed humanitatem eius in cœlo fuisse, negamus.

D. IACOBVS.

Si verbis Christi, humanitati ipsius nihil tribuitur, cùm inquit: Filius hominis qui est in cœlo: tum etiam Petrus in

cœlis fuit, cùm in terris versaretur. Nam diuinitas, quæ in terris in ipso Petro est & habitat, ea quoque in cœlis erat. Vos autem per filium hominis nihil aliud, quàm Deitatem intelligere, suprà ex Thesibus vestris demonstrauimus. Sicut enim in enunciatione hac: Homo est omnipotens: per hominem, solùm Deitatem intelligitis humanitati vnitam: sic etiam per filium hominis, eandem diuinitatem duntaxat accipitis, vt sit hæc sententia: Filius hominis est in cœlo, id est, diuinitas (quæ cum humanitate vnita est, vnde Filius Dei Homo denominatur) est in cœlo. Quod nemo verè pius & intelligens probabit. Si enim hęc verborum Christi sententia fuisset, potuisset etiam aliter loqui.

Sed progrediamur etiam ad viuificationis communicationem: quæ non minùs propria diuinitatis est, quàm nunc commemorata propria. Puto enim auditores nostros satis intellexisse, quòd contra omnipræsentiam humanitatis Christi, nullum Scripturæ testimonium afferre, neque glossam verborum Pauli à vobis allatam, probare possis, qui tam apertè testatur: Christum sua humanitate super omnes cœlos ascendisse, VT OMMIA IMPLERET: quod nequaquam de impletione officij eius intelligendum est, sed de præsentia ipsius in administratione cœli & terræ apertè concionatur.

D. BEZA.

Nos de partibus tam prolixè disputamus, hoc est, de aliquot proprietatibus diuinitatis, an ea assumptæ naturæ communicatæ sint realiter: cùm nos paucis expedire possemus. Nam nisi probes, Humanitatem esse Deitatem factam: frustra de singulis attributis diuinitatis laborabis, vt eas assumptæ humanitati communicatas doceas.

D. IACOBVS.

Cur de singulis attributis diuinitatis, & eorum communicatione in persona disputemus, causam ab initio exposui. Cur de singulorum attributorum Deitatis communicatione disputetur.

Videlicet, vt auditores omnes intelligant, nos ex parte nostra, in nostris Ecclesijs & Scholis, humanitati Christi nihil adscribere, cuius non aperta & manifesta minimeq́ue dubia testimonia Scripturæ sacræ habeamus.

III I. De viuificatione & eius communicatione in carne Christi.

Inprimis verò necessarium est, vt de communicata virtute viuificandi certi simus: cùm in Cœna Dominica carnem Christi non aliam ob causam, quàm propter viuificationem, quęramus & sumamus. Non enim corpus Christi cibus ventris est, quod instar vitulinæ carnis per guttur in ventrem trajciatur: sed ore sumitur, vt sit nobis cibus æternę vitæ: quam Christus nobis sua passione & morte meruit.

Caro Christi vnde viuifica effecta sit.

Hanc virtutem autem non habet Christi caro per se, sed participatione seu communicatione diuinitatis τοῦ λόγου, id est, Filij Dei. Quoniam solius Deitatis est viuificare: quid enim magis Deus proprium habet? aiunt ducenti Patres Synodi Ephesinæ. Ad hunc ergo modum argumentor.

Confirmatio, carnem Christi viuificam esse.

Si caro Christi est viuifica: participatione virtutis solius Deitatis propriæ viuificat. Sed caro Christi verè est viuifica. Ergo participatione virtutis diuinitatis propriæ viuificat. Vel:

Quicquid realiter viuificat, ei virtus Deitatis propria communicata est. Sed caro Christi verè & realiter viuificat. Ergo carni Christi virtus diuinitatis propria communicata est.

Maior probatur: quia solius Dei proprium est, viuificare: quod à nemine negatur.

Ioan. 6.

Minor probatur Ioan. 6. Caro mea verè cibus est. Non autem cibus ventris, sed vitę æternæ.

D. BEZA.

Si commuuicationem pro vnione accipis, quòd caro Christi vnita sit cum virtute viuificandi: quæ est diuinitatis propria: concedo totum argumentum.

Interim verò non negamus, carnem Christi etiam verè viuificam esse, Quia Filius Dei in illa carne & per eam imple-

impleuit & perfecit omnia, quæ nobis ad consequendam vitam æternam necessaria fuerunt. 1.

Deinde etiam eam ob causam, quia cum carne nostra est ὁμοούσιος, id est eiusdem substantiæ: & nos non nisi communicatione illius carnis, quam in suæ personæ vnitatem assumpsit, membra Christi efficimur, qui caput corporis est: vnde vita in nos promanat. 2.

Caro Christi, quomodo secundum opinionem D. Bezæ sit viuifica.

Quod autem carni Christi vis & virtus aliqua insit viuificandi, propter quam vim communicatam viuifica facta & viuificare dicatur: hoc nos pernegamus. Qua in parte sententiam nostram Cyrillus confirmat, lib. 6. de Trinit. Docebat nullam aliam rem & creaturam viuificare posse, etiamsi intelligatur esse caro Christi, SECVNDVM QVOD CARO EST, nisi solam Deitatis naturam.

An in carne Christi insit vis viuificandi.

Quibus Cyrillus non carni Christi, sed soli diuinitati hanc vim atque virtutem, tanquam Filij Dei propriam & incommunicabilem tribuit.

D. IACOBVS.

Peto vt mihi exhibeantur eadem verba Cyrilli denuò recitanda, quæ cum nostra sententia prorsus nihil pugnant. Eadem enim à Cyrillo non semel posita, sed aliquoties & copiosè repetita & inculcata sunt.

Caro Christi quomodo non dicatur viuifica.

Si enim diuinitas & caro inter se ratione proprietatum suarum conferantur: solius diuinitatis ita proprium est viuificare, vt etiam caro Christi hac virtute indigeat, qua se ipsam viuificare non potest, sed à diuinitate vitam accepit, vt ipsa quoque viuat. Quapropter si naturæ carnis proprietatem consideres, ea nunquam est, nunquam fuit, nunquam erit viuifica, sed ipsa viuificatione indiget. Quid vis amplius? Si verò eandem carnem in vnione & ratione vnionis personalis in Christo cõsideres; non solùm viuit in Deo, sicut nos viuimus, qui

Falsa est limitatio in corpore seu carne Christi. Cum respectu naturæ suæ propriæ consideratur. Et respectu unionis personalis consideratur. Omnia caro Christi [illegible] in statu exinanitionis et in statu gloriæ seu exaltationis semper et ubique fuit personaliter unica. Unde [illegible] valet limitatio caro Christi quæ absolute per se seu respectu naturæ propriæ consideratur hoc modo enim [illegible] minime considerari potest.

Act. 17. v. 28.

qui nobis omnibus vitam prestat, sicut scriptum est: In ipso viuimus, mouemur & sumus: sed etiam virtutem viuificandi IN SE habet, à diuinitate sibi communicatam. Sicut scriptum est, Ioan. 5. Dedit Filio vitam habere IN SE IPSO, & potestatem dedit ei etiam facere iudicium, *QVIA FILIVS HOMINIS EST.* Quæ vis nulli aliàs cœlesti aut terrestri creaturæ communicata est. Sicut scriptum est: Primus homo Adam factus est in animam viuentem: Extremus Adam in *SPIRITVM VIVIFICANTEM.*

Cyril. in Ioan. lib. 4. cap. 23.

Cyrilli perpetua sententia de viuifica carne Christi.

Et hanc esse Cyrilli perpetuam sententiam, qui suorum verborum optimus interpres est, ipsius apertissimis verbis demonstrabo, quæ sic sonant: Non imperitè omnino *VIVIFICAM CARNEM* esse negatis. Nam si SOLA intelligatur, NIHIL prorsus viuificare potest, quippe quæ viuificante indigeat. Cùm verò incarnationis mysterium laudabili cura scrutati fueritis, & habitantem IN CARNE cognoueritis: Quamuis *NIHIL PENITVS CARO, PER SE IPSAM, POSSIT, VIVIFICAM TAMEN FACTAM ESSE CREDETIS.* Nam quoniam cum viuificante verbo *CARO* cõiuncta est, *TOTA VIVIFICA EFFECTA EST.* Non enim ad corruptibilem suam naturam, iunctum DEI *VERBVM* detraxit, sed *IPSA AD MELIORIS VIRTVTEM ELEVATA EST.* Quamuis ergo *NATVRA CARNIS, VT CARO EST,* viuificare nequeat: facit tamen hoc, *QVIA TOTAM VERBI OPERATIONEM* suscepit. Corpus enim est, non cuiusuis hominis, cuius caro prodesse quicquam non potest: (Non enim Pauli, aut Petri, aut cæterorum) sed ipsius VITÆ & saluatoris nostri Iesu

NB.

Christi CORPVS, IN QVO plenitudo Deitatis habitat corporaliter, facere hoc potest. Nam si mel cùm naturaliter dulce sit, ea dulcia facit, quibus immiscetur: non'ne stultum erit, viuificam verbi naturam putare non dedisse Homini, in quo habitat, viuificandi virtutem? Quas ob res caro quidem cęterorũ omnium, NIHIL prodest: CHRISTI AVTEM CARO, quia in ipsa vnigenitus Filius Dei habitat SOLA viuificare potest. Hactenus Cyrillus.

Hæc

Hęc Cyrilli verba tam manifesta, perspicua, & aperta sunt, vt nulla glossa indigeant, neque glossam tuam admittant. Quibus apertè testatur, carni Christi vim & virtutem viuificandi communicatam inesse, qua non modò ipsa viuat, sicut Petrus & Paulus, sed alios quoque viuificare posit. In quam sententiam, quàm plurima similia eius dicta reperiuntur, quorum pauca quędam recitabimus.

De viuifica carne Christi testimonia Cyrilli.

In Ioan. lib. 3. cap. 17.

Hæc doctrina Cyrilli D. Iacobus ex scheda recitauit.

Viuificat corpus CHRISTI, & ad incorruptionem sua participatione reducit. Non enim alterius cuiusdam, sed ipsius VITÆ CORPVS EST, virtutem Verbi incarnati retinens, & plenum potestate illius, quo & vniuersa sunt & viuunt.

Idem cap. 18. lib. 4. in Ioan.

CORPVS MEVM VITA REPLEVI: mortalem carnem assumpsit: Sed quia naturaliter VITA EXISTENS, habito in ipsa: *TOTAM AD VITAM MEAM REFORMAVI.*

Ibid. Cap. 24.

Item: NATVRA CARNIS ipsa PER SE viuificare non potest: quid enim maius natura Deitatis haberet? Nec SOLA ESSE in Christo intelligitur, sed habet Filium Dei sibi coniunctum, *QVI CONSVBSTANTIALITER VITA EST.* Quando igitur viuificam Christus carnem suam appellat, *NON ITA ILLI, VT SIBI,* siue proprio spiritui vim viuificandi attribuit. Nam propter seipsum spiritus " viuificat, *AD CVIVS VIRTVTEM CARO* per coniun- " ctionem conscendit. QVOMODO autem id fiat, nec men- " te intelligere, nec lingua eloqui possumus, sed silentio AC " FIRMA FIDE ID suscipimus.

Lib. 10. in Ioan. cap. 13.

Idem: Caro vitę facta vnigeniti caro, *AD VIRTVTEM VITAE TRADVCTA EST.*

Vis viuificandi aliter in diuinitate, aliter in humanitate Christi.

Quibus verbis Cyrillus vim viuificandi carni Christi non solum attribuit, sed simul quoq; diuersitatis rationem ostendit, quòd aliter VERBO, seu Filio Dei, aliter carni tribuatur. Verbo tanquam essentialiter & naturaliter propria: carni autem, quia Verbo personaliter iuncta est.

Expedita via ad sanctam concordiam.

Vtinam verò exemplum Cyrilli pariter omnes sequeremur, & id firma fide susciperemus, quod neque mente intelligere, neque lingua eloqui possumus. Sic pia, sancta, & Deo grata concordia in hoc summo fidei Christianæ articulo facilè constitui posset, imò iam constituta esset.

Nam si caro Christi, VT CARO EST, consideretur etiam in Christo, tam non viuificare potest, quàm mea, aut alterius hominis caro: quoniam essentiæ nostræ carnis, excepto peccato, per omnia similis est. Sed quoniam cum diuinitate Filij personaliter vnita est, QVI VITA EST: inde hanc vim (sicut Cyrillus loquitur) hausit, vt ipsa quoque huius VITÆ communicatione, verè & realiter effecta sit viuifica.

D. BEZA.

Cyrillus in omnibus commemoratis dictis carni Christi viuificam virtutem & vim illam tribuit, quia PER illam oportet nos fieri membra Christi: quod nobis Christus sua paßione & morte in CARNE ET PER CARNEM promeruit, & caro ex carne nostra, & os ex oßibus nostris factus est.

Deinde nego, quòd verbo [HAVRIENDI] aliquam vim in carnem Christi effusam intelligat: sicut tu vis, carnem extra Deitatem VIM VIVIFICANDI IN SE habere à diuinitate effusam, qua non minùs, quàm ipsa Deitas, propria sua virtute viuificet. Quod nos non concedimus, sed prorsus negamus. Vis enim viuificandi ita Deitatis propria est, vt neq; carni Christi, neque vlli creaturæ communicari poßit, nisi in Deitatem conuertatur.

D. IACOBVS.

Quòd in commemoratis testimonijs & dictis non ratione meriti, Cyrillus carnem Christi viuificam appellet, sed

vim

vim & virtutem viuificandi, adeoq́ue operationem diuinitatis propriam carni Christi per inhabitationem communicatam tribuat: ad iam commemorata Cyrilli dicta auditorem remittimus, & ipsius iudicio committimus. Verba enim Cyrilli clariora esse non possunt.

Deinde, quòd D. Beza de vi seu virtute viuificandi in carnem Christi effusa loquitur, quasi à substantia diuinitatis τοῦ λόγου, seu Filij Dei separata & perinde in humanitatem assumptam effusa sit, ac si quis oleum ex vno vase in aliud effundat: sciat, hanc opinionem vel cogitationem nobis in mentem nostram nunquam venisse.

Carnis Christi vis viuificandi non est à diuinitate separata.

Vna enim est vita, vis & virtus viuificatrix seu viuifica in Christo, videlicet, æterna illa infinita diuinitatis propria & essentialis, & non duæ, vna æterna essentialis diuinitatis propria, altera creata, & à diuinitate essentiali separata, in humanam naturam effusa, qua humanitas IN SE ITA sit effecta viuifica, sicut Filius Dei IN SEIPSO viuificam virtutem habet. Absit, inquam, à nobis, vt tale quid de Christo homine vnquam cogitauerimus, ne dicam crediderimus, dixerimus, aut scripserimus. Quemadmodum suprà quoque de duplici, æterna, increata, & de creata diuinitate & omnipotentia diximus: quæ omnia nobis falsò tribuuntur.

Vna vis viuificandi in Christo.

Sed dicimus: vitam, vim & virtutem viuificandi diuinitatis propriam & essentialem, humanæ naturæ Christi per vnionem personalem, & cum Verbo coniunctionem realiter communicatam esse, vt nunc post vnionem factam & glorificatam humanam naturam hæc vita, quæ ipse λόγος Filius Dei est, non ita distinctè agat, vt huius operationis vis, non sit humanitati communicata: sed quòd caro Christi agat & operetur vitam, & viuificationem reali & vera communicatione virtutis viuificandi.

Vis viuificandi Deo essentialis, carni Christi communicata.

Viuificationis vis opus totius Christi est.

Sic Synodi Ephesinę Patres docent, nos ad Eucharistiam percipiendam accedere, & carnem Christi manducare non tanquam communis alicuius, aut etiam sanctificati hominis corpus, sed ipsius vitæ proprium corpus, quod propter hanc communicationem virtutis viuificandi, quam in SE habeat, etiam vere viuificus cibus sit. Sine qua reali communicatione manducatio corporis Christi in Cœna Domini, quę fit ore, mera Capernaitica κρεοφαγία & cyclopica laniena carnis Christi esset: cuius Nestorium Patres accusarunt, ipse vero reus esse noluit, quod solum de communicatione propriorum humanitatis contenderit.

Caro Christi quomodo IN SE vitam habere dicatur.

Verba Patrum Ephesini Concilij sic sonant: Accedimus itaque ad mysticas benedictiones, & sanctificamur, participes sanctæ carnis & pretiosi sanguinis omnium nostrum Saluatoris effecti: & non quasi carnem communem percipientes, quod absit, neque etiam vt viri sanctificati, & Verbo coniuncti secundum dignitatis vnitatem, aut sicut diuinam possidentis inhabitationem: SED VT VERE VIVIFICATRICEM, & ipsius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter VT DEVS existens, quia vnum cum carne sua, viuificatricem eam professus est. Et ideo quamuis dicatur ad nos: Amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis: non tamen eam vt hominis VNIVS ex nobis existimare debemus. Quomodo enim IVXTA NATVRAM SVAM viuifica esse poterit caro hominis? SED VT VERE PROPRIAM EIVS FACTAM, qui propter nos filius hominis factus est. Hactenus verba Patrum Ephesini Concilij.

Preterea meminerint auditores Colloquij, phrasin (IN SE) suprà à nobis explicatam, quæ ambigua est, cùm dicitur: quod caro Christi IN SE virtutem viuificandi habeat, vel non habeat. Aliàs enim intelligitur tanquam eius rei proprium, cui hac phrasi tribuitur: qua ratione sola diuinitas vim illam IN SE habet: aliàs vero significat communicatam, sicut Paulus de Christo: In ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, hoc est, IN CARNE

EIVS:

EIVS: sicut omnes Orthodoxi Patres interpretantur. Plenitudine autem diuinitatis quoque vitam, seu vim viuificandi contineri, nemo dubitat. Ideo etiam carnem Christi IN SE habere vitam, verè & rectè dicitur, etiamsi diuinitas eam aliter in se habeat, quàm humanitas aut caro eius in se habet. Et sic quoque Scriptura, imò Christus ipse, loquitur, cùm inquit: Dedit filio habere *VITAM IN SEMETIPSO*, Ioan. 5. & potestatem dedit ei etiam iudicium facere, *QVIA FILIVS HOMINIS EST*.

Cùm igitur Christus vitam dupliciter in se habeat, videlicet, tanquam Deus & tanquam homo: ideò operatio viuificationis *NON DISTINCTE* vni tantùm naturæ, id est, solùm diuinitati, neque soli humanitati, sed vtrique simul tribuitur. Et quidem vtrique IN SE, sed diuinitati duntaxat PER SE, humanitati autem duntaxat propter coniunctionem cum Verbo ascribitur.

Viuificandi vis quomodo vtrique naturæ communis.

Hac ambiguitate phraseos explicata, omnes intelligunt, communicatione viuificationis in carne Christi, Deitati nihil adimi, quod ipsius proprium est: neque humanitati quicquam tribui, cuius capax aut particeps non sit facta. Et sic Christus totus, Deus & Homo, viuificationem in mysterijs operatur.

Quia verò vestræ Theses apertè habent, quòd vis illa viuificandi diuinitatis propria, non sit assumptæ naturæ communicata: quæro, & peto saltem VNVM sacræ Scripturæ testimonium à te proferri, quo probetur, vim illam viuificam in carne Christi, non diuinitatis propriam, sed quiddam creatum esse?

D. BEZA.

Quod proprium est, cõmunicari non potest. Vis illa viuificandi & virtus, de qua tu loqueris, est diuinitatis propria. Ideo humana naturæ assumptæ non potest communi-

An carni Christi vis viuificandi diuinitatis propria, sit communicata.

cari. Si enim commune est, proprium esse desinit. Si proprium manet, communicari non potest. Quando homo Christus, Iehoua dicitur: vis viuificandi ei tribuitur. Ideq; non negamus homini tribui: sed humanitati tribui, non dicimus, aliâs humanitas esset Iehoua, aut diuinitas: quod mihi probari cupio.

D. IACOBVS.

Ratiocinationem & glossam tantùm, sed nullum Scripturæ testimonium audio, quo probetur, vim viuificandi IN CARNE Christi, esse quiddam creatum, & non ipsius diuinitatis propriam vim & virtutem. Peto igitur VNVM tantùm Scripturæ testimonium, quo id probetur, aut probari possit.

Cyrillus abstractis vocabulis de communicatione viuificationis vtitur.

Deinde ex Cyrillo quatuor aut quinque aperta produxi testimonia, in quibus vim viuificandi carni Christi ascribit. In quibus non concreto vocabulo, vt vos vocatis (hominis) sed abstracto (carnis) vtitur. Caro (inquit) Christi, corpus Christi, natura carnis, viuificat. Corpus vitæ ad vitam Dei reformatum est: caro ad virtutem vitæ reducta est, & conscendit, &c.

D. BEZA.

An propria communicari possint, vt tamen propria maneant.

Quod proprium est, nullo modo communicari, & cum altero commune esse potest, nisi desinat esse proprium. Commune enim & proprium opponuntur, neque simul consistere, aut de vno & eodem prædicari possunt.

D. IACOBVS.

Communicatio propriorum qualis sit.

Simile de ferro ignito.

Propria sine omni confusione communicari posse, suprà similitudine ferri igniti ad oculum demonstratum est. Etenim ignis vim lucendi & vrendi ferro communicat, quæ sunt & manent ignis proprietates, neque vnquam ferro, sicut igni insunt: ferro tamen verè & realiter communicantur, & insunt pro vnionem, quorum communicatione ferrum efficit, quod sine hac communicatione præstare non posset. Neque prope-

propterea tamen vis lucendi & vrendi fit ferri propria, aut desinit esse ignis propria.

Sic operatio viuificationis, seu vis illa & virtus viuificandi, manet diuinitatis propria, neque vnquam fit humanitatis Christi propria: eidem tamen nihilominus verè & realiter communicatur. Caro enim Christi non viuificat naturali aliqua insita inseparabili virtute viuificandi creata, sed virtute diuinitatis propria sibique communicata agit, quæ ipsa agit diuinitas. Nam à diuinitate non potest separari hæc vis viuificandi, quoniam essentialis, & essentialiter Dei propria est. Sed si diuinitas à carne Christi separaretur (quod tamen nunquam in æternum fiet) vis illa viuificandi à carne Christi quoque separaretur. Sicut à corpore separantur omnes virtutes & operationes animæ, quando ea à corpore separatur. Quod puto omnes auditores intelligere posse.

D. BEZA.

Tu probes: humanitatem Christi factam esse Deitatem, tum probasti quoque, & ego etiam cõcedam, eam in se vim & virtutem viuificandi habere, sicut Deitas habet.

D. IACOBVS.

Cùm nullum prorsus Scripturæ testimonium contra nos etiam de communicatione attributi, viuificationis Diuinitatis propriæ, à te afferri posit, quod carni Christi secundum aperta verba Christi, & Patrum testimonia minimè dubia, communicatum esse, manifestè demonstrauimus: ad postremum attributum Dei accedamus, quod est *RELIGIOSA ADORATIO*. Et probabimus, eam quoque carni, seu humanitati Christi verè & realiter cõmunicatam esse: quam nisi quis *VNA ADORATIONE*, cum Filio, tanquam verum obiectum adorationis inuocauerit, eum personæ Christi vnitatem soluere, & cum Nestorio naturas in Christo separare, constanter & intrepidè asserimus. Sic autem argumentor.

V. De religiosa adoratione carnis seu humanitatis Christi.

Quis-

Syllogismus. Separatio adorationis, separat naturas in Christo.

Quisquis adorationem in Christo ad solam Deitatem dirigit, ille naturas separat, & personalem diuidit. Vos docetis: adorationem religiosam ad solam Deitatem, tanquam ad obiectum adorationis vnicum, dirigendam esse. Ergo naturas in Christo cum Nestorio separatis, & personam eius diuiditis.

D. BEZA.

D. Bezæ vnũ & perpetuum responsum ad quæstionem de communicatione attributorum Dei.

Nemo nostrûm docet: hominem Christum non esse adorandum: sed duntaxat negamus, humanitatem adorandam esse. Nam aliud est homo, & aliud humanitas. Homo Christus adorandus, quia est DEVS. Humanitas autem, seu caro Christi, non est Deus: ideoq́ etiam non est obiectum adorationis, etiamsi λόγῳ personaliter sit vnita. Totum Christum adoramus, sed non Totum Christi, id est, humanitatem cum Deitate. Quod similitudine explicabimus.

Simile de rege coronato, purpurato, & sceptrum tenente.

Regem vel Principem adoro purpuratum, coronatum, dextra tenentem sceptrum. In illa adoratione non respicio vel ad coronam, quam in capite gestat: aut ad purpuram, qua indutus est: aut ad sceptrum, quod manu tenet: nec tamen separo coronam, purpuram, aut sceptrum à Rege. Sic in adoratione religiosa Christi, inuocationem nostram dirigimus ad Filium Dei, id est, ad diuinitatem eius, tanquam ad vnicum proprium obiectum religiosæ adorationis, & non ad humanitatem eius: nec tamen humanitatem à Deitate Filij Dei separamus. Naturas enim & earum proprietates distinguimus, non separamus.

D. IACOBVS.

Reuerende D. Beza, non modò dignitatem tuam, sed inprimis Illustrissimum Principem Comitem Fridericum, & cæteros Dominos auditores, submissè & reuerenter oro, vt patien-

patientes mihi aures præbere velint, donec ex libro, quem in manibus habeo, pauca quædam recitauero.

Eſt autem liber Lamperti Danæi, Geneuæ, Anno Chriſti 1581. typis excuſus, cuius Titulus eſt: Examen libri D. Kemnitij, de duabus naturis in Chriſto, in quo ſequentia verba leguntur, quę breuiter recitare volo.

Lamperti Danæi blaſphema doctrina de religioſa adoratione carnis Chriſti. Pag. 415.

Primùm igitur noſtra ſententia eſt breuibus explicanda, iſta nimirum: Totum quidem Chriſtum à nobis adorari & inuocari, ne perſonam Chriſti (quę eſt vnica ex vtraque natura conſtans) diuidamus, ſeu ſeparemus: Non autem IN TOTVM CHRISTI adorationem propriè dirigi, ne naturas, quæ in ea inconfuſæ manent, confundamus, aut humanam diuinæ exęquemus. Noſtra enim illa & adoratio, & inuocatio, propriè & per ſe neque fertur, nec dirigitur *IN IPSAM CHRISTI* carnem, ſeu humanã naturam, *SED IN IPSAM CHRISTI DEITATEM*, non quidem quę ſubſiſtat ſeorſim & ſeparatim extra naturam humanam aſſumptam (quod ſenſit Neſtorius, & Cyrillus in Anathematiſmis refutauit) ſed quæ cum eadem aſſumpta natura in vna perſona ſemper coniuncta, & copulata maneat. Quemadmodum enim laudantes quempiam (exempli gratia Apollo, illum Pauli Apoſtoli συνεργὸν) vt εὐλόγιον, & maxima ratiocinandi, intelligendiq́ue facultate præditum, totum quidem ipſum hominem, qui animo & corpore conſtat, laudamus, nominamus, prædicamus: ratiocinationis tamen iſtius, ac intelligentiæ laus, & prædicatio *AD ILLIVS DVNTAXAT ANIMVM PERTINET ET RESPICIT*, qui non ſeparatim & per ſe, ſed vnà cum ſuo corpore manet nihilominus coniunctus. Sic totum quidem Chriſtum (qui Deus & homo eſt) adorantes & inuocantes, tamen propriè & per ſe illam laudem, inuocationem, & adorationem, *NON AD TOTVM CHRISTI, SED AD EIVS DEITATEM REFERIMVS, ET INTVEMVR*: quanquam non ἀνὰ μέρος ſubſiſtentem, id eſt, non extra humanã naturam hypoſtaſin ſuam ſeorſim habentem. In ſumma igitur, dum Chriſtum adoramus, & inuoca-

Religiosam adorationem ad carnem Christi etiam in ipsa vnione non dirigendam esse. NB. ☞

mus (hic autem de religioso cultu, id est, religiosa, non autem ciuili adoratione, & inuocatione agimus, de quo nobiscum consentit Kemnitius) ad ipsam Christi carnem ETIAM IN ILLA VNIONE PERSONAE MANENTEM, propriè & per se NON DIRIGITVR, AVT SPECTAT NOSTRA illa INVOCATIO, ET ADORATIO. Atque huius nostrę sententię hę sunt è multis aliquot rationes.

1. Qui in hominem Christum confidit, & eum adorat: maledictus est, secundum Danæum.

Prima. Maledictus (ait, ex ipsa Dei persona loquens, Propheta) vir ille, qui fiduciam habet in homine, et statuit carnem brachium suum, Iere. 17. 5. Caro autem Christi, est vera caro, & homo Christus, verus homo. Qui autem religioso cultu quempiam hominem adorat, aut inuocat, ille fiduciam suam in eo habet, quem ita inuocat & adorat. Quare, qui ad ipsam Christi carnem suam adorationem dirigit, is ex ipsius Dei ore maledictus est.

2. Carnem Christi adorantes Idololatræ sunt, secundum Danæum

Secunda. Ii sunt veri Idololatræ, qui seruiunt, id est adorant, seu inuocant eos, qui natura non sunt Dij, Galat. 4. At caro Christi non est natura Deus, quamuis sit vero Deo hypostaticè vnita. Ergo qui ad eam propriè dirigunt suam inuocationem, sunt veri Idololatræ. Hæc autem vox NATVRA, tanti est in hoc loco Pauli momenti, vt etiamsi verum esset Kemnitij de reali comunicatione essentialium Deitatis proprietatum in naturam humanam assumptam commentum, tamen propterea carnem Christi esse obiectum adorationis, non efficeretur: quia gratia, non natura esset Deus.

Caro Christi an obiectum adorationis.

3. Carnem Christi adorantes, secundum Danæum damnati.

Tertia. Qui conseruos suos, & qui sunt ex fratribus, religioso cultu adorant vel inuocant, ij ab ipso Spiritu sancto per angelum reprehenduntur, & damnatur, Apocalip. 19. versu 10. 22. versu. 8. At Christus, qua homo, est conseruus, & vnus ex fratribus nostris, licet primogenitus. Ergo qua homo, non est adorandus vel inuocandus Christus.

4. Quarta. Solus Deus est adorandus, Apoc. 19. versu 10. Caro verò Christi non est Deus. Ergo.

5. Quinta. Qui creaturam inuocat, aut adorat cultu religioso, est

so, est in Deum blasphemus, Deut. 4. 6. 10. 17. Matth. 4. versu 10. Caro Christi etiam glorificata, & in vnione personæ Christi manens est creatura, Augustinus in Iohannem Ser. 58. *ERGO QVI AD EAM SVAM ADORATIONEM DIRIGIT, DEVM BLASPHEMAT.*

Carnem Christi adorantes, secundum Danæum sunt blasphemi.

Auditu horrendum.

6. Paulus, quum Christum ait esse adorandum, explicat, cuius naturæ ratione id illi tribuendum sit, appellans eum Deum, Rom. 9. 5. Ergo Christus, qua Deus, & NON QVA HOMO, est adorandus.

7. Ait Dominus Isai. 43. Gloriam meam alteri non dabo. Caro Christi non est Deus. Ergo gloria Dei non est illi danda. Est autem hæc gloria Dei, adoratio religiosa.

Gloria adorationis, humanitati Christi non est communicata, secundum Danæum.

8. Hic olim fuit Nestorij error, vt Christum, quà homo est, vnà cum Verbo doceret esse adorandum. Ergo Nestorianus est, qui idem hodie docet, & vrget.

Falsum.

9. Patres Orthodoxi omnes docent: Nostram inuocationem & adorationem NON in ipsam carnem Christi *ETIAM IN HYPOSTASI* Filij Dei *MANENTEM, DIRIGENDAM ESSE, SED IN IPSAM* Filij Deitatem. Ergo Patribus Orthodoxis, & piæ, eruditæq́ue vetustati ac Ecclesiæ contradicit, qui vult & sentit, & dicit, cùm Christus adoratur, aut inuocatur, *IPSAM CHRISTI CARNEM ESSE QVOQVE* huiusmodi adorationis, & inuocationis obiectum. Et paulò pòst: Quî verò id fieri, obsecro, potest, vt, vt si humana Christi natura, religioso cultu, velut & diuina, colatur ac adoretur, non sit ipsa quoque diuina seu Deus? & per consequens, vt iam salua maneat naturarum differentia? Et paulò pòst: Primum omnium laborat (Kemnitius) partim in solidissimo & inuicto illo fundamento dissoluendo, quo dicitur: Nullam creaturam esse adorandam: partim in illa verissima, & aptissima de diademate, quo Rex ornatur, quodq́ue cum ipso Rege salutatur, similitudine eludenda. Ait igitur (Kemnitius) non esse adorandam carnem Chri-

Falsum.
Contrarium omnes Patres docent.

Caro Christi an adorationis obiectum.
Pag. 419. NB.

Ratiocinatio humana falsa & impia.

Pag. 420.
Vnicum fundamentum Danæi, contra religiosam adorationem carnis Christi.

Christi EXTRA VNIONEM. Sed quis hoc vnquam dixit, aut sensit? Imò Patres ipsi, quorum testimonia protuli, ad carnem Christi, etiam in vnione manentem, negant dirigendam esse adorationem nostram, idq́ue apertè. Petit igitur principium Kemnitius, & Patres peruertit, dum vult eorum sententias in suam sententiam contorquere, qui tam perspicuè docent: ne vnitam quidem λόγῳ carnem in Christo esse obiectum nostrae illius adorationis. Ratio est: quoniam caro Christi, ETIAM IN VNIONE, vera caro est, & verè creatura. Ideoq́ue *NVNQVAM RELIGIOSO CVLTV ADORANDA*. Hactenus verba Danaei, ex eius libro recitata.

Caro Christi etiam in ipsa vnione non adoranda, si Danaeo credimus.

Ne vnita quidem caro cum Verbo, obiectum adorationis religiosae.

Horrendum auditu.



Scripsit quoque in libello, haud ita pridem etiam Geneuae impresso, cui titulus est: Assertio, &c. cogitationem de humanitate Christi in religiosa adoratione non modò non necessariam, sed etiam *PROCVL AB EA REMOVENDAM, NE CVLTVS*, qui soli Deo debetur, ei quoque tribuatur. Verba eius sunt: Nulla verò carnis aut humanę naturę cogitatio necessaria est: Imò *PRORSVS REMOVENDA* à religiosa Dei diuinęq́ue naturę etiam IN CHRISTO IPSO adoratione. Quoniam hic HONOS SOLI DEO debetur. Deut. 6. Matth. 4. Hactenus Danęi verba.

In religiosa adoratione Christi, cogitatio de humanitate Christi, procul remouenda secundum Danaeum,

NB.

Pag. 38. 39.

Hęc verba, Princeps Illustrissime, & Auditores humanissimi, humiliter & obnixè oro, vt diligenter expendantur. Quorum haec sententia est: quòd in religiosa adoratione & inuocatione Christi, omnis cogitatio ad solam diuinitatem, tanquam vnicum obiectum adorationis religiosę, sit dirigenda, vt QVÆ VNA sit religiosę adorationis obiectũ. Quisquis autem diuinitatem & humanitatem Christi in religiosa adoratione & inuocatione eius coniunxerit, & haec duo simul obiectum adorationis dixerit, vt non solum in diuinitatem, sed etiam in assumptum hominem confidat, & vna religiosa adoratione inuocet: hunc ex ore Dei maledictum, Idololatram, blasphemum, & damnatum esse: quia creaturae hono-

Opinio blasphema Danaei de adoratione Christi.

honorem tribuat, qui soli Deo & diuinitati tribuendus sit. Ac ne quis putet, quum dicit: Humanam naturam NON PROPRIE & PER SE obiectum religiosæ adorationis esse: eum hoc intelligere de humana natura sine respectu vnionis considerata, & quasi separata: se ipsum disertis verbis explicat, quid his vocabulis (propriè & per se) significari aut intelligi velit, videlicet, quòd humana Christi natura NVLLO MODO obiectum sit adorationis, *ETIAM IN IPSA VNIONE* cõsiderata: quia sit creatura, & *NON NATVRA* Deus: quia etiam in ipsa vnione creatura, permaneat, ideoq́ue sine Idololatria NVNQVAM inuocari poßit. Quapropter disertè, & expreßis verbis ponit: *NVNQVAM RELIGIOSO CVLTV ADORANDA.* Me nihil calumniari, sed bona fide verba eius recitasse, & eorum sententiam breuiter explicare, minimè corruptam aut deprauatam, ipsius apertißima nunc recitata verba docent. Hæc Illustriß. Princeps, & auditores humaniß. doctrina de adoratione Christi, auditu valdè horrenda est. Quòd videlicet in homine Christo non sit confidendum: quisquis autem id fecerit, eum ex ore Dei maledictum esse: Neque eundem in tentationibus, cruce, & afflictionibus, à nobis inuocandum: Cùm tamen summa consolatio nobis in homine Christo, seu ipsius humanitate reposita sit, quoniam sine hoc Mediatore nullus nobis ad Deum in precibus nostris accessus pateat. Mediator autem non est Filius Dei solus sine sua humanitate: sed quoties de Mediatore cogitamus, toties quoque ipsius humanitas in mentem veniat pijs cogitationibus, necesse est. Sicut scriptum est: Vnus est Deus, vnus etiam Mediator Dei & hominum, *HOMO IESVS CHRISTVS.*

Quid intelligat Danæus per vocabula, propriè & per se.

Horrenda & abominanda doctrina Danæi de adoratione Christi.

1. Tim. 2.

Eum igitur adorando, non solùm cum diuinitate eius loquimur, sicut Danæus falsò & impiè docet, remota humanitate (quantumuis à diuinitate inseparata, sed cogitatione duntaxat seposita, ne particeps fiat huius honoris & cultus) sed ad ipsum humanum Spiritum Christi tanquam ad verum

rum quoque huius religiosæ adorationis obiectum, vna & minimè separata oratione inuocationem nostram dirigimus, tanquam ad Pontificem, qui secundum carnem tentatus, nostris tentationibus affici, & nobis credere & auxiliari potest, vt Apostolus loquitur.

Hebr. 2. 4.

Etsi enim humana eius natura est & manet creatura, etiam in ipsa vnione: Dominus tamen eam in vnitatem personæ suæ assumptam, & ad dexteram virtutis & Maiestatis Dei collocatam, honore suo proprio religiosæ adorationis dignatus est, vt cogitationibus à religiosa adoratione Filij Dei non remoueatur, sed non minùs in illam, quàm in ipsam Deitatem dirigatur, QVIA cum Filio Dei personaliter vnita, & in thronum Dei proprium, ad dexteram Patris omnipotentis collocata est.

Actor. 7.

Quemadmodum etiam Stephanus fecisse legitur, cùm videret Christum ad dexteram Dei stantem, orauit: DOMINE IESV suscipe spiritum meum. Stephanus diuinitatem non vidit. Ideoq́ue non ad solam Deitatem, sed etiam ad illum hominem, quem vidit ad dexteram Dei stantem, tanquam ad obiectum verum suæ adorationis, quem verum Deum esse credidit, suam inuocationem direxit, & ab humanitate eius inuocationem non auertit. Ita nos quoque non seorsim Deum, & seorsim hominem, sed vna adoratione Totum Christum inuocamus: qui Totus, Deus & homo, obiectum adorationis est religiosæ, diuinitatis quidem propriæ, naturæ autem humanæ communicatæ.

Mentiris Dne Jacobe / Quia vidit fide. / Non oculis corporalib[us] / Unde evincit, nec eius / humanitatem Xri vidit.

Totus Christus, Deitas & humanitas Vna adoratione adoratur.

Quando igitur dicitur, quòd Christi humanitas non sit obiectum adorationis religiosæ: quòd etiam preces nostras in cœlo secundum humanitatem, non audiat: sicut Heidelbergenses Theologi apertè scripserunt: maxima pars consolationis pijs conscientijs in cruce & calamitatibus adimitur: quod in Ecclesia Dei intolerabile, & Anathematismo octauo Concilij Ephesini tanquam impium & blasphemum apertè damnatum est. Cuius hæc sunt verba: Si quis audet dicere:

In admonitione de lib. Concordiæ.

cere: assumptum hominem coadorandum, & conglorificandum, & coappellandum cum Deo Verbo, VT ALTERVM CVM ALTERO, & non potius vna adoratione colit Immanuelem, & vnam illi glorificationem adaptat, secundum quod Verbum caro factum est: Anathema sit.

Similitudo de Rege purpurato, coronato, & sceptrum gerente, ineptissima.

Quod ad similitudinem de Diademate, sceptro, & purpura Regis attinet, quam vos accommodatissimam esse dicitis: Respondemus nos, eam duplici nomine longè ineptissimam esse. Quoniam neque intelligens est Diadema, purpura, aut sceptrum Regis, neque cum Rege personam vnam constituunt. Quapropter Regem adorans homo, & genu flectens, non Regis diademati, sceptro & purpuræ loquitur, aut genu flectit, neque honor adorationis ad illa dirigitur, sed ad ipsum Regem.

Humanitas autem Christi non est instar diadematis, sceptri, aut purpurę: sed ad constituendam personam Christi necessariò requiritur, sine qua natura Filius Dei non est Christus, cùm rex sit, & maneat rex, etiamsi diadema, purpuram, vel sceptrum deponat, quod etiam facere solet.

Quapropter cùm Christum adoro, non tantùm Deitas est religiosæ meæ adorationis obiectum, sicut Lampertus Danæus impiè asserit: sed humanitas cum Deitate est illud obiectum, & sic propriè TOTVS Christus Deus & homo, quem pariter vt Dominum & fratrem atque carnem meam sic adoro: Ecce Domine Iesu Christe, sum caro tua: Tu verò ad tantam maiestatem euectus me tamen non despicis, sed pro fratre tuo agnoscere dignatus es: In tuum ergo sinum meam miseriam depono, tu sis mihi adiutor in hac tribulatione mea, in qua constitutus sum.

Similitudo animæ & corporis humani, magis accommodata adorationi Christi est.

Longè ergo & magis accommodata similitudo est, qua Patres vtuntur, de corpore & anima hominis: (Quemadmodum caro & anima rationalis, habet Symbolum Athanasij, est

est vnus homo: sic Deus & homo est vnus Christus.) In cuius inuocatione seu adoratione (si Rex fuerit) non cum sola anima, neque cum solo corpore, sed cum corpore & anima eius loquimur, non solùm animam, sed corpus eius intuentes tanquam obiectum adorationis, & corporis quoque gestum accuratè obseruamus, an sereno vultu Rex nostram orationem audiat, quam non solùm anima, sed corpore quoque audit.

Hæc (inquam) accommodatissima & aptissima similitudo est, qua communicatio honoris adorationis explicatur, qui VNVS & idem non solùm Deitati, sed etiam carni, id est, humanitati Christi, in inuocatione religiosa, exhibetur. Qua etiam exprimitur, quòd non sola diuinitas, sed etiam humanitas eius, adeoq́ue Totus Christus, Deus & Homo preces nostras exaudiat, & intelligat: non quidem proprietate naturæ suę humanæ, aliàs Petrus & Paulus nos quoque audirent, sed communicatione diuinæ Maiestatis propriæ, quæ in vnione Personali per exaltationem in Thronum diuinitatis proprium naturæ humanę verè & realiter in Christo communicata est.

Quam cõmunicationem proprietatum diuinitatis in humanitate Christi assumpta, dum negant aduersarij: in hunc tetrum & horrendum errorem incidunt, quòd docent: Christum secundum humanam naturam preces nostras non exaudire, quia hoc sit solius omnipotentis naturę proprium, ideoq́ue etiam secundum humanitatem non inuocandum esse. Quod sanè in Ecclesia Dei horrendum auditu est.

D. BEZA.

Hoc est concionari, non disputare & argumentari.

D. IACOBVS.

Ego paulò prolixior fui in explicanda doctrina Ecclesiarum nostrarum, de vera & religiosa adoratione Christi, quam

quam iudico necessariam, & auditoribus minimè molestam fuisse. Posthac, quantum fieri potest, breuitati studebo.

D. BEZA.

Si adesset Danæus, haberet quod respondere posset. Nobis hæ partes non sunt datæ, vt pro ipso respondeamus. Non reperies autem apud ipsum aliud, quàm humanitatem non adorandam, quia caro non est Deus. Vos abstracta pro concretis sumitis, & dicitis idem esse, si dicatur: Homo Christus est adorandus, & Humanitas Christi est adoranda. Prius concedit Danæus, sed posterius negat, quod nos quoq; negamus. Quapropter inde colligi non potest, Danæum sensisse: Hominem Christum non adorandum, seu inuocandum esse. Nam Totus Christus adoratur, sed non Totum Christi. Vocabula abstracta & concreta non sunt confundenda: & naturarum atq; proprietatum distinctio contra Eutychianam confusionem naturarũ & proprietatum est retinenda: quod à Cyrillo accuratè factum legimus, qui in Ioan. lib. 2. cap. 92. sic scriptũ reliquit: Simpliciter humanitas illa IN SESE, & non in illo respectu considerata (inquit Cyrillus) seipsam adorantibus connumerat, & adorat etiam Christus, VT HOMO, postquam factus est Homo. Adoratur autem semper cum Patre, & Spiritu, quia verus Deus secundum naturam est. Et idem: Num vt hominem (in sese, videlicet absolutè etiam in vnione consideratum) Immanuelem adorabimus? Absit. Deliramentum enim hoc esset, & deceptio & error. In hoc enim nihil ab ijs differremus, qui creaturam vltra factorem, & conditorem colunt.

Excusatio, & approbatio libri Danæi contra Religiosam carnis Christi adorationem.

Vide in Responso Bezæ ad Thesin 20.

Cyrill. in Ioan lib. 2. cap. 92. super hæc verba: Nos adoramus quod scimus.

Cyril. de recta fide ad Theodosium.

D. IACOBVS.

Verba Danæi, ex libro eius recitata, sunt aperta, plana &

 per-

Danæi verba & sententia sunt impia & blasphema in Christum.

perspicua, cùm inquit: Caro Christi est vera caro, & Homo Christus est VERVS HOMO. Qui autem religioso cultu QVEMPIAM HOMINEM ADORAT, ille fiduciam suam in eo habet, quem ita inuocat & adorat. Et ad Christum HOMINEM, Dictum Ieremiæ, non sine maxima blasphemia, accommodat: Maledictus vir, qui FIDVCIAM HABET IN HOMINE. Quid igitur magis apertè dici posset in HOMINEM Christum, contumeliosum & blasphemum?

Consensus in verbis, dissensio in rebus & verborum intellectu.

Latibulum erroris sub propositione: (Homo est adorandus) detegitur.

Quòd autem tu inter hominem & humanitatem discrimen facis, & propositionem concedis, cùm dicitur: Homo Christus est adorandus: sed negas, quando dicitur: Humanitas Christi est Omnipotens, aut adoranda: nihil aliud, quàm præstigias verborum esse, iam pridem dictum & demonstratum est. Quid autem quæso est homo sine humanitate? Tolle ab homine corpus & animam, quid reliquum manebit? Nomen sine re. Si humanitas Christi etiam IN IPSA VNIONE, (quod Danæus aliquoties repetit, & inculcat) non est adoranda: quomodo vnquam verè à vobis dici potest, quòd homo Christus sit adorandus? Sicut enim suprà has enunciationes intellexistis & explicastis: Homo est omnipotens, omniscius, omnipræsens: id est, Deitas humanitati iuncta est omnipotens, omniscia, omnipræsens: Ita etiam hanc propositionem: Homo est adorandus: intelligitis, & explicatis, id est, Deitas humanitati iuncta est adoranda. Non autem existimo quenquam in hoc cœtu esse, qui non intelligat, hoc merum ludibrium verborum esse ad decipiendos simplices homines excogitatum, vt cùm audierint, vos quoque dicere: quòd homo Christus sit adorandus: existiment, nullam inter nos hac in parte dissensionem esse: cùm in tantum dissentiamus, quantum cœlum à terra distat.

Ludibrium verborũ in phrasibus vsitatis.

Deceptio simplicium hominum.

Responsio ad dictũ illud vulgare, de TOTO Christo, & TOTO Christi.

Idem respondemus quoque ad dictum toties à vobis allatum: Christus Totus est adorandus, sed non Totum Christi est adorandum, quia eius humanitas non est adoranda. Et hic denuò ad iudicium auditorum prouocamus, an Christus totus sit sine sua humanitate? aut ad totum Christum non requiratur.

tatur etiam humanitas? Quoniam persona tota Christi, non sola diuinitate, sed etiam humanitate constat, & sine humanitate non est Christus. Falsissimum ergo esse omnes vident, & manibus palpant auditores, quod vos asseueratis: Totum Christum adorari: si humanitas eius cogitationibus nostris, à religiosa adoratione remoueatur, & non simul etiam adoretur.

Ad dicta Cyrilli respondemus: ea verissima esse, sicut illa quoque omnia, quæ de viuificatione ex hoc authore à vobis allata sunt. Quemadmodum enim caro Christi, VT CARO viuificare non potest: ita etiam humanitas Christi IN SESE, sine respectu vnionis cum diuinitate, adoranda non est.

Respectum autem illum neque intellexit, neque explicauit Cyrillus, sicut D. Beza intelligit, & explicat. Cyrillus enim per respectum vnionis intelligit realem communicationem dignitatis, & honoris adorationis, in natura humana factam. Christus (inquit Cyrillus) semper accepit ab Angelis cultum & adorationem. Erat enim semper Deus. Iam autem adorant IPSVM etiam VT HOMINEM. Quod Chrysostomus clarioribus verbis explicauit: Re vera magnum, admirabile, & stupore plenum est, CARNEM NOSTRAM sursum sedere, & adorari ab Angelis, & Archangelis, & Cherubin, & Seraphin. Hoc sæpius ego in mente versans, ECSTASIN PATIOR. D. Beza autem cum suis, respectum illum sine communicatione huius honoris intelligit, perinde ac si quis cum pileo, sceptro & purpura Regis loquatur, quando Regem alloquitur. Et quantum pileus seu corona, aut diadema, sceptrum, & purpura audiunt, & intelligunt: tantundem quoque Christi humanitatem in cœlis audire, cùm Christum inuocamus, quoniam solius omnipotentis naturæ sit, omnium cordium cogitationes, & suspiria (quæ efficacissimæ preces sunt, si os maximè non moueatur) exaudire: quod nulli creaturæ, etiam ne quidem humanæ naturæ Christi, secundum vestram opinionem, communicetur. Vnde etiam hic honor inuocationis, & religiosæ adorationis illi non conueniat. Quod non modò falsum, sed etiam planè impium iudicamus asserere.

Refutatio deprauationis verborum Cyrilli.

Respectus vnionis, quomodo in Cyrill. & Patribus accipiendus.

Cyril. in Epist. ad Heb. 1.

Chrysost. ad Heb. 2.

Falsa interpretatio respectus vnionis cum Verbo.

Beza similitudine purpuræ Regis decipitur.

Quomodo in errorem de adoratione incidant aduersarij

Incidunt autem in illum errorem, peruersa applicatione similitudinis de rege purpurato, vel coronato, quasi eadem sit vnio purpurę cum Rege, quę est humanitatis Christi cum Filio Dei. Quod etsi ipsi non dicunt, tamen ex hac similitudine contra Religiosam adorationem carnis Christi contra nos ad hunc modum argumentantur, & horribilem illum errorem defendunt.

Germana sententia verborum Cyrilli.

Quando autem Cyrillus inquit: quòd humanitas seipsam adorantibus connumeret, & Christus VT HOMO adoret: Item, quòd deliramentum sit, si VT hominem Immanuelem adoremus Christum: non simpliciter, sed secundum quid loquitur & intelligit, videlicet, si intelligamus hominem Christum duntaxat ratione proprietatis naturæ humanæ, sine respectu diuinę Maiestatis communicatę. In eodem enim libro ad Theodosium inquit Cyrillus: Neque opinor humanitatem, si in Christo intelligatur & dicatur, diuina gloria priuandam.

Nam quatenus HOMO, & in quantum HOMO IN SE ET PER SE EST, adorauit sicut alius homo Deum Patrem manibus in cœlum leuatis, qua ratione etiam adorantibus connumeratus est. Et quatenus HOMO IN SE & PER SE consideratus, non est Immanuel, sed quatenus cum Filio Dei personaliter vnitus & coniunctus est.

Quia verò vt Mediator & intercessor pro nobis orauit, Mediator autem non est vt homo tantùm, sed etiam vt Deus, adeoq́ue simul Deus & Homo: vt hoc Mediatoris officium impleret, seipsum ratione communicatæ Maiestatis exinaniuit: vt simul tanquam Deus & homo adoret, & simul ipsum tanquam non solùm Deum & Filium Dei, sed etiam tanquam hominem adorantes non repelleret. Sic Petrus inquit: Tu es Christus Filius Dei viui. Cùm autem discipuli in naui eum inuocarent tanquam hominem, (non enim cum sola ipsius diuinitate locuti sunt) non repulit eos tanquam blasphemos idololatras, sed imperauit ventis & liberauit eos, idq́ue cum summa admiratione populi, qui hoc miraculum

culum homini tribuebat. Quis est ille, inquiunt, cui & mare & venti obediunt?

Ludit autem hic iterum D. Beza æquiuocatione, seu ambiguitate vocularum (IN SESE) quas ita ad humanitatem Christi refert, vt eam absolutè ab adoratione excludat, siue in vnione, siue absque vnione intelligatur: quòd Cyrillus non facit. Ideóque deliramentum, deceptio & error est, sicut Cyrillus loquitur.

Quomodo humanitas Christi IN SESE adoretur, vel non adoretur.

Quamuis enim humanitas in SESE non adoratur sicut diuinitas, quæ vt adoretur, humanitate non indiget: adoratur tamen hæc IPSA HVMANITAS IN SE ratione vnionis, seu propter, seu per vnionem cum Filio Dei, qui hanc humanitatem, in suum proprium Thronum diuinitatis collocauit, & ÆQVALITATEM GLORIÆ ei communicauit, sicut Patres in explicatione verborum Psalmi: Sede à dextris meis: apertè testantur. In Theod. dialog. 2. Athanasius: Corpus est cui dicit Dominus; Sede à dextris meis.

Christus Deus & Homo, mediator in cœlis & in terra.

Sic hodie quoque in cœlis apud Patrem Mediatorem agit, & intercedit pro nobis. Inde autem nequaquam sequitur, quod illi falsò colligunt, ideo humanitatem Christi in cœlis existentem à nobis in terra existentibus sine blasphemia adorari non posse. Non enim seruili habitu genua coram Deo Patre flectendo, sicut in terris factum est, sed consideratione meriti, intercessorem & aduocatum agit: quod non solius humanitatis, sed Totius Christi, Dei & hominis est: sicut etiam Deus & Homo simul, & non vt homo tantùm, Mediator inter Patrem & peccatores est.

Excusatio prolixitatis in dicendo.

Visus sum fortassis iterum concionari: sed non modò doctrina nostra explicanda, verùm etiam ambiguitas phrasium ostendenda, & germanus verborum Cyrilli sensus reddendus fuit, quæ sub ambiguis phrasibus in alienam & prorsus contrariam sententiam trahitis. Ideò prolixitatem mihi condonari peto, qua mihi in Colloquio sæpe necessariò vtendum fuit. Quam etiam auditoribus, qui veritatis cognoscendæ cupidi sunt, non ingratam fuisse confido.

D. BEZA.

Caro, seu humanitas Christi, non est adoranda: quia non est Deitas seu Deus. Nihil autem adorandum, quod non est Deus. Hic honos solius Dei proprius est, sicut scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Hominem Christum adorandum non negamus, sed humanitatem Christi IN SESE adorandam esse, non concedimus.

Matth. 4.

D. IACOBVS.

De Phrasi, caro est Deus.

Damascen. lib. 4. cap. 19.

Phrasis hæc: Caro est Deus: non nostra est, quam nobis Danæus obtrudere conatur, vt nos tanquam nouatores aliquo prætextu accusare possit: sed est Damasceni, Scriptoris Ecclesiastici minimè contemnendi, si Authori etiam Orthodoxi scilicet vestri consensus credimus: quam phrasin ex verbis Ioannis Euangelistæ collegit. Si enim verum est, quod Ioannes dicit: Verbum caro factum: Ergo & hæc propositio vera est: Caro Verbum Dei facta est: vbi caro hominem significat. Verba Damasceni hæc sunt: Διὰ γὰρ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν, ἡ σὰρξ τεθεῶσθαι λέγεται, καὶ θεὸς γενέσθαι, καὶ ὁμόθεος τῷ λόγῳ. Id est: Nam propter vnionem secundum hypostasin & CARO deificari dicitur, *ET DEVS FIERI, ET SIMVL DEVS CVM VERBO.* Habes ergo, semel pro semper responsum, non meis, sed Damasceni verbis, ad obiectionem toties à te, & socijs tuis nobis obiectam, de phrasi: Quòd CARO SIT DEVS: quam nobis tanquam authoribus obijcere non potestis. Nam Damascenus apertè scribit: quòd CARO DEVS FIAT, & simul cum Verbo Deus sit: quid vis amplius?

Deinde aliquoties dictum est, quòd in hac enunciatione: Homo est Deus: Homo significet verum hominem, ex substantia D. virginis Mariæ à λόγῳ in suæ personæ vnitatem assumptum. Ideoq; falsum & deprauatum est, si dicatur æquipollere propositioni huic: Filius Dei est Deus, qui cum hoc homi-

homine coniunctus est. Cùm igitur assumptus homo sit verus Deus, non proprietate humanæ naturæ, sed propter vnionem personalem cum Filio Dei, & nō duo filij, sed vnus tantùm filius: ideo hoc non obstante, quòd humanitas non sit in diuinitatem conuersa, verè tamen hic homo est Deus. Quapropter Filius Dei adorari non potest, quin simul humanitatem vna atque eadem inuocatione quoque adores, nisi humanitatem à Filio Dei auellere, & personam diuidere velis. Hęc vera esse, etiam mediocriter instituti intelligere possunt.

Cuiusmodi verò error sub voculis (IN SESE) lateat, & quomodo tegatur: suprà satis dictum est, ne quis decipiatur: Quæ vnioni opponuntur personali, propter quam humanæ naturæ hic honos adorationis non verbaliter, sed realiter tribuitur, qui per se ei extra hanc vnionem non competeret.

D. BEZA.

Aliud est adorare hominem, & aliud est adorare humanitatem.

D. IACOBVS.

Ego dico idem esse, sicut re vera in Christo idem sunt. Nam Filius Dei assumpsit hominem, & Filius Dei assumpsit humanitatem. Et vtraque phrasi idem significante vsi sunt orthodoxi Patres.

D. BEZA.

Ego non concedo eadem esse. Adoramus Regem purpuratum, sed purpuram non adoramus.

D. IACOBVS.

Iudicio ergo auditorum hoc commendo. Et similitudinem de Rege & purpura non modò ineptam, sed etiam absurdam & eius applicationem ad carnem Christi impiam esse, demonstrauimus. Sed VNVM profer Scripturæ testimonium, quod probet, humanitatem ne quidem in vnione cum λόγῳ adorandam esse.

D. IACO-

D. BEZA.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Caro seu humanitas Christi nō est DOMINVS DEVS. Ergo non adoranda.

D. IACOBVS.

Cur negare potes phrasin Spiritus sancti, carnem non esse Deum? cùm Ioannes dicat: Verbum caro factum est? Vbi caro pro homine sumitur & intelligitur, quod negare non potes. Ideóq; etiam apud omnes Scriptores Ecclesiasticos, hæ enunciationes æquipollent: Verbum caro factum est: Deus homo factus est. Item, homo est Deus: Caro est Deus: quia caro hic phrasi Scripturæ totum hominem significat: sicut ex Damasceno paulò antè apertissimè demonstraui.

D. BEZA.

Verùm Ioannes non dicit: Caro Verbum factum est: sed inquit: Verbum caro factum est.

D. IACOBVS.

Postquam autem Verbum caro factum est: quæro, an non sint conuertibiles hæ propositiones, Verbum caro factum est: &, Caro Verbum facta est? Deus homo factus est: & homo Deus factus est?

D. BEZA.

Scriptura non sic loquitur.

D. IACOBVS.

Rectè. Nam cùm dicit Ioannes: Verbum caro factum est, significare voluit, Verbum, hoc est Filium Dei priùs extitisse, quàm factum esset caro. Caro autem, id est, homo assumptus, non priùs fuit, quàm assumeretur. Eo ipso autem momen-

momento, cùm homo ille esse cœpit, Deus fuit. Ideoq́ue reciprocationis harum propositionum causa est eadem, videlicet vnio personalis, quamuis conditio Verbi & Carnis non sit eadem. Postquam autem Filius Dei factus est homo: Scriptura sacra non modò apertè dicit, hunc hominem Deum esse, sed etiam Deitatis propria illi tribuit, inter quæ etiam religiosa adoratio numeratur & existit: de qua in Psalm. 72. Et adorabunt (Regem illum) omnes Reges terræ.

D. BEZA.

Caro non est Deus. Ideo non est adoranda.

D. IACOBVS.

Si caro hominem significat, sicut Ioan. 1. accipitur, cùm Ioannes dicit, Verbum caro factum est: cui hæc propositio æquipollet: Deus homo factus est: Respondeo, non modò falsam, sed etiam blasphemam & damnatam vocem esse, si quis dicat, quòd caro non sit Deus: quia apertè negat hominem esse Deum, qui nomine CARNIS intelligitur.

Ecclesia quidem damnauit has propositiones: Deitas est humanitas: humanitas est Deitas: & rectè, quia in his naturæ de se inuicem absolutè, id est, sine respectu vnionis personalis prædicantur, quod falsum est. Nam etsi naturarum facta est communicatio: tamen non absolutè, sed in persona Filij Dei facta est, in qua vnitæ sunt. Quas phrases Ecclesia damnauerit.

Hæc autem propositio: Caro Christi facta est Deus: (vbi vocabulum CARO hominem significat) nusquam ab Ecclesia damnatur, sed à Damasceno vsurpata & propugnata est. Damasc lib. 4. de Orthod. fide, cap. 19.

Sed de phrasi litigare nolumus, secundum præceptum Pauli, cùm seueriter monet: Obtesteris eos coram Domino, ne de verbis contendant: quod nihil prodest, quàm ad subuersionem auditorum. De hac igitur phrasi cum Damasce- 2 Tim. 2. Λογομαχίαι in Ecclesia fugiendæ.

no contendant, qui eam piè vsurpauit. De re ipsa nos dicamus. Quęstio enim est: quando (Caro) significat verum hominem assumptum, an illa assumpta caro seu humana natura adoranda sit?

D. BEZA.

Ego eadem ratione hanc propositionem nego: Caro est adoranda: qua hanc propositionem nego: Caro est Deus.

D. IACOBVS.

Testimonia Patrum de adoratione carnis Christi.

Tu ergo non solùm cum expresso Dei Verbo, sed etiam cum tota Antiquitate pugnas: quæ apertis verbis testatur, carnem Christi adorandam esse.

De verbis Domini, sermone 58.

Augustinus: Si Christus non est natura Deus, sed creatura: nec colendus est, nec vt Deus adorandus. Quid igitur est, quòd CARNEM EIVS, quam creaturam esse non negas, simul *CVM DIVINITATE ADORAS, ET EI NON MINVS* quam Deitati deseruis? Ego *DOMINICAM CARNEM*, imò perfectam in Christo humanitatem ideo adoro, quia à diuinitate suscepta & Deitati vnita est.

In Psal. 98.

Idem in verba Psalmi: Adorate scabellum pedum eius: Scabellum est terra: & Christus suscepit terram de terra, quia *CARO DE TERRA EST, ET DE CARNE MARIAE* carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: Nemo autem CARNEM illam manducat, nisi priùs adorauerit: inuentum est, quomodo adoretur tale scabellum pedum DOMINI, ET NON SOLVM NON peccemus adorando,

☞ *NB.*

„ sed peccemus non ADORANDO. Damascenus: Caro

Lib. 4. cap. 3.

Christi secundum sui naturam non est adorabilis. ADORATVR autem in incarnato Deo Verbo, non propter seipsam, sed propter coniunctum ipsi secundum hypostasin Deum Verbum.

Chrysost. Heb. 2.

Item Chrysost. *CARNEM NOSTRAM ADORARI AB ANGELIS* dicit: quod quoties cogitet, Ecstasin patiatur,

tur. Hîc audit R. T. mi Beza, carnem adorari, humanitatem adorari: quid vis amplius?

D. BEZA.

Patres interdum etiam impropriè loquuntur: homo adoratur, non humanitas.

D. IACOBVS.

Sed quæ tandem certitudo erit eorum, quę credenda & facienda sunt, si neque in verbis Scripturæ, neque in dictis Patrum, proprium verborum sensum retinere debemus, & omnes tibi impropriè loquuti sunt, quando ipsorum apertissima verba tibi opponimus.

D. BEZA.

Phrases Scripturæ Patribus non ignotæ sunt, quas ipsi quoque sunt imitati.

D. IACOBVS.

Phrases Scripturę sunt apertę, similiter & phrases Patrum. Ab illis igitur recedere, & singulis alienum sensum affingere si licebit: nihil certi in religione nostra habituri sumus. Sed quæro mi D. Beza, An homo Christus, seu Christus secundum humanitatem, aut humanitate sua, etiam audiat preces nostras in terris.

D. BEZA.

Si velit, puto.

D. IACOBVS.

Hęc non est certitudo fidei, sed oportet certò scire, quòd preces nostras audiat, priusquam orare incipiamus, & inuocationem nostram ad illum dirigamus, aliàs frustra orabimus.

D. BEZA.

Respectiuè adoratur caro seu humanitas Christi: verùm in ipsam carnem non fertur adoratio, sed ad Deitatem filij, qui audit preces & videt gemitus cordium.

D. IACOBVS.

Quòd hîc respectus locum non habeat, sicut vos intelligitis: paulò antè dictum est. Non enim respectus talis est, qualis est purpuræ ad Regem, sicut vos fingitis, cùm humanitatem Christi respectiuè adorari dicitis: sed humanitas cum diuinitate obiectum est adorationis, quando Christum inuocamus, vt non minùs ad ipsam humanitatem, quàm ad Deitatem adoratio religiosa dirigatur. Sed quoniam idem perpetuò abs te, non sine molestia auditorum reperitur: non video, quid amplius hac de re disseri posit. Et sufficiat nobis nullo Scripturæ testimonio probari posse aut probatum esse abs te illud tuum: Si caro seu humanitas Christi religiosè adoretur, quòd necesse sit eam in diuinitatem conuerti & Deitatem ipsam esse. Potest enim huius honoris & gloriæ particeps fieri, sicut re vera particeps facta est, etiamsi vera humanitas in persona Christi permaneat. Hunc honorem quisquis humanitati Christi derogauerit, eum cum Nestorio personam Christi diuidere, & naturas separare, dicimus.

VI.
De propositione: Hic homo est Deus: an sine Tropo sit vera.
Blasphemia Heidelbergensium Theologorum in Admonitione.

Sed vnum Epilogi loco adijcere liceat. Nam Heidelbergenses Theologi scribunt: hanc propositionem seu enunciationem: hic homo est Deus: in æternum veram esse non posse, sed impossibilem esse, si terminorum, subiecti & prædicati cum copula, id est, singulorum vocabulorum propria significatio retineatur: VT VIDELICET HOMO significet hominem, DEVS significet Deum, EST significet verè esse, ita vt verus homo sit verus Deus. Idque tam absurdum esse contenderunt, ac si quis dicat: Bouem esse asinum: nisi per Tropum intelligatur & explicetur. Quoniam species disparatæ,

ratæ, de ſe inuicem non poſsint dici aut prædicari : quæ ſine dubio (quantum in hac diſputatione de perſona Chriſti animaduertere potui) etiam tua eſt ſententia, quam à tua Reuerentia audire cupio.

D. BEZA.

Heidelbergenſes non egent noſtra vel explicatione vel defenſione: ipſi pro ſe reſpondebunt : quid ad nos, quod illi ſcripſerunt.

D. IACOBVS.

In Orthodoxo veſtro Conſenſu etiam hæc verba leguntur : An vnquam pro vero defendere cum Luthero audebunt, in hac locutione, *ISTE HOMO EST FILIVS DEI*, per ſubiectum, ISTE HOMO, non ipſummet Filium Dei, ſed aſſumptæ humanitatis naturam intelligi, ſicut hoc iſta inconſiderate dicta Lutheri manifeſtè innuere videntur. Et in præfatione eiuſdem orthodoxi Conſenſus : Principiò per verbum ſubſtantiuum EST, Tropum omnem excludi, illis dare non poſſumus. Etenim Ioannes Euangeliſta ſcribit: Verbum caro factum eſt : quæ locutio plus quiddam ſonat, quàm ſi verbum carnem eſſe dixiſſet. Si quis tamen literæ pertinaciùs inhærere velit, in hæreſin incidet, & Chriſti Deitatem negabit, vt quæ mutationem paſſa, & in humanam naturam conuerſa ſit. *NECESSARIO IGITVR AD TROPVM RECVRRERE OPORTET.* Hactenus verba Orthodoxi Conſenſus : quam ſententiam an tua Reuerentia quoque probet aut damnet, audire cupio. Nam hoc volunt, has enunciationes: Homo eſt Deus: Verbum eſt caro factum: non ſecundum literam ſicut verba ſonant, ſed figuratè & tropicè intelligendas eſſe, aliàs conſiſtere & veras eſſe non poſſe. Quemadmodum etiam in verbis Chriſti : Hoc eſt corpus meum: tropum ineſſe, nec ſine tropo vera eſſe poſſe, contenditis.

Fol. 18. fa. 2. primæ æditionis.

D. BEZA.

Excusatio authoris Orthodoxi Consensus.

An putas authorem Orthodoxi consensus tam indoctum hominem fuisse, vt negaret: Deum hominem, & hominem Deum esse? Qui fuit religiosus vir, & nunc cum Deo versatur. Quod ad rem attinet, non negant nostri hanc propositionem: Homo est Deus: sed quomodo explicanda sit, docent.

Explicatio propositionis: Homo est Deus, secundum Bezam.

Nos tropicam locutionem esse dicimus, quam vos inusitatam esse dicitis, cùm enunciatur: Hic homo est Deus: quia non est vsitata seu regularis prædicatio, in qua disparata de se inuicem prædicantur, vtpote, Deus de homine, quia vna species, non est altera.

Quapropter verbum EST, per verbum [assumpsit] interpretantur. Vnde deinde quoque illæ enunciationes: Deus est mortalis, passus, crucifixus, & his similia. Quia Deus seu Filius Dei in sua hypostasi sustentat illum hominem, seu carnem, quæ mortalis, passa & crucifixa est.

D. IACOBVS.

Enunciatio non ideo figurata seu tropica est, quia inusitata est, & esse dicitur. Tropus enim locum habet in ijs duntaxat enunciationibus, in quibus propria significatio singulorum vocabulorum, salua fidei analogia retineri non potest.

In verbis Ioannis, VERBVM CARO FACTVM EST, nullus tropus inest.
1. Verbum.
2. Caro.
3. FACTVM EST.

Quæ aūt quęso necessitas nos impellit, vt in verbis Euangelistę: Verbum caro factum est: à propria significatione vocabulorum recedere, & necessariò ad tropum confugere debeamus: aut in quo vocabulo inest tropus: Nam (Verbum) hoc loco propriè Filium Dei æternum denotat, & nihil aliud. Deinde (Caro) hominem significat, phrasi Scripturæ, Hebræis vsitata. Postremò Verbum (FACTVM EST) signi-

ſignificat ὑπαρκτικῶς, videlicet, verè & realiter hoc Verbum factum eſſe, quod priùs non erat, videlicet carnem ſeu hominem: Vt Verbum, hoc eſt, Filius Dei, verè & realiter ſit factus HOMO, quod priùs Verbum duntaxat, & non homo fuit.

Si igitur in hac enunciatione: Hic homo eſt Deus: vocabulum HOMO, vera ſignificatione, propriè & non figuratè aut tropicè hominem verum ſignificat, qui corpore & anima rationali conſtat, videlicet Ieſum Mariæ filium ex ſemine Dauid: & alterum vocabulum DEVS, ſignificat verum & æternum eſſentialem Filium Dei, & id quoque propriè, non figuratè aut tropicè: Tertiò, Verbum EST, ſignificationem ſuam propriam retinet, qua aliquid re vera eſſe & exiſtere dicitur, quod enunciatur: Vbi ergo aut in quo vocabulo erit tropus? ſi oratio (ſecundum veſtram opinionem) eſt tropica, aut ſi neceſſariò ad tropum recurrendum eſt? Nulla (nulla inquam) neceſsitas nos cogit ad tropum recurrere, niſi incarnationem Filij Dei veram, & vnitatem perſonæ Chriſti, prorſus abnegare velimus. Verè enim & realiter Verbum caro factum eſt, & verè atque realiter Deus homo factus eſt, verè inquam & realiter ſine omni figura, & ſine omni tropo.

D. BEZA.

Num ergo tu dices, Verbum in carnem mutatum & conuerſum eſſe? quod certè ſequeretur, ſi verba Ioannis, Verbum caro factum eſt, ſine tropo accipias.

D. IACOBVS.

Num verò Verbum nullo modo, verè & realiter caro fieri poteſt, niſi in carnem conuertatur? Vnde quæſo hoc probabis? Num vnus tantùm modus eſt, quo aliquid verè fieri dicitur, & nullus alius, quàm is, quo ſubſtantia in aliam ſubſtantiam conuertitur? Aut tibi videtur, quòd Ver-

Verbum non realiter caro factum sit, nisi Verbum in carnem, & Deus in hominem transmutatus, seu transubstantiatus, & conuersus fuerit?

D. BEZA.

Inusitatam tamen prædicationem vos quoque dicitis: Cur ergo non figurata aut tropica esse aut dici posset?

D. IACOBVS.

Res inusitata est, ideo etiam prædicatio inusitata est & dicitur. Inde autem non sequitur, quòd figurata aut tropica sit, quia regularis non est. Nam inter regularem & figuratam, seu tropicam prædicationem, est tertia prædicatio, quæ dicitur inusitata. Quia res, id est, Mysterium incarnationis, res inusitata, & Aristoteli ignota fuit: cuius organi, sicut aliorum quoque Dialecticorum, regulis non subijcitur.

Omnis tropus à prędicationibus, in enunciationibus de persona Christi, remouendus.

Manet ergo inconcussa veritas, quòd hæ enunciationes: Verbum caro factum est: &, Deus homo factus est: sine omni tropo, secundum literam sint intelligendæ, & singulorum vocabulorum propria, vsitata, & Grammatica, vera & genuina significatio retinenda sit.

Abusus doctrinæ Aristotelis in doctrina de Persona Christi.

Hoc Mysterium si Aristoteles audiuisset, & credidisset: intellectum suum in obsequium Christi captiuum duxisset: & regulas sui Organi & Dialecticæ ad illud minimè accommodandas esse, seueriter monuisset.

In rebus enim, quæ sensibus & rationi, atque humano intellectui subiectæ sunt, hęc regula verissima est: Quicquid de alio prędicatur, id vel propriè seu regulariter, aut figuratè & tropicè, prædicari & dici. In hoc Mysterio autem hæc regula non valet.

Regula in Philosophia verissima de prædicationibus.

Causa cæcitatis Iudæorum & Turcarũ, quòd ad veram cognitionem Christi non perueniunt.

Etenim hęc res & hoc Mysterium miseros & excæcatos Iudæos & Turcas adhuc exercet & impedit, quò minùs ad cognitionem Christi peruenire possint. Cùm enim ratione & intellectu humano comprehendere non possint, quomodo Deus verus, sit verus homo, & verus homo sit verus Deus: Ideo

Ideo etiam hoc Mysterium neque credere possunt: neque volunt: eosq́ue pro blasphemis hominibus habent, qui talia, & rationi humanæ tam manifestè absurda sibi persuaderi patiuntur, vt credant & profiteantur, Iesum Mariæ filium esse verum & naturalem Deum, Omnipotentem cœli & terræ Creatorem.

Hanc doctrinam Turcicus Alcoranus summam blasphemiam, & longè horribilissimum mendacium esse affirmat, abusu huius regulę confirmatus: quòd disparata de se inuicem realiter & verè prædicari non possint, nisi figuratè & tropicè. Regulæ Dialecticæ de disparatis, abusus.

Si autem concessum fuerit, has enunciationes: Verbum caro factum est: Item, hic Homo est Deus: non veras esse, si literalem sensum sequamur, sed necessariò ad tropum recurrendum esse: quid quęso absurditatum non sequetur? aut in quos errorum labyrinthos tandem non delabemur?

Si enim Verbum, non nisi per tropum, caro factum est: & homo non nisi per tropum Deus est: tropicum ergo & figuratum habebimus Christum, non verum Christum, qui verè & realiter neque homo, neque Deus sit: & Filius Dei non verè & realiter, sed tropicè & figuratè, ex Maria virgine natus, passus, crucifixus, mortuus, & sepultus erit? Hac ratione Filius Dei non verè & realiter, sed tropicè, patiendo nos à peccatis nostris redemit. Ideoq́ue non verus, sed tropicus tantùm esset Redemptor & Saluator? Et homo Christus non verè & realiter, sed tropicè esset omnipotens, tropicè omniscius, tropicè in terris vbique pręsens, tropicè in cœlo & terra omnia gubernans, tropicè viuificans, tropicè demum adorandus esset? Absurda, quæ tropicam prædicationem in articulo de persona Christi comitantur.

Quemadmodum & Cœnam Domini haberemus tropicam & figuratam, in qua non res præsentes distribuerentur, sed adumbrarentur & significarentur tales in cœlo ita permanentes, vt nobis nostris cogitationibus ad eas in cœlum euolandum esset, si eas pręsentes habere, & illis frui vellemus.

Tropica Theologia, omnia in Scriptura facit incerta.

Et quid tandem certi in vniuersa Scriptura, aut vbi literalis sensus manebit? si in omnibus dictis de Christo, & de Cœna Domini, & alijs Sacramentis necessariò ad tropum recurrendum est?

Tropica Cœna Domini.

Quando enim verbum Christi producimus, Hoc est corpus meum, &c. statim respondetur, non intelligenda esse hæc verba κατὰ τὸ ῥητὸν, id est, sicut sonant, sed per tropum explicanda esse: Hoc significat corpus meum, est figura, est signum corporis Christi. Si proferimus verba Testamenti Christi: Hic est sanguis meus: respondetur, hæc verba non intelligenda esse, sicut sonant, sed ad tropum confugiendum, qui Metonymia dicitur: Hoc est signum sanguinis mei. Sin ex Scriptis Patrum, (ad quæ remittimur, vt genuinum sensum verborum Christi eruamus) aperta testimonia producimus, qui τὸ ῥητὸν verborum Testamenti Christi: Hoc est corpus meum, &c. & eorum literalem sensum retinentes, nullum tropum in eis agnoscunt: non modò tropus sed hyperbole etiam nobis obijcitur. Hæc enim tua verba sunt:

Hyperbole in testimonijs Patrum.

Beza contra Vvestphal. Tom. 1. fol. 250.

" Dicit quidem Chrysostomus, IPSVM (Christum) vi-
" des, ipsum tangis: Sed profectò vel hyperbolen fatearis
" oportet, qua nimirum exprimitur summa perceptionis ve-
" ritas: vel videri & tangi, siue solum, siue cum signo, no-
" bis demonstres, quod inuisibile & ἀπερίγραπτον esse con-
" tendis.

Item, quando ex Cyrillo affertur, nos non tantùm spiritualiter per fidem Christo coniungi, sed etiam corporaliter communicare carni Christi, & Christum participatione naturali in nobis habitare, quod benedictio sit Mysticæ virtutis: Reuerentia tua respondet: Omnia hæc concedo, quamuis satis constet Cyrillum, vt vnionem naturarum aduersus Nestorium tueretur, interdum ὑπερβολικῶς locutum esse, si quis singula eius verba vrgeat.

Tom. 1. fol. 273.

Et ibidem. Hinc sanctę illę veterum hyperbolę, & Chrysostomi quidem in primis, idcirco ab illis frequentissimè inculca-

Ibidem 293.

culcatæ, vt fidelium animos docerent, Sacramenta à rebus communi vsui destinatis distinguere, & res æternas spiritualiter in Sacramentis propositas, vera fide apprehendere. Hactenus tua verba.

Si igitur omnia tropica & hyperbolica sunt dicta, quæ vel Christus ipse, vel Apóstolus Paulus, vel Patres & Doctores primitiuæ purioris Ecclesię de hac reali corporis & sanguinis Christi præsentia in Cœna Domini, & de reali communicatione naturarum & Maiestatis diuinæ in persona Christi, tam apertè tradiderunt: quid quæso tandem certum & firmum in vtroq; articulo manebit, in quo fides hominis Christiani tutò acquiescere posit?

D. BEZA.

Locutiones et phrases Sacramentales, tum in veteri, tum in nouo Testamento consuetæ et vsitatæ, cùm Apostolis ipsis, tum etiam primitiuæ Ecclesiæ Patribus & Doctoribus non ignotæ fuerunt. Et sic eas docet analogia fidei intelligere, & explicare, nisi veritatem corporis & humanæ naturæ in Christo negare, & in Eutychianam hæresin incidere velimus.

D. IACOBVS.

De illis locutionibus & phrasibus sacramentalibus, cùm in collatione instituta satis dictum, & apertè demonstratum sit, quòd longè aliter se res habeat, & quòd tropis illis in eiusmodi locutionibus locus esse non posit: sufficiat nobis apertis verbis Christi, & testimonijs Scripturæ sacræ manifestis, absque omni glossa humana, veritatem doctrinæ Ecclesiarum nostrarum demonstrasse. Iudicium nunc & electionem relinquimus auditoribus, an velit simplici fide verbis Testamenti Christi, cum explicatione Pauli de Cœna Domini insistere, & apertissima sacræ Scripturæ testimonia de persona Christi, de Maiestatis diuinæ communica-

nicatione reali IN NATVRA humana facta, complecti, quorum literalem sensum Patres veteris Ecclesiæ purioris retinuerunt, & suis auditoribus diligenter inculcarunt: An verò tropos & hyperbolas, adeoque loco apertissimi textus, glossas humanas sequi, quę in tentationibus grauioribus non consistunt.

D. BEZA.

Nos auditores nostros per tropum non à verbo Dei abducimus: sed quomodo intelligendum sit, ne contra fidei analogiam peccemus, eos ad hunc modum erudiemus.

D. IACOBVS.

Illustrissimus Princeps Fridericus, Reuerende D. Beza, petit cognoscere, an plura in hoc articulo de persona Christi habeatis, quę velitis proponere. Sin minus: censet in hoc articulo quoque concludendum, & ad collationem de Prędestinatione accedendum esse.

D. BEZA.

Reuerende Domine, non video aliquid superesse in hoc articulo: optarem autem finem imponi disputationi. Neque enim existimauimus, nobis etiam de alijs articulis (sed tantùm de Cœna Domini, & de persona Christi) disputandum fore. Ingrediemur etiam altissimam abyssum, si de Prædestinatione conferendũ erit. Neq; consultum est, coram omnibus de hoc articulo conferre, ne fortè plures offendantur, quàm erudiantur, qui illa capere non possunt. Sed tamen non defugio. Præterea etiã libenter ad Pascha domum reuerteremur ad Ecclesias nostras. Constituatur consensus in his duob. articulis. Doctrina de Prædestinatione nullas discordias in nostris Ecclesijs serit. Si tamen Princeps nostrã de Prædestinatione sententiam audire velit, priuatim exponemus: neq;

opus



opus erit eius causa nouam disputationem coram omnibus instituere.

D. IACOBVS.

Vna hora enim in ea collatione nos facilè expedire poterimus.

D. BEZA.

Multitudo memoriam meam obruit. Sed vestras de Prædestinatione Theses oblatas legemus, & respondebimus.

XXVII. MARTII, Anno 1586. hora 3. pomeridiana.

D. BEZA.

ILLVSTRISSIME Princeps, Domine clementißime, cæterique auditores humanißimi: Duæ causæ nos huc pertraxerunt: Altera, vt testaremur, nos seriò compositionem controuersiarum quærere, quæ hactenus Ecclesias miserè afflictas, & plùs quàm satis perturbatas exercuerunt: Altera, vt sancto proposito Illustrißimi Principis, Comitis Friderici satisfaceremus.

Causæ, cur D. Beza cum suis fratribus Mompelgartum venerit.

Nunc noua disputatio proponitur, de Prædestinatione, quæ non est vnius horæ, diei, aut mensis: neque tàm facilè expediri potest, quàm quibusdam videtur. Quapropter breui scripto sententiam & petitionem nostram complexi sumus, & humiliter rogamus, vt Illustrißimus Princeps, Comes Fridericus, legere dignetur.

D. BEZÆ, ET COLLEGARVM EIVS SVPPLICATIO, AD ILLVSTRISSImum Principem, Comitem Fridericum: qua prima vice Beza abrupit Colloquium.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. FRIDERICO, Comiti VVirtembergensi, & Mompelgartensi, &c. Domino nostro clementissimo.

ILLVSTRISSIME PRINCEPS, VT sancto tuo desiderio obsequeremur, ex consensu amplissimorum nostrorũ Magistratuum, Bernensis & Geneuensis Reipubl. huc aduenimus, vt de cõtrouersia, de Cœna Domini, cum D. Iacobo Andreæ placidè & amicè ex sacro verbo Dei conferremus: nec vlla facta est in Celsitudinis tuæ literis mentio collationis, alijs de rebus instituendæ. Existimamus aũt, nos pro virili defunctos esse nostro hac in re officio: quod liquere arbitramur ex Dominorum Collocutorũ vtroque scripto, vno de Cœna Domini, altero de persona Domini nostri Iesu Christi, cum nostris ad vtrumq; responsis, itidem scriptis collato. Neq; nos ad rationes humanas vllas confugisse: sed ijs ipsis testimonijs ex verbo Dei petitis, & secundum fidei analogiam expositis, vsos ad nostra confirmanda fuisse, quibus R. D. Collocutores ad astruenda sua vsi sunt: cætera verò hinc & inde ab illis & à nobis dicta, cùm ab electis notarijs & secretarijs scripta nõ sint: & nos initiò postulauerimus, vt tota hæc collatio scriptis vltro, citroq; missis, et subscriptione collocuto-

locutorum signatis, perageretur: quod tamen R. D. Collocutores non admiserunt: nullam prorsus illis habendam fidem arbitramur. Quod idcirco significamus, ne idem in hac collatione eueniat, quod in alijs nimiùm multis: nempè ne istis, si fortè diuulgarentur, quod minimè factum velimus, nonnulli ad alēdas istas miserabiles discordias abutantur, quas potiùs vt nunc penitus aboleri non possint, tamen paulatim sopiri, & extingui cupimus. Cæterùm quod hodie propositas de Prædestinatione Theses attinet: in hanc disputationem ingredi (quod Illustrißimæ Tuæ Celsitudinis pace dictum sit) non possumus, non modò quoniam noua est, & ab ea diuersa, cuius causa huc accessimus, sed alijs maximis de causis duabus, quas velimus C. T. diligenter expendere. Vna est, quòd nō per semihoram (sicut D. Collocutores, V. C. polliciti sunt) sed vix per integram hebdomadam ista de Prædestinatione disputatio peragi vllo modo poßit: quod nos pro certo scimus, non ignorantes, quanti momenti sit hæc grauißima disputatio: nobis autem abesse tamdiu à nostris Ecclesijs non licet. Altera causa est, quòd in publico cœtu haberi hæc disputatio non poßit sine graui eorum offendiculo, qui tanti mysterij capaces non sunt, siue nostræ, siue contrariæ sententiæ assentiantur. Vnde nouum exoriri dissensionis seminarium poßit: vt hæc disputatio potiùs in scholis, inter exercitatos Theologos, quàm in publico quorumuis cœtu disceptanda sit.

Metuunt sibi à publicatione Colloquij.

Declinant disputationem de Prædestinatione.

Paucis impietas doctrinæ ipsorum illic demonstrata est.

Morsus conscientiæ ipsorum in hoc articulo.

Doctrina hæc ad omnes Christianos pertinet.

Interim tamen, si cupit C. T. pleniùs nostram ad D. D. Collocutorum Theses sententiam intelligere: libenter illas Theses ad Ecclesias nostras reuersi, vnà cum nostris Collegis, collaturos nos pollicemur, & sententiam nostram diligenter perscripturos.

Quod

Quod superest, Illustrissime Princeps, ne tot à C. T. frustra suscepti sint labores, & nullo cum fructu facti sumptus: quàm humilimè C. T. in Dei nomine precamur, et pro Christiana charitate D. collocutores rogamus, vt postquā vtrinque, quibus de rebus in duabus superioribus collationibus consentiamus, animaduersum communi scripto fuerit: ineatur aliqua ratio Christiana, qua fiat, vt licet expediri hæc controuersia nunc non possit, quemadmodum maximè optaremus, tamen omnis ista acerbitas, & amarulentia, tum in cōcionando, tum in scribendo (qua magis & magis exacerbantur vtrinque animi, & communibus aduersarijs ludi præbentur) eò vsque tollatur, vt tantisper dum Dominus largiatur meliora, vnaquæque pars suam doctrinam, suis gregibus proponere, contenta, ab ijs inuidiosis & minimè Christianis, Zvvinglianorum, Caluinistarum, Sacramentariorum, Vbiquitariorum, & cæteris alijs similis notæ nominibus abstineatur, & alij pro alijs Dominum corde & ore precentur, vt nobis tandem plenum donet in istis quoq; rebus consensum.

Hoc illis largiri non possumus.

Deinde & hoc petimus, vt cùm in causa sacramentaria manifestè conueniamus in ijs, quæ verè sunt essentialia, veluti in vera rerum significatarum veri corporis & sanguinis Domini perceptione: quamuis de præsentiæ Sacramentalis modo inter nos nondum conueniat, neque de impiorum manducatione, quorū causa indignum fuerit, pios inter se diuelli: liceat nostræ Confessionis fratribus, suam confessionem sine vllo alterius præiudicio, retinentibus, sacram Cœnam ex aliorum manibus percipere, & ita mutuam fraternitatem colere ac testari.

Non minùs de dignorum, quàm indignorum manducatione controuertitur.

Impudens postulatum.

Qua

Quæ si à Cels. Tua impetrare potuerimus, magnum huius collationis fructum retulisse nos arbitrabimur. Et magnum à Cels. T. Ecclesijs factum aditum sperabimus, ad integram aliquando pacem ijs restituendam, magnâ et insigni cum C. T. apud omnes Ecclesias Christianas gloriâ.

Mompelgarti, 26. Mart. Anno 1586.

Theodorus Beza, Geneuensis Ecclesiæ Minister.
Abrahamus Musculus, Bernensis Ecclesiæ Minister.
Anthonius Faius, Ecclesiæ Geneuensis Minister.
Claudius Alberius, D. & Professor Philosophiæ in Academia Lausannensi.
Petrus Hübnerus, Græcæ linguæ, in Gymnasio Bernensi publ. Professor.

Oblato libello supplici, iussus est Beza cum suis fratribus & auditoribus reliquis, paululum recedere, donec Princeps, Comes Fridericus scriptum legat, & quid porrò faciendum sit, deliberare possit.

Postquam ergo Cels. ipsius supplicationem legit, & cum Theologis Vuirtembergicis collocuta est; per D. Iacobum paucis responderi iussit, quemadmodum sequitur.

D. IACOBVS.

Responsum Illust. Princ. Comitis Friderici, ad supplicationem D. Bezæ & fratrum eius.

Illustrissimus Princeps, Comes Fridericus, Dominus noster clementissimus, libellum vestrum supplicem legit, atque diligenter expendit. Et sanè Celsitudo eius, nihil magis in votis habet & optat, si vlla ratione fieri queat, quàm, vt in instituta collatione, etiam de reliquis articulis controuersis publicè procedatur: ex qua auditores omnes intelligere possint, in quibus consentiamus aut dissentiamus.

Cur Comes Fridericus in literis suis ad Bezam reliquarum controuersiarum mentionem non fecerit

Cur Comes Fridericus continuationem Colloquij vrserit.

Quòd autem Celsitudo ipsius reliquorum articulorum in suis literis mentionem non fecit, causa hæc vnica est, quòd ipsius Celsit. reliquæ controuersiæ hactenus prorsus ignotæ fuerunt. Neque etiam eius Celsit. Ecclesiæ consultum iudicat, aut magnum fructum ex hoc Colloquio sperandum, si tantùm in vno atque altero articulo aliquis consensus constituatur, in reliquis autem, qui non minoris momenti sunt, qualis est articulus de Prędestinatione in primis, dissensio perniciosa relinquatur.

Doctrina de Prædestinatione vtilis, necessaria, & consolationis plena.

Optaret igitur Cels. ipsius, si fieri posset, vt per gratiam Spiritus sancti, de omnibus controuersis articulis, plenus consensus & pia concordia constitueretur: aut saltem perspicuè ab vtraque parte ostendatur, in quibus rebus discordia aliqua relinquatur, quæ cuiusque partis constans & perpetua sit in singulis articulis doctrina, & quibus fundamentis, vtrinque nitantur. In primis verò doctrina de Prædestinatione in Ecclesia Dei non modò vtilis, verùm etiam valdè necessaria est: de qua passim in explicatione sacræ Scripturæ testimonia occurrunt: quin etiam in summis tentationibus consolatione plenissima est: qua docemur, salutem nostram æternam non in manibus nostris positam, (qua citius, propter naturæ corruptionem, quàm primi parentes nostri in statu innocentiæ excidere possemus:) sed in manu Dei sitam esse, secundum illud Christi: Oues meas nemo de manu mea rapiet.

Ioan. 10.

Deca

De ea igitur vt rectè instituantur concionum nostrarum auditores, valdè necessarium est. In ea enim si erretur, & non rectè ad fidei analogiam explicetur: fenestra non solùm ad Epicuræam vitam aperietur, sed etiam occasio ad desperationem afflictis, & à Sathana tentatis conscientijs, dabitur. Institutio vera de Prædestinatione valde necessaria.

Quapropter non tantùm eruditis & doctis, sed etiam rudioribus hominibus eam notam esse oportet: in quorum omnium auribus vox Christi sonat, quæ singlis annis in Euangeliorũ explicationibus proponitur: Multi sunt vocati, pauci verò electi: vt etiam certò statuere discant, se à numero electorum nequaquam exclusos esse. Matth. 20.

Quapropter hæc doctrina de Prędestinatione non ita in Scholas ablegandа est, vt non opus sit eam etiam rudi & imperito populo proponere. Quin maximè necessarium est, vt populariter & solidè illis explicetur, ne à Sathana circumuenti, in tentationibus succumbant, & pereant. Quęcunque enim præscripta sunt, (inquit Apostolus) ad nostram doctrinam pręscripta sunt, vt per patientiam & CONSOLATIONEM Scripturarum spem habeamus. Quęcunque ergo pars doctrinę Christianę ita tractatur, vt spem Christianam labefactet: non rectè eam doceri, certum est. Doctrina de Prædestinatione nõ solùm in scholis, sed etiam in Ecclesia proponenda. Rom. 14. Scopus totius sacræ Scripturæ. Regula.

Quia verò Domini semel constituerunt ad festum Paschatis ad suas Ecclesias redire, neque ampliùs de reliquis quoque articulis controuersis colloqui cupiunt: reponit hoc Illustrissima Celsitudo eius in vestro arbitrio & voluntate.

Videtur autem eius Cels. consultum, priusquam vtrinque discedatur, cùm pręter articulum de Prędestinatione, adhuc alij duo sint reliqui, videlicet de Baptismo, & de Templorum & Imaginum demolitione, in quibus, maximè verò de Baptismo, non minor quàm de cœna Domini inter nos dissensio est, vt Theses nostrę, quas de tribus iam commemoratis articulis breues conscripsimus, & de singulis sententiam nostram, Illustrissimus Comes Fridericus petit Vuirtembergensium Theses de Prædestinatione, de Baptismo, & Templorum reformatione, publicè recitari.

nostrarumque Ecclesiarum complexi sumus, publicè omnibus audientibus recitentur. Eas Theses, postquam publicè recitatæ, & vobis exhibitæ fuerint, poterunt deinceps Domini ad suos fratres, Geneuam & Bernam referre, & ad eas quoque quando illis sic visum fuerit, respondere: modò nunc auditoribus, & de Ecclesiarum Augustanæ Confessionis doctrina, & de vero quoque controuersiarum in singulis articulis statu, qua de re inter nos contendatur, certò constet.

Summa doctrinæ D. Bezæ & fratrum eius, de Prædestinatione.

Nam de Prędestinatione, aduersa pars docet: à Deo, æternum, occultum, & immutabile decretum factum esse, quòd maximam partem hominum non velit saluari, aut ad agnitionem veritatis peruenire, sed eos ad æternam damnationem creasse, ordinasse, & destinasse, neque velle, vt pœnitentiam agant, promissionibus Euangelij credant, & saluentur. Quibus etiam precium mortis & sanguinis Christi nihil velit prodesse, vtpote ad quos non pertineat: pro quibus etiam neque passus neque mortuus sit. Quam doctrinam nos tanquam erroneam & falsam, & quæ omnem consolationem afflictis & perturbatis conscientijs adimat, & vsum totius Ministerij verbi et Sacramentorum prorsus tollat, apertè damnamus.

Summa doctrinæ D. Bezę de Baptismo.

De Baptismo quoque docent: quòd Baptismus non sit lauacrum regenerationis, sed duntaxat sigillum & obsignatio eius: neque omnes infantes regenerari, qui baptizantur, sed infinitos pueros baptizatorum in æternum damnari, qui in occulto Dei decreto, & numero saluandorum comprehensi non sint, quos etiam Deus nunquam saluari & regenerari voluerit.

Status controuersiæ de templorum & imaginum reformatione.

De templorum quoque & imaginum demolitione inter nos controuertitur: an priùs ex oculis, quàm ex animo remouendæ sint imagines, quæ Idololatriæ occasionem præbere videantur. Et an in ijs templis vera Euangelij prædicatio, & Sacramentorum vsus celebrari possit, in quibus Pontificij suam Idololatriam exercuerunt: an verò penitus euertenda,

tenda, demolienda, & noua extruenda sint? Nam eas, quæ apertè ad Idololatriam prostant imagines, è medio, & ex conspectu hominum remouendas & abolendas esse, nulla quæstio, aut inter nos controuersia est.

Quòd si igitur Domini de Prædestinatione nihil colloqui voluerint, propter abyssum disputationis eius, vt ipsis quidem, nobis minimè videtur: reponimus in arbitrio & voluntate Dominorum, an de reliquis duobus articulis, videlicet de Baptismo, & de Templis atque imaginibus collationem placidam procedere velint. Idque inprimis vestrum, vestrarumque Ecclesiarum potissimùm causa: cùm non ignoretis, quantum odium vel hoc solùm nomine sustineatis, quòd superioribus annis tot templa à vestris in Gallia & Belgio funditus euersa esse, audire cogimini: quod multi putant commodiùs omitti potuisse.

Vvirtembergici Theologi petunt colloquium continuari.

D. BEZA.

Illustrissime Princeps, quantum intelligere possum, Celsit. Tuæ videtur, vt collocutorum conscriptæ Theses de Prædestinatione, de Baptismo, & templorum atque imaginum demolitione, publicè coram omnibus auditoribus proponantur & recitentur. Nos autem petimus, ne fiat hæc publica recitatio, sed permittatur nobis Theses collocutorum nobiscum domum referre, vbi collatione sententiarum cum fratribus priùs facta, respondebimus.

D Beza deprecatur publicam recitationem Thesium Vvirtemberg. Theologorum, de Prædestinatione: de Baptismo: de Imaginibus.

Nam si, quod Vestra Cels. vult, fiat, vt publicè commemoratæ Theses Dominorum collocutorum recitentur, nos autem non ad omnia statim respondeamus: posset in auditorum animis sententia hærere, quæ nobis grauis esset.

Quantum enim ex Reuerendi Domini Doctoris sermone audio, non id docemus, ad quod Theses illorum diriguntur.

Quando igitur recitabuntur, putabunt auditores ita rem se habere, & hanc doctrinam nostram esse, quam illi in suis Thesibus complexi sunt & damnant. De Templorum demolitione in illis tumultibus bellicis facta, nemo nostrûm omnia probauit, quæ cauere & auertere nō potuimus. Quapropter nostrum erit, nostram sententiam nostris verbis, & ex nostris libris explicare, de qua deinceps auditores & lectores iudicare poterunt.

Habetis vos libellos, quos vobiscum attulistis: quibus nos caremus: parati & instructi ad disputationem de his articulis venistis, de quibus nos nō cogitauimus. Est disputatio de Prædestinatione omnium grauissima, post eam, quæ est de Christo: ideoq; accuratè & consideratè de ea conferendum. Et aliud est, ὅτι ἔστι de ea proponere populo: aliud, rationes & argumenta tractare. Quoniam non omnes huius doctrinæ sunt capaces, & plurimi hac disputatione abutuntur. Quæ pericula diligenter cauenda sunt.

D. IACOBVS.

Illustrissimus Princeps, Comes Fridericus vrget continuationem Colloquij.

Reuerende Domine Beza: Audiuit Illustrissimus Princeps, Comes Fridericus, quæ nunc abs te commemorata sunt. Sicut autem ab initio à me dictum est, ita nunc quoque eius Cels. repetere iussit. Optaret omnino Cels. ipsius, vt instituta collatio etiam de reliquis tribus articulis propositis continuaretur, & absolueretur.

Iudicat etiam Cels. ipsius, cùm Tua Reuerentia per Dominum Baronem, Dominum Vesinum, de his admonita sit, non opus esse ad multos libros recurrere: Hæc enim Tuæ D. tanquam veterano Theologo omnia optimè nota, & perspecta esse, nihil dubitat. Nam de nobis id verè affirmare possumus, nos de his quoque articulis *NE VNVM QVIDEM LIBRVM AVT LIBELLVM*, aut scriptum aliquod nobiscum attulisse.

Sed

Sed cùm animum attulerimus veritatis amantem, pacis & concordiæ piæ studiosum, si firma pax & concordia inter nos omnino constituenda sit, necessariò de his articulis tribus quoque conferendum fore censuimus. Cuius rei causa, cùm hic ante vestrum aduentum, nobis aliquandiu subsistendum fuisset: sententiam nostram in breuissimas, disertas, & perspicuas Theses coniecimus, vt eò magis expedita controuersiarum explicatio in instituta collatione deinceps esse posset.

Quod vt fiat, Cels. ipsius magnopere expetit. Sin verò in sententia persistere, & nõ vltrà colloqui & conferre volueritis: permittit Cels. ipsius, vt Theses nostras vobiscum domum feratis.

D. BEZA.

Cùm hùc venimus, verè testari possumus, nihil cognitum nos habuisse, nos de Baptismo acturos: quemadmodum etiam de euersione Templorum. Et optaremus nos quoq;, institutam collationem de illis Articulis institui, & procedere posse. Sed quoniam propter commemoratas causas fieri non potest: rogamus, vt istæ Theses non legantur, ne in mentibus auditorum aliquid inhæreat, quasi ista doceamus, quæ in Thesibus vestris posita sunt. Et nostrum est, nostram sententiam, nostris verbis explicare. Sed eas domum referemus, ad quas moderatè & forsan commodiùs respondebimus, quàm si de ijs nunc quoq; disputaretur.

D. IACOBVS.

Illustriss. Princeps, Comes Fridericus sic iudicat: si scriptis omnia expedienda fuissent, conuentu hoc minimè opus fuisse. Nam in eum finem potissimùm hæc placida & familiaris collatio instituta est, vt auditores omnes ex vtriusq; partis ore audiant, quæ cuiusque constans & perpetua sententia sit: quod in scriptis aut impressis libris non tam facilè perspici & cogno-

Cur Comiti Friderico non placuerit omnia in scriptis proponi.

cognosci & iudicari potest. In quibus partes vtrinque conqueruntur, sibi ab aduersario iniustè tribui, quæ nunquam senserint aut docuerint.

Et lectores de vtriusque partis scriptorum ita affecti sunt, quando aliquid in scriptis Bezæ occurrit, de quo hæsitant: cogitatio statim incidit, quòd cuperent de hac re nunc coràm D. Iacobum audire, quid ad ea responsurus esset. Vicissim qui mea scripta legit: cuperet interdum, vbi hæret, D. Bezam coràm audire. Huic desiderio auditorum omnium in hoc Colloquio de duobus articulis satisfactum esse, confidit Illustrissimus Princeps, Comes Fridericus. Quæ enim cuiusque partis constans & perpetua sit sententia, & quæ vtriusque doctrinæ fundamenta: satis superq́ue intellexisse omnes arbitror, vt maximè consensus non sit constitutus. Idem in reliquis articulis fieri optasset Cels. ipsius. Quod etiam reliquos auditores expetere, nihil dubito. Nam vox viua, nescio quid latentis energiæ habet, quæ in animos hominum penetrat, & magis tenaciter inhæret, quàm si literis mandetur.

Illustrissimus Princeps, Comes Fridericus, concordiæ & pacis studiosus

Sed quoniam Cels. ipsius videt, vos in proposito persistere: non potest ipsa quoque aliter agere, & totum negocium Deo Opt. Max. commendat. Neque sumptibus vllis pepercisset, si modò pia, sancta, Deoq́ue grata, doctrinæ cœlestis per omnia illęsa & inuiolata veritate, in omnibus controuersis articulis concordia constitui potuisset. Neque dubitat Cels. ipsius, Dominos de toto negocio, maximè de duobus articulis, de Cœna Domini, & de persona Christi, domi diligenter cogitaturos, quæ ad veritatis propagationem & piam concordiam porrò facere videbuntur. Quod vt Domini faciant, nos quoque peramanter oramus.

Doctrina & fundamenta Theologorum Vuirtembergicorum, quomodo comparata.

Nam ex his, quæ vtrinque collata sunt, facilè perspicere poterunt omnes, nos in assertione doctrinæ nostrę, non rationis humanę argumenta, aut glossas humanas, sed perspicuum, apertum, & manifestum verbum Dei proposuisse, & omnes & singulos hortatos esse, & hortari, vt intellectum

suum

suum in obsequium Christi captiuum ducant, & verbo Domini humiliter subijciant, eiq́ue simpliciter credant. Sic fore, vt nunquam fallantur aut decipiantur, sed securè & tutissimè ambulent, & in tentationibus non succumbant, contra Diabolum exultent atque triumphent.

Et omnibus notum est, hoc infaustum & perniciosum certamen de Cœna Domini, & de persona Christi, à nobis minimè exortum, neque nos ei vllam causam vel occasionem dedisse: Qui sine omni disputatione simplicem & literalem sensum verborum Testamenti Christi semper retinuimus, & adhuc retinemus. Atque vt idem omnes pij & fideles faciant, explosis omnibus tropis & figuris, sedulò monemus, & strenuè hortati eos sumus.

Certamen de Cœna Domini & persona Christi, non à Theologis Vvirtemberg. exortum.

Quam doctrinam nostram, ex parte vestra oppugnare cœperunt, neque adhuc desinunt, qui nos ab expressis verbis Testamenti Christi ad tropos & figuras abducere sunt conati. Quibus necessariò resistendum, & non concedendum fuit, vt Testamentum Christi corrumpatur, & planissima eius verba in alienum sensum detorqueantur: idq́ue pro ratione fidei & Ministerij nostri & facere, & vigilare tenemur, nisi Deo & Saluatori nostro Iesu Christo, durissimam rationem reddere velimus.

Quis causam & occasionem controuersiæ de Cœna Domini, & persona Christi, dederit.

Studebimus autem paci & tranquillitati publicæ, quantum illæsa conscientia, & inuiolata veritate fieri potest. Neque vllam causam ad maiores distractiones dabimus: sed quantum in nobis est, operam dabimus, vt sopiantur magis, quàm refricentur controuersiæ. Quod non alia ratione, quàm veritatis doctrinæ cœlestis, syncera & aperta declaratione fieri potest.

Vvirtembergici Theologi pacis & concordiæ studiosi.

Quomodo pia, sancta, Deo grata & Ecclesiæ salutaris concordia restitui possit.

Videmus ipsi quoque, & res atque experientia testatur, scriptis parum profici. Sed cùm errores sparguntur, qui Paulo teste, sicut cancer serpunt, & simplicium atque innocentium corda & mentes occupant: omnino illis semper resistendum esse, idem Apostolus docet.

Falsis doctoribus in Ecclesia resistendum.
2.Tim. 2.

Vvirtembergensium Theologorum affectus & charitas erga Gallicas Ecclesias.

Nos Gallicarum Ecclesiarum miseria seriò & vehementer affici, illisq́ue non modò ex animo condolere, sed etiam pro illis sedulò orare, & Ecclesias nostras ad publicas preces exhortari: Deum ipsum, & nostras Ecclesias, auditores nostros, testes habemus: & optamus atque precamur, vt Deus vel tandem illis malis finem faciat, & piam pacem atque concordiam largiatur. Idem nunc quoque facimus, & faciemus, quoad vixerimus. Neque vnquam ex parte nostra, nos illis defuturos pollicemur, in omnibus illis, quæ ad illorum piam pacem, tranquillitatem & æternam salutem facere videbuntur.

Apostrophe ad Auditores, vt in omnib. controuersijs religionis ad solum Dei verbum respicientes, ab eius simplicitate se nulla glossa abduci patiantur.

Hortamur autem postremò auditores pariter omnes & singulos, vt suæ æternæ saluti inprimis consulentes, non tantùm in præsentibus controuersijs agitatis, sed etiam in reliquis omnibus religionis certaminibus, hominis nullius, huius vel alterius Glossa, sed *SOLO ET VNICO DEI VERBO NITANTVR*, eiq́ue constanter adhęreant, neque se ab eo abduci patiantur.

Constantia & firmitas fidei in SOLO DEI VERBO.

Concordia quando firma.

Sic enim fides ipsorum firma & immota stabit contra omnes tempestates & furores Diaboli: & fortiùs animi coalescent & coniungentur, quando VNVS DOCTOR ab omnibus, pro vnico præceptore & duce agnoscetur, & ab illius ore omnes pendebunt, nulla ratione habita, quòd sensus & ratio nostra non capit: Quorum cogitationibus in mysterijs sacris, pij non indulgent, sed in Christi obsequium intellectum & sensus captiuos ducunt, & se verbo Domini solo doceri patiuntur.

Concordia pijs precibus à Deo impetranda.

Et speramus nos pijs precibus vel tandem consecuturos, vt sancta, Deo grata, & Ecclesijs salutaris concordia constituatur. Quod faxit, & largiatur Deus æternus, Pater Domini nostri Iesu Christi, per Spiritum sanctum, Amen.

D. BEZA.

Gratiarum actio Bezæ.

Illustrißime Princeps: Celſ. Tuæ agimus ingentes gratias, pro hoc ſanctißimo tuo deſiderio, et promouendæ piæ concordiæ ſtudio. Eamq́; precamur, ne arbitretur, aliam ob cauſam

nos

nos collationem hanc detrectare, quàm quòd iustißimū iudicamus, & tutißimum, scripto agere. Deumq́ precabimur, vt hoc sanctum tuū desiderium promouere, & toti familiæ Vuirtembergicæ magis magisq́ benedicere velit.

Gallicas enim Ecclesias nominatim & sæpe expertas, noui, insignem pietatem & beneuolentiam beatæ memoriæ Ducis Christophori, & Tuæ Celsitud. patris, quibus præditi fuerunt. Apud quos & legatos & literas minimè inanes impetrauimus: vt verè dicere poßim, quamplurimas familias, secundum Deum illis suam salutem debere. Quæ vestigia, cùm Tua Illust. Celsitud. sequatur: nostrum est, nos grata mente agnoscere, & pro ista orare, & Illustriß. Celsitud. Tuæ salutem, omnem benedictionem et incrementum à Deo precari. Et speramus, nostra hæc vota non futura irrita. Prædicatio meritorum Illust. Principū Vuirtembergensium in Ecclesias Gallicas.

Quòd ad collationem attinet, petÿmus scriptis agere, non ideo quidem, vt cœtus nihil intelligat: sed arbitrati sumus multo compendiosiùs, & circumspectiùs argumenta scripto comprehendi posse. Cur D. Beza & fratres eius, scriptis agi petierint.

Nos autem Reuerendi viri, Domini Doctoris Iacobi Andreæ oratio reficit, quæ nobis beneuolentiam pollicetur. Neque Gallicæ Ecclesiæ ea se indignas reddent. Dabimus enim operam, vt parem quoque beneuolentiam ipsis præstemus: & quod facimus, meliùs facere studebimus. Prædicant & promittunt mutuam beneuolentiam.

Testari enim poßum per Dei gratiam, in nostris concionibus & prælectionibus, Vbiquistas, Lutheranos, & similes voces inauditas esse. Solemus enim simpliciter nostram sententiam proponere & argumenta recitare, & sine omni amarulentia vestram sententiam, in quibus dissentimus, exponere.

Vtinam verò memoria omnium eorum aboleretur, communi consensu, quæ vtrinque superioribus annis tanta animorum acerbitate scripta sunt. Hæc nostra sunt vota & gemitus: & ne inanis nostra videatur oratio, ausim polliceri, nos exitu rem totam & opere demonstraturos, & operam daturos, vt neque dictum, neque scriptum in Ecclesia nostra oriatur, quod turbare Ecclesiam possit.

Postquam igitur à Theologis Vuirtemberg. D. Bezę & fratribus eius, Theses de reliquis articulis tribus exhibitæ sunt, neque ipsis Illust. Principis, Comitis Friderici voluntas & desiderium ignotum esset, quòd cõtinuationem colloquij expeteret, idemque etiam plurimi ex Gallis vrgerent, & peterent; re priùs inter se priuatim deliberata, Vuirtemberg: Theologis significari curant, se die sequenti, qui erat 27. Martij, de quinto Articulo, qui est de Templorum & Imaginum Papisticarum reformatione: & sequentibus diebus etiam de reliquis duobus, videlicet de Prædestinatione, & de Baptismo, pari modestia, sicut in prioribus articulis factum est, placidè collocuturos. Quod Vuirtemberg: Theologis, inprimis autem Illust: Principi, Comiti Friderico, pergratum fuit.

XXVII. MARTII, Anno 1586.

D. IACOBVS.

REVERENDE D. Beza, quandoquidem nobis hodierno die de quinto articulo, videlicet de Templorum & Imaginum reformatione, placidè & modestè conferendum erit: Illustriss. Principi, Comiti Friderico placet, vt eadem quoque ratio obseruetur, quam in præcedentibus articulis secuti sumus: videlicet, vt primùm à nobis conscriptæ Theses, ante collationem institutam publicè recitentur, vt gustum aliquem Auditores habeant, ad quem scopum tota collatio directa sit.

THESES THEOLOGORUM VVIRTEMBERGENSIVM, DE Templis Papisticis, de Imaginibus, Organis Musicis in templo, & eorum reformatione: quas D. Lucas Osiander recitauit.

Extra controuersiam sunt posita.

I.

TEMPLA diuino cultui destinata, vt in illis verbum Domini doceatur, & audiatur, Sacramenta distribuantur & percipiantur, cùm Idololatria contaminata fuerint, iuxta verbum Domini purganda esse.

II.

Imagines siue pictas, siue sculptas, quibus historiæ, & res sacræ repræsentantur, adiaphoron esse.

III.

Imagines quæ ad Idololatriam prostant, abrogandas & abolendas esse.

IIII.

Status controuersiæ. Quęritur autem: An propter Idololatriam, quæ passim in Templis Papisticis exercetur, ipsa Templa & altaria Imaginibus, sacris historijs minimè Idololatricis exornata, & dispensationi corporis & sanguinis Christi in Eucharistia destinata, diruenda: Item, Organa Musica, tanquam à Deo prohibita essent, ex Templis eliminanda sint: In hac quęstione negatiuam amplectimur & defendimus.

V.

FVNDAMENTA DOCTRINAE ET assertionis nostræ, hæc sunt.

Ioan. 10. Christus in Templo Hierosolymitano docuit, quem locum aliàs speluncam latronum appellat. Et legitimus facta esse Encœnia, non Templum dirutum esse.

Actor. 17. Paulus Athenis ad altare Deo ignoto consecratum, gentibus Christum prędicat. Neque in Actis Apostolorum vsquam legimus, quòd vel ab Apostolis, vel ab illorum auditoribus tale quid tentatum sit.

VI.

Imagines siue sculptæ, siue pictę, non absolutè, sed ratione cultus diuini in lege prohibitæ sunt, ne ad Idololatriam prostarent.

Si enim Deus in lege sua omnes Imagines (etiam extra periculum adorationis & Idololatriæ) prohibere voluisset, (cùm dicit: Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem

tudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra, Exod. 20.) certè non præcepisset fieri duos Cherubin aureos in arca fœderis, Exod. 25. & in velo, Exod. 26. sed & in Templo Ierosolymitano iussu Domini ædificato, fecit Salomon in Sancto sanctorum duos Cherubim, 1. Reg. 6. Et in luteribus sacris erant in latere Cherubim, & Leones, 1. Reg. 7. & sub mari fusili duodecim boues, ibidem: quæ omnia in templo conspiciebantur. Neque tamen his Imaginibus peccatum est in legem Dei, dum nemo eas Imagines coleret. Et Moyses æneum serpentem in deserto Israelitis inspiciendum proposuit, Num. 21. quem Ezechias non contriuisset, nisi populus Israeliticus ei 2. Reg. 18. serpenti thymiama adoleuisset, eoque ad Idololatriam abusus fuisset.

Et quantum à pictura Imaginis Dei distat, quod Isaias dicit: Vidisse se Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum? Isaiæ 6. Et, an non Daniel pingit nobis Deum Patrem antiquum illum dierum? cuius vestimentum candidum erat quasi nix: & capilli capitis eius, quasi lana munda. Deinde pingit filium hominis, venientem vsque ad antiquum dierum, Danielis 7. An non hæ sunt picturæ? Quare si eas Imagines remoueamus, quæ coluntur: satisfactum erit hac in parte legi diuinæ: à cæteris Imaginibus & picturis, nihil erit periculi.

VII.

Regula à D. Paulo præscripta, de infirmis non offendendis, accuratè obseruanda est: & Idola prius verbo Domini ex animis hominum euellenda, quàm ab oculis eorum remoueantur, &c.

VIII.

Quod ad Organa, & instrumenta Musica attinet, manifestum Dei verbum extat: Laudate Dominum in chor- Psalm. 150. dis & Organo. Laudate eum in Cymbalis benè sonantibus. Laudate eum in Cymbalis iubilationis. Exempla 3. Reg. 10. Regum

2. Paralip. 20. 2. Par. 29. 35. Regum piissimorum Dauidis, Salomonis, Ezechiæ, Iosiæ, &c. hoc idem testantur: quorum Musica instrumentalis in Templo à Spiritu sancto non reprehensa, sed commendata est.

SEQVENTIA DOGMATA, SCRIPTVRæ sacræ non consentanea censemus, &c.

I.

Non posse doceri Euangelium in Templo, in quo prohibita & Idololatrica sacra celebrata sunt.

II.

Non licere Cœnam Domini celebrare in altari, quod prius abominationi Missæ Pontificiæ seruierit.

III.

Mensam ex ligno confectam loco altaris lapidei in templis necessariò constituendam esse, in quo Cœna Domini celebretur: cùm tamen Christus vnâ cum discipulis suis non mensa vsus sit, sed humi pro more & consuetudine gentis discubuerit.

IIII.

Abrogationem Imaginum populo permittendam: quæ pietati & sapientiæ Regum, Principum, & cuiusque loci ordinarij Magistratus commendata est.

Iacobus Andreæ D
Lucas Osiander D.

Quamuis autem Responsum D. Bezæ & fratrum eius, ad singulas Theses in isto cõsessu recitatũ non sit, quòd nondum conscriptum, sed postea demum exhibitũ esset: iudicauimus tamen Lectori non ingratum fore, si hoc loco etiã insereretur. Sic.n. quæ vtriusque

vtriusque partis constans & minimè dubia sententia esset, pleniùs intelligere, & institutam de hoc articulo placidam collationem, vtra pars firmis & immotis veritatis testimonijs niteretur, lector pius faciliùs iudicare possit.

RESPONSIO AD Theses de Imaginibus.

Ad I.

[a] A*Ssentimur.*

Ad II.

Picturam & sculpturam agnoscimus in rebus ciuilibus magnum vsum habere: qua de re hîc non agitur. Vsum autem historijs sacris repræsentandis, etsi per se ἐστ ἀδιάφορον: magis tamen [b] *nocere, quàm prodesse, si in sacra loca inferantur, propter humani ingenij ad Idololatricum cultum propensionem ipsa experientia ostendit.* [c] *Nec temerè & sub veteri fœdere, & ampliùs quàm trecentis annis post* [d] *Christum, hic mos non fuit, vt ista alibi quàm in sancto Dei verbo scripta, vel sculpta, vel picta extarent. Imò cùm Paulinus* [e] *Nolanus Episcopus istum morem pingendorum parietum simplici zelo inuexisset: videmus, quò res euaserit, vt hoc fuerit meritò ab* [f] *Elibertino Concilio expreßè prohibitum. Et extat Epiphanij Epistola à Hieronymo è Græcis in Latinum translata, ex qua apparet, intolerabile fuisse illo seculo in æde sacra extare Christi vel sancti vllius imaginem.*

ANNOTATIONES marginales D. Iac. Andr. quibus ad Theses D. Bezæ, post absolutum colloquium exhibitas, breuiter respondetur.

a. Furor ergo, non zelus, aut saltem zelus non secundum scientiam fuit, quòd passim in Gallia & Belgio quàm plurima Templa amplissima diruerunt, & funditùs euerterunt.

b. Fallacia accidentis est. Id enim non fit vicio picturarum aut sculpturæ, sed negligentia Episcoporum & Ministrorum Ecclesiæ, quorum fideli opera hæc omnia facilè caueri possunt.

c. Vbi non est lex, ibi nulla transgressio. Picturæ & sculpturæ non aliter prohibitæ sunt, quàm si ad cultum prostant, Exod. 20.

d. Nullo præcepto diuino prohibiti fuerunt hoc facere: sed ijs temporibus omnia persecutionibus perturbata erant, vt de his non cogitarent. Mos ergò fuit, non præceptum.

e Nolanus impietatis arguendus non est, sed accusanda negligentia pastorum & Episcoporum in docendo: qui hæc omnia facilè cauere potuissent, quæ secuta sunt mala.

f. De Elibertino Concilio, & Epiphanij Epistola, infrà in Colloquio videantur acta.

Ad III.

Non tantùm imagines, quibus manifestè abutuntur homines, sed quibus [g] *allici possunt ad Idololatriam, cuiusmodi sunt, quæ in locis sacris spectantur, tollendas censemus, & in genere expresso Dei verbo assentimur, qui de* [h] *cultu suo loquens, non tantùm adorari, sed etiam fieri imagines vetuit. Præclarè enim Augustinus in Psal. 113. Plus valent, inquit, simulachra ad curuandam infelicem animam, quòd os, oculos, pedes, aures habent, quàm ad corrigendam, quòd non loquuntur, neq; vident, neq; audiunt, neq; ambulant.*

Ad IIII.

Aliud est [i] *euersio templorum, quam minimè probamus, quàm manifestorum* [k] *Idolorum sublatio, quibus vel nunc abusi fuerint homines, vel probabile est non posse non abuti. Et quod ad Organa Musica attinet: Musicen minimè damnamus: sed vbi cantatur harmonicè,* [l] *quod mente non intelligitur, res ipsa ostendit, quid inde consequatur, nempe vt paulatim magna pars cultus Dei in cantiunculas mutetur, & non Dei verbo* [m] *mentes pascantur, sed inanibus sonis aures mulceantur.*

Ad V. & VI.

Rectè docetur templorum euersio minimè esse necessaria, nec temerè [n] *probanda. Sed quod dicitur de templo Hierosolymitano, nullo modo* [o] *huc spectat. Tantùm enim abest, vt, cùm Christus in eo doceret, vllis esset idolis vel sculptis vel pictis contaminatum, vt Iudæi postea extrema quæq; potiùs pati maluerint, quàm aquilæ simulachrum in eo statui. Et disputari posset, an Christus passurus fuerit in templo spectari, qui tanto zelo vendentes et ementes è tẽplo eiecit, & numula-*

g) De his imaginibus nulla inter nos controuersia est. Idem enim prorsus nos quoque sentimus.

h) Consensus est etiam in hoc, quòd ad cultum Deus eas non solùm adorari, sed etiam fieri prohibeat.

i) Hac euersione quàm plurimi infirmi in fide offensi sunt, vt abiecta veritatis doctrina, quam gustare cœperunt, iterum ad vomitum redirent. Et hostes veritatis in Idololatria propugnanda pertinaciores facti sunt.

k) Idola tollenda esse, consentimus. In ijs verò quæ ad repræsentandas sacras historias vel picta vel sculpta sunt, ædificatio Ecclesiæ spectanda, & considerate agendum. Inprimis verò infirmorum perpetua ratio habenda est.

l) Harmonica Musica singulare Dei donum est; cuius præcipuus vsus ad cultum Dei destinatus esse debet, sicut exempla piorum Regum docent.

m) Imò maximè mentes piorum ad pietatem, & deuotè Deo cultum debitum præstandum, excitantur.

n) Nos nullo modo probare possumus illos furores populi: cũ abrogatio ad cuiusq; loci Magistratũ pertineat. In quo tamen etiam prudentia cum pietate requiritur, ne quid intempestiuè aut cum offensione piorum fiat.

o) Imò maximè hùc spectat. Euersiones enim templorũ magis propter impiam doctrinam & Missas Pontificias, quàm propter Idololatricas imagines in Gallijs & Belgio factæ sunt. Quo nomine Hierosolymitano Templo tempore Christi maximè respondent.

mulariorum mensas euertit, cùm tamen prætextum aliquem speciosum haberent, qui prætexi nullis simulachris potuit.

Quòd autem dicitur, imagines nō absolutè, sed ratione cultus in lege prohibitas fuisse; si sic intelligitur, quasi [p] *ceremoniale preceptū, vt obseruatio Sabbathi, negamus: idq́ probamus perpetua & accurata eius præcepti secundi in veteri purè Christiana Ecclesia obseruatione, quæ tamen cæremoniales leges aboleuit. Quod enim ad* [q] *Cherubinos attinet, perinde id fuit, ac si in templo non fuissent positi, nimirū extra omniū etiam Sacerdotum conspectum, & propositi etiam, vt typi Maiestatis illius Messiæ ipsis angelis dominantis, cuius nunc veritatem habemus.*

Aliæ verò imagines, vt leonū [r] *& boum, nihil ad rem pertinent, vt quæ fuerint Vasorum sacrorū ornamenta extra omne Idololatriæ periculum & præterea expresso Dei verbo ita fabrefacta. Aeneum denique serpentem, quàm non oportuerit* [s] *omnium oculis exponi, euentus declarauit: & vtinam imitarentur Christiani* [t] *Magistratus Ecclesiæ exemplum in ijs conterendis, in quibus longè minùs excusabili prætextu Ecclesia Christiana fœdissimè est prophanata, & præcipuè quidem in crucis* [u] *& crucifixi imaginibus, quæ* [x] *quomodo pingendæ & spectandæ sint Christianis, declarat Paulus, Gal. 3. Idem dicimus de Propheticis* [y] *visionibus, quas idcirco minimè Dominus seruis suis exhibuit, vel ab illis describi voluit, vt alibi quàm in verbo ab illis spectarentur, vbi minimè res mutæ sunt, quales sunt pictorum imagines.*

x) Cum pictura crucifixi Christi in Epistola ad Gal. 3. non pugnat etiam externa pictura, quæ neque præcepta neque prohibita cùm sit, tanquam Adiaphoron habenda est. Neque pro Papisticis templis habenda sunt, in quibus crucifixi imagines adhuc reperiuntur, si populus piè & rectè doceatur.

y) Idem nos quoque dicimus. Sed interim nulla ratione doceri potest, impium esse, si ad eum modum pingantur, quemadmodum à Spiritu sancto in Verbo comprehensa sunt.

p) Nequaquam præceptum Dei de prohibitis imaginibus, ad ceremoniales leges referimus: sed ad prohibitū Dei cultum, neque fabricandas neque adorandas, præceptum Dei sonare docemus.

q) Nihil refert, quòd illas imagines populus non aspexit. Sed quæritur: an liceat illarum exemplo imagines pingere aut sculpturâ exprimere? An id per se impium sit? Ad quam quæstionem hæc exempla accommodantur, contra eorum errorem, qui arbitrantur, simpliciter à Deo prohibitum esse, imagines pingere aut sculpere.

r) Eadem ratio harum quoque imaginum est, quæ ad hunc scopum & quæstionē propositam allatæ sunt, sicut de Cherubim dictum est.

s) In hoc non peccatum est, quòd omnium oculis expositus est serpens æneus: sed quòd Sacerdotes populum per doctrinam Mose non rectè erudiuerint Sic enim nihil periculi in illo spectaculo publico fuisset: quo pij fidem suam quotidiè confirmare potuissent.

t) Exemplum Ezechiæ, pij Principes nostro tempore imitati sunt, in tollendis imaginibus, quæ ad cultum prostabant. In reliquis qui moderatè egerunt, ædificationi Ecclesiæ plurimùm seruierunt.

u) De crucis & crucifixi imaginibus nihil periculi est, quàm diu populus rectè docetur. Quando autem doctrina corrupta est, nihil sanum aut syncerum relinquitur, siue adsint siue absint imagines in templis.

Ad VII.

Danda quidem est opera, vt paulatim ex ipsorum Idololatrarum mentibus euellantur idola: sed vicißim [z] *fouendum esse tam fœdæ superstitionis morbum negamus. Nec videmus, quînam non foueantur in eorum animis, ante quorum oculos prostant obiecta, quibus ad illam retinendam commoueantur.*

z. Si sana doctrina Euangelij populo tradatur, plus periculi est à festinatione, quàm à cunctatione & mora longiore in tollendis imaginibus. Priùs enim verbo Dei ex animis hominum eximenda sunt idola, quàm ab oculis remoueantur. Qua in re certum tempus nec potest neque debet definiri.

Ad VIII.

Leuitici cultus partem hanc [a] *fuisse non minimam constat, authore Deo, non hominum placitis institutam: alioqui necessariò in omnibus Ecclesijs Christianis instituendam, si hoc Dei mandatum ad eos pertineret.*

a Instrumentalis Musica adhibita est quidem Leuitico cultui: sed expressum Dei speciale mandatum de ea non habuerunt pij Reges, qui eam instituerunt, cùm à Mose instituta & obseruata non fuerit. Ideoque ad omnes pertinent, quæ ex sacra Scriptura deprompta sunt à Theologis Vvirtembergicis testimonia, pro instrumentali Musica in templis retinenda. Et malè faciunt, qui eam, tanquam à Deo prohibitam, ex Ecclesijs & Templis eliminant.

AD DOGMATA.

A *Reuerendis Dominis Collocutoribus damnata, & superioribus Thesibus subiecta, neq; ad nos,* [b] *neque ad vllas, vt existimamus, Christianas Ecclesias pertinent. Hoc tamen dicimus, quamuis res per se sit* ἀδιάφορος, *lapideam structuram, quam altare vocant, vel ligneam mensam communem habere in vsu sacræ Cœnæ Dominicæ: tamen probabile non est, Satanam vnquam potuisse Cœnæ Dominicæ Sacramentũ in illud horrendum* [c] *sacrificium denuò offerendi Christi commutare, si altaribus Christianæ Ecclesiæ caruissent.*

b. Esse hæc dogmata à Zvvinglianis & Caluinianis sparsa & opere completa, infrà in Colloquio copiosè demonstratur.

c Sacrificium altaria, non altaria sacrificia pepererũt De quo etiam plura in ipsa collatione sequentur.

sent. Et vtinam ista Sacramenti altaris appellatio nunquam fuisset vsurpata.

Theodorus Beza, Geneuensis Ecclesiæ Minister.
Abrahamus Musculus, Bernens. Ecclesiæ Minister.
Petrus Hübnerus, Grçcæ linguę in Gymnasio Bernensi pub. Professor.
Antonius Faius, Geneuensis Ecclesię Minister.
Claudius Alberius D. Professor Philosophię in Academia Lausannensi.

Mompelgarti 29. Martij, 1586.

D. IACOBVS.

REVERENDE Domine Beza, Theses nostras non eo consilio conscripsimus & proposuimus, quòd Idolorum patrocinium suscipere velimus: nam ipsa Thesium recitatio apertè demonstrauit, quòd non minùs, quàm vos, omnia idola, & idolorum cultum abominemur & apertè damnemus. Vvirtembergici Theologi non sunt Idolorum patroni.

Quia verò intempestiua non solùm imaginum demolitione, sed etiam Templorum vastatione & euersione, quàm plurimi in Gallijs & Belgio offensi, & à doctrina Euangelij eiusmodi actionibus deterriti sunt, qui nondum in doctrina Christi verè instituti fuerunt: & quòd valdè metuendum, multi etiam in impietate sua confirmati, & corporibus & animabus in æternum perierunt: iudicauimus admonitionem nostram vobis non ingratam fore, si ea de re, quid faciendum arbitremur, placidè & familiariter conferamus. Nos autem existimamus, vos hac in parte parùm aut nihil à nostra sententia discrepare. Ideoquè etiam sperauimus, huius controuersiæ, si quæ esset, facilem compositionem fore. Et simul etiam auditores admonendi sunt, vt intelligant, quid in hac re Magistratibus & subditis faciendum sit, ne dum saluti ani- Fructus disputationis & collationis de quinto Articulo.

marum abrogatione imaginum consulere videamur, quam plurimi in pręsentissimum & æternum exitium pręcipitentur.

D. BEZA.



ATEOR me in disputatione proposita nonnihil miratum esse, quo consilio hæc de templis & imaginibus à vobis proponerentur. Neque enim arbitror quicquam produci posse, vnde statui queat, ad nos ista dogmata, quæ in Thesibus vestris damnantur, quadrare, aut nobis tribui posse.

D. Beza non probat euersionem Templorum & Imaginum in ciuilibus Bellis Gallicis factam.

Non negamus huiusmodi in Gallia in exortis tumultibus & ciuilibus bellis facta esse aliquo Zelo, sed non secundum scientiam, quoniam modum excesserunt. Illa aũt nostra confessione & doctrina approbata esse, non puto contra nos doceri & demonstrari posse. Cuius rei ego testis esse possum, qui bello huic ab initio vsque ad finem interfui. Testari enim possum, me & collegas meos, Principes & Duces sæpè monuisse verbis, & re tentasse, vt hos conatus impediremus, & quæ in illa ataxia acciderunt: sed frustra monuisse, & nihil efficere potuisse.

Cùm igitur nunc agatur duntaxat de ijs, quæ in Ecclesijs nostris docentur, non quæ in ciuilibus motibus, in Gallia, aut Belgio, aut alijs in locis acta sunt: mirati sumus, illam quæstionem huic tractationi permixtam esse.

Sed quoniam ita vobis in vestris Thesibus facere visum fuit: non volumus repugnare, & relictis illis, quæ extra controuersiam sunt posita, ad ea nos conuertemus, de quibus dubitari queat. Sunt enim quædam à vobis in illis Thesibus scripta, de quibus quæri posset. Quapropter si ita placet, ordinem Thesium vestrarum sequar, & ad singulas respondebo, vt appareat, in quibus consentiamus vel dissentiamus:

tiamus: Et quæ de omnibus & singulis sit sententia nostra. Idq́ue breuiter, cùm tempus profectionis nos vrgeat, quod breue est.

D. IACOBVS.

Reuerende Domine Beza: Grata nobis oratio Tuę Dignitatis fuit, qua testaris tibi & collegis tuis illam intemperiem & ἀταξίαν in euersione Templorum minimè probari, neq; vnquam probatam fuisse, quæ superioribus annis in ciuilibus motibus Gallicis & Belgicis accidit.

Quòd autem eorum in Thesibus nostris aliqua mentio facta est, vicissim tibi sanctè affirmare possumus, hoc consilio à nobis factum esse, cùm minimè dubitaremus, eiusmodi inconsideratas actiones vobis minimè probari, vt apud alios quoque consensus vestri hac in parte publicum testimonium extaret, quò minùs hoc nomine Ecclesię vestræ grauentur, quibus eiusmodi actiones, tanquam ab ipsis probatę tribuuntur & imputantur. Qua ratione apud omnes verè pios facilè purgari & excusari poterunt. Euersionis Templorum cur in Thesibus Vvirtemberg. Theologorum facta sit mentio.

Quia verò T. D. iudicat, quędam in Thesibus nostris proposita esse, de quibus non inutilis collatio videatur: petimus vt à vobis placidè proponantur, ad quę etiam nos modestè respondebimus.

D. BEZA.

Ego singulas Theses primùm recitabo, & in quibus hæreamus, significabo.

Extra controuersiam sunt hæc posita.

I. THESIS VVIRTENBERgensium Theologorum.

Templa diuino cultui destinata, vt in illis verbum Domini doceatur, & audiatur, Sacramenta distribuantur & percipiantur, quæ Idololatria contaminata fuerunt, iuxta verbum Domini purganda esse.

D. BEZA.

D. BEZA.

Publicis Templis & statis temporibus opus est.

Assentimur. Cùm enim Dominus ordinis & non confusionis Deus sit, iudicamus opus esse, publicis locis & statis temporibus, vbi, & quando cœtus Ecclesiasticus ad audiendum verbum Dei, ad percipienda Sacramenta, & ad publicas preces conueniat, vt secundum Apostoli admonitionem & ordine & decenter fiant. Quapropter templis opus esse dicimus.

II. THESIS.

Imagines siue pictas, siue sculptas, quibus historiæ & res sacræ repræsentantur, ἀδιάφορον esse.

D. BEZA.

Sculpturas & picturas & earum artifices non improbat D. Beza.

Nos non modò picturas, sed etiam sculpturas nunquam improbauimus: quarum magnus est vsus, non solùm in sacris historijs repræsentandis, sed etiam in rebus ciuilibus, maximè in plantis describendis & depingendis. Ideoq; etiam artes illas non improbamus, sed cōmendamus, & exercendas esse, tanquam Reipub. vtiles, affirmamus.

De picturis & Imaginibus in locis sacris.

Quod verò ad imagines siue pictas, siue sculptas attinet, quamuis earum vsum non reijcimus, quibus res, aut historia sacræ repræsentantur: non tamen in locis sacris eas facilè admittimus. Neq; etiam tutū iudicamus, sculptas Imagines præsertim, in Templis proponi: non quòd per se impium esse, aut non licere existimemus, sed propter tristem faciem Ecclesiarum, quam in Templis Pontificiorum aspicimus, quæ ex vsu Imaginum & picturarum ortum sumpsit.

Paulini Episcopi factum male cessit.

Paulinus Nolanus Episcopus, bono quidem consilio instituit Imagines: sed malè cessit. Etsi enim eius studium nemo impro-

improbare aut reprehendere potuit: euentus tamen docuit, à picturis abstinendum esse. Quoniam à picturis ad cultū peruentum est: quæ tandem in altaria euaserunt, & locū Christi occupârunt, ex quo Iesum Christum tandem expulerunt. Ideo in Elibertino Concilio in Hispania imagines prorsus abrogatæ sunt, sicut Canon 36. docet: Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur. Tutiùs enim extra templa, & ædes sacras, quàm in ipsis tēplis collocātur. Quod D. Augustinus in Psal. 114. quoque confirmat: Ducit enim (inquit) & affectu quodam infirmo rapit corda mortalium formæ similitudo, & membrorum imitata imago.

Imagines in Concilio Elibertino abrogatæ.

Accedit veteris Ecclesiæ consuetudo, quæ picturis caruit: à qua non temerè recedendum est.

Et nota est Præstantiæ T. Epistola Epiphanij à Hieronymo cōuersa, qui Chrysostomi σύγχρονος *fuit. In qua scribit: se venisse in villam quandam, et ibi in Ecclesia inuenisse velum pendens in foribus illius Ecclesiæ, tinctam atq; depictā habens imaginem hominis pendentis, probabile est, imaginem crucifixi fuisse, quod velum scidit, & consilium dedit, vt pauperes mortui eo obuoluerentur & efferentur. Illi contrà murmurantes dixerunt: si scindere voluisti, æquū erat, vt aliud dares velum, atq; mutares: quod se daturum pollicitus est. Ex quo constat, eo tempore imagines rem ignotam fuisse in templis. Oportet igitur & nos exemplis & periculis præcedentium temporum sapere, &, quantum in nobis est, omnes occasiones Idololatriæ cauere.*

In Epistola Epiphanij ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum.

Quapropter, vt maximè concedam, vsum imaginū, quibus res et historiæ sacræ repræsentātur in templis, ἀδιάφορον *esse: quia tamen homines facilè his abutuntur, quæ in sacris*

Vsus imaginum in templis ἀδιάφορον.

locis spectantur: eos sapienter facere iudico, qui omnia hæc ex templis eliminent. Et potuit Ecclesia primitiua trecentis annis vsu imaginum carere, possumus & nos. Et quò ab octingentis annis euaserint, postquam in templa & loca sacra introducta sint: res ipsa docet. Quæ nos monere meritò debent, ne in tanta luce Euangelij illarum vsum admittamus. Videmus enim, quàm sit difficilè homines nunc ab illis reuocare, qui in eis hærent, nec se auelli inde patiuntur.

Ideoq; Thesin vestram admittimus: sapienter tamen eos facere iudicamus, qui hunc lapidem offensionis è medio tollunt, ne homines cadant. Nam periculum est, ne quis hæreat in picturis, sicut factum esse videmus.

Quapropter sic vestram Thesin non improbo: ne tamen nostri propterea minùs sapienter fecisse putentur, qui picturas, & sculptas imagines ex causis commemoratis amouerunt.

2. Reg. 18. *Quemadmodum Ezechias Rex piè fecit, quòd æneũ serpentem contriuit, cui populus sacrificia obtulit. Sic enim faciendum est, ne in illos scopulos impingant homines. Loquor autem de ijs locis, in quibus hæc omnia ordine peracta sunt.* *NB.*

D. BEZA.

Imagines siue pictæ, siue sculptæ ἀδιάφορον.

Reuerende D. Beza, pergratum est nobis, audire, quòd T. D. secunda Thesis quoque probatur. Qua in parte inter nos consensus est. Sunt enim imagines, siue pictæ, siue sculptæ, sua natura res adiaphoræ, quibus sine peccato carere, & easdem quoque habere possumus, modò abusus non accedat, in verbo Domini expresse prohibitus: qui est cultus seu adoratio, quæ imaginibus nequaquam debentur.

Idololatrici cultus imaginum, quę principalis causa fuerit.

Quòd verò T. D. de periculo addidit, & cautè ac circumspectè agendum monuit, ne occasio ad Idololatriam detur, præsertim in templis, & locis sacris, idquè historica narratione

ex Paulino Nolano Episcopo, Epiphanio, Augustino, Concilio Elibertino, & consuetudine veteris Ecclesiæ confirmauit, & ostendit, quantum damni Ecclesijs, quàm plurimis in locis, imagines siue sculptæ, siue pictæ, dederint: ideoq́ue tutissimum iudicat, vt è templis & locis sacris eliminentur & amoueantur. Respondeo: Verum est, quòd natura nostra corrupta, ad Idololatriam admodum prona & procliuis sit: ideoq́ue in hoc assentior, cautè & circumspectè hac in re agendum, ne imaginibus, siue pictis siue sculptis occasio aliqua ad Idololatriam detur.

Natura ad Idololatriam prona.

Quòd autem, quæ bono consilio in templa & loca sacra introducta sunt, infeliciter ceciderint, & posteritas ad Idololatricum cultum conuerterit: culpam existimamus nos non imaginum seu pictarum seu sculptarum vsum, sed negligentiam doctorum Ecclesiæ fuisse, qui suum officium docendo non fecerunt.

Etsi enim imagines, quibus res & historię sacræ repręsentantur, & quæ passim in Scriptura sacra extant, literarum imperitis res gestas in memoriam reuocant (qui vnicus in templis, alijsq́ue siue sacris, siue prophanis locis imaginum vsus est) sine impietate & absque offensione Dei retineri possunt: tamen si Ecclesiarum ministri docendo officium non faciant, fateor, facilem lapsum ad prohibitum cultum esse.

Imaginum vsus in templis & locis sacris.

Sed propterea simul omnes abolendas, & ex templis & locis sacris, sine omni discretione, eliminandas esse, non video: modò Ecclesiarum pastores officium suum sedulò & diligenter fecerint. Si enim rectè & purè verbum Dei in templis & omnibus locis sacris sonat: nihil periculi ab imaginibus est, quæ res duntaxat repræsentant sacras, & populo imperito in memoriam reuocant.

Quòd autem T. D. dicit, eos, qui imaginibus inhærent, magis à Scriptura sacra auocari, quàm eiusdem commonefieri, & ad eam reuocari: dico, quod res est: Cùm ferè vniuersam Saxoniam peragrarem, in qua multos annos, sicut nosti, versatus sum, vidi præcipuas Ecclesias, & in ijs quidem plurimas, in quibus paucę, aut nullę prorsus imagines, siue pictæ

An imagines & picturæ homines à sacra Scriptura auocent.

siue sculptę, e templis, & locis sacris publicis remotę & eliminatæ sunt: Et, quod amplius est, quæ adhuc totam πανοπλίαν vestium retinent, quibus in celebratione Missæ Pontificiæ, superioribus annis vsi sunt. Vbi tamen ne vnus quidem homo, quod ego audiuerim, reperitur, qui Pontificiæ Romanę religionis superstitioni & Idololatrię sit addictus.

Imagines & picturæ in Saxonicis templis, sine omni superstitione.

Lutherus enim, pię memorię, solo verbo Domini ab initio, in ijs locis Ecclesias purgauit, & per hoc vnum Organum Spiritus sancti, idola omnia, quibus animi hominum occupati fuerant, ex auditorum cordibus euulsit, priusquam ne quidem res minutissimas ex oculis remoueret. Idolum enim in mundo nihil est, sicut Apostolus, 1. Corinth. 8. testatur: sed in cordibus resident hominum à Sathana fabricata. Ea cùm ex cordibus eliminata fuerint, nihil amplius ab imaginibus periculi est.

Lutheri modestia & prudentia in reformanda Ecclesia.

Quia verò non omnes pariter affecti sunt, nec statim aut in momento corda hominum omnia simul mutari possunt: ideo certum tempus definiri, aut describi non potest, quando hæc omnia ex hominum oculis remouenda sint.

Quando imagines ex oculis hominum remouendæ.

Sic Lutherus cucullam seu habitum monasticum multis annis gestauit: quum minimè ignoraret, quæ opinio hominum de monastico vestitu esset, quo finxerunt etiam in conspectu Dei peccata tegi posse. Sicut principibus viris persuasum fuit, vt mortua ipsorum corpora tali habitu induta sepelirentur, quò meritorum monastici ordinis omnium fierent participes.

Lutherus cur tamdiu cucullam gestauerit.
Opinio de monastico cultu.

Hac moderatione plus ædificauit Lutherus Ecclesias, & Papatui derogauit, quàm illi, qui vix vna atque altera concione habita, bipenni (sicut Germani loquuntur) omnia sustulerunt, quibus homines ad cultum Dei prohibitum abusi sunt.

Lutherus moderatione sua plus damni dedit Romano Pontifici, quàm alij suo inconsiderato zelo.

Quemadmodum in Ducatu Vuirtembergensi experti sumus, vbi primo anno, post introductam & accensam lucem Euangelij, & abrogatam Pontificiam Idololatriam, passim ex omnibus templis imagines remotæ sunt, priusquam ex

animis hominum opinio cultus prorsus euelleretur: vnde factum est, vt quàm plurimi hac intempestiua reformatione, bipenni (quod aiunt) suscepta, ita offenderentur, vt neque conciones Euangelicas audirent, neque ad Sacramenta amplius accederent, sed Idololatriæ Papisticæ vsque ad extremum vitæ spiritum, contempta Euangelij doctrina, & vero Sacramentorum vsu, adhærerent. Hic fructus fuit intempestiuæ illius reformationis, in qua nulla infirmorum in fide ratione habita, omnia demoliti sunt.

Cùm igitur imagines siue pictæ, siue sculptæ, quibus res, aut historiæ sacræ repræsentantur, natura sua sint adiaphoræ: prudentia cùm in retinendo, tum in abrogando opus est, ne vel infirmi offendantur, & à doctrina Euangelij deterreantur, aut homines superstitiosi in sua impietate confirmentur & pertinaces fiant.

Prudentia opus est in abrogandis imaginibus.

Et quoniam minus periculi est, quando pura & syncera doctrina sonat, qua omnes ab Idololatria ad verum Dei cultum quotidianis concionibus reuocantur, si retineantur, quàm si temerè & inconsideratè aboleantur: iudicamus, Magistratum cuiusque loci minùs peccare, & longè meliùs animarum saluti consulere, si diutiùs tulerint, quàm intempestiuè abrogauerint. Etenim non minùs in libertatem Christianam peccatur, si populus doceatur, necessariò hæc omnia abolenda esse, quàm si persuadeatur, necessariò retinenda esse. Si enim ἀδιάφορα sunt, sicut consensus inter nos est: qua ratione hoc vel illud necessariò vrgeri potest? Et solent plerunque eiusmodi inconsiderato zelo, vnà cum imaginibus etiam alia abrogari, quæ à Maioribus non temerè aut cum impietate introducta, vel saltem ordinis & decori causa præstaret retineri, quàm non sine offensione multorum denuo instaurari, quæ semel tanquam impia & superstitiosa seu Idololatrica abrogata, & eliminata sunt, cùm sua natura minimè impia, aut verbo Dei contraria essent. Quorum neutrum fit, quando tam inconsideratè furori populi hæc res committitur, etiamsi Magistratus authoritate fiant.

Scopuli duo in retinendis & abrogandis imaginibus.

Cum abrogatione imaginum multa salutaria sublata.

Petri Vireti vox de crucifixo Christi.

Scripsit alibi Petrus Viretus, per vaccam crucifixum Christum magis repręsentari, quàm per imaginem vel pictam vel sculptam. Quæ oratio pios homines etiam imaginibus minimè addictos non parùm, neque immeritò offendit. Ab eiusmodi ergo dictis & factis abstinendum iudicamus, & eò elaborandum, vt doctrinæ puritas retineatur, tum ab eiusmodi imaginibus nihil periculi erit, quæ in templis retinentur, vt videant, hanc domum seu templum, in hunc solum vsum, videlicet ad cognoscendum Christum crucifixum extructam esse: In qua omnes cogitationes de rebus Politicis & Oeconomicis quiescere, & diuino cultui mentes addictæ esse debeant.

D. BEZA.

Totum hoc negocium in duabus potissimùm rebus positum est, videlicet in prudentia pastorũ, & in circumstantiarum consideratione. Nam certum est, obiecta mouere sensus. Quàm diu ergo hæc in oculis hominum retinentur, tam diu etiã Idololatria retinetur, vt homines illis adhæreant. Consuetudo in quibusdam locis obseruata est, vt eiusmodi imagines ad quatuor annos post reformationem retinerentur. Verùm de his nolo cum quoquam contendere, aut aliorum facta reprehendere: modò occasiones omnes ad Idololatriam, quantum fieri potest, caueamus.

D. IACOBVS.

Certum tempus abrogandis imaginibus non præfixum.

Ego certum tempus abolendi imagines definiri non posse existimo: sed ad ædificationem Ecclesię semper respiciendum esse censeo, vbi plus periculi est in intempestiua demolitione, quàm si eo modo retineantur, sicut dictum est.

D. BEZA.

Procedam ergo ad tertiam Thesin, quæ sic sonat.

III. THESIS.

Imagines, quæ ad Idololatriam prostant, abrogandas & abolendas esse.

RESPON-

RESPONSIO D. BEZAE.

Si rectè intelligo D. V. in hac Thesi non intelligitis imagines, quibus homines abutuntur: sed quæ ad exercendam Idololatriam propositæ, & in Ecclesias in hunc vsum inuectæ sunt, quarum aliàs nullus vsus est. Hæc si vestra sententia est, multæ imagines stabunt, quæ abrogandæ essent. Ego enim iudico, eas quoq; remouendas imagines, quæ homines ad Idololatriam inuitare possunt.

Quæ imagines ex templis remouendæ sint.

Nõ permisit Rex Ezechias stare serpentem æneũ (qui beneficij Israelitico populo in deserto præstiti, memoriale fuit) quòd populũ ad Idololatriã inuitaret. Cur igitur nõ liceret, etiã eandem ob causam imagines ex sacris locis tollere, vt similis Idololatria caueatur, & populus ad eam nõ inuitetur.

2. Reg. 18.

Quacunq; ergo ratione vel pingantur vel sculpantur imagines: maiorem illarum abusum, quàm verum vsum in templis esse existimo. Nescio etiam, qua ratione passim pingantur. In templis enim Papisticis per Galliam & Italiam, alijsq; in locis virgines meretricio habitu pinguntur, vt homines per eas ad preces inuitentur, scilicet.

Virgines meretricio habitu pictæ in templis.

Quapropter nos, sine omni tamen præiudicio, mallemus consuetudinem primæ & purioris Ecclesiæ obseruari, in qua NVLLAE prorsus imagines fuerunt.

Vellẽ aũt, passionem D. N. Iesu Christi, et crucifixũ Christum prædicatione verbi, Christianis pingi: sicut ad Gal. à Paulo depictũ legimus. Quib. (inquit) præ oculis Iesus Christus antè fuit depictus, et inter vos crucifixus. Hæc vera est pictura et imago crucifixi Christi, si ad hũc modũ pingatur, & passionis, & mortis eius meritũ populo p̄dicetur. Reliquæ aũt vel pictæ vel sculptæ imagines, homines ad terrena reuocãt, ad quæ naturâ ꝓcliues sunt, ꝙ perdidit Ecclesias. Nã cũ imaginibus, Idololatria in Ecclesias ingressa est: cũ quib. etiam

Vera pictura imaginis Christi.
Gal. 3.

etiã ipsa Sacramenta, in Idola degenerârunt: adeò quidem, vt Papistæ, non vt Sacramentum, sed vt Idolum colerent. Sicuti hostiæ consecratæ in Festo corporis Christi, & in Missis quotidianis Papisticis accidit.

Ideoq; vsum & abusum imaginum, si maximè conferamus: nulla comparatio erit vsus, respectu abusus. Quapropter nostro iudicio debebant tolli. Nolo tamen tot doctissimis & religiosissimis viris quicquam præscribere: sed meliùs interim facere puto eos, qui simul omnes remouent, & ab illis homines reuocant. Olim si Christianus homo imaginem in priuatis ædibus conspexisset, eam non tulisset, sed forsitan Zelo, vt maximè non secundum scientiam, sustulisset.

D. IACOBVS.

Imagines res sacras repræsentantes in Ecclesia Dei retineri posse.

Respondebo breuiter ad declarandum consensum. Nos iudicamus salua & illæsa conscientia tamdiu imagines in templis retineri posse, quibus res aut historię sacræ repręsentantur, quamdiu homines illis ad Idololatriam non abutantur. Ideoque propter abusum NON NECESSARIO abolendas, vt nisi aboleantur, Ecclesiæ non repurgatę, & ad pręscriptum verbi Dei minimè reformatę esse videantur. Si enim adiaphoræ: ideò etiam neque necessariò remouendæ, neque necessariò retinendę sunt.

Quæ imagines necessariò abolendæ.

Neque Ezechias Rex serpentem vnquam sustulisset, nisi populum ei sacrificare vidisset. Quapropter, quæ ad eiusmodi cultum prostant, nos quoque abolendas esse censemus.

Turpes picturæ & imagines abolendæ.

Quod ad imagines vel pictas vel sculptas attinet, vbi virgines meretricio habitu, magna parte corporis nudatæ, depictę & altaribus impositę, vt earum aspectu Sacrificuli & Monachi suas Missas priuatas admodum DEVOTE celebrent, scilicet: verè testari possumus, in Ducatu VVirtember-

gico,

gico, in celeberrimis Monasterijs omnibus, vbi conspectę fuerunt, simul cum alijs sublatas & deletas esse.

Ideoq́ue etiam de hoc inter nos nulla vel dissensio aut controuersia est. Sed hoc solùm quæritur: An talis imago, vna aut plures, verbi gratia, crucifixi Christi, in Ecclesia, sine superstitione & impietate retineri queat, vel non? Nam si tales circumstantiæ accedant, de quibus locutus est D. Beza: demoliendas & abrogandas esse simul omnes iudicamus. Qua in re etiam inter nos consensum esse arbitror.

Status disputationis de pictis & sculptis imaginibus.

D. BEZA.

Ad Thesin igitur quartam accedamus, quæ sic sonat.

IIII. THESIS.

Quæritur autem: An propter Idololatriam, quæ passim in templis Papisticis exercetur, ipsa templa & altaria imaginibus, sacris historijs minimè Idololatricis, exornata, & ad dispensationem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia destinata, diruenda? Item, organa Musica, tanquam à Deo prohibita essent, ex templis eliminanda sint? In hac quæstione negatiuam nos amplectimur & defendimus.

D. BEZA.

Reuerende Domine Doctor: Hac de re, vt prolixè inter nos agamus, non puto opus esse, quoniã consentimus, videlicet, posse retineri templa & altaria ad vsum Cœnæ Domini destinata. Etsi enim illi ad Idololatriam suam abusi sunt: nos tamen ad habendas conciones pias, & ad verũ vsum Sacramentorum, piè & rectè vti possumus. Sic nos quoq; Geneuæ, & alijs in locis eadem retinemus templa, ad eũ vsum, cuius

Templa & altaria à Papistis prophanata retineri posse.

causa ab initio extructa & instituta sunt. Similiter etiam altaria ad vsum Cœnæ Domini retineri possunt.

Non placet D Beza

Harmoniæ Musicæ magna & occulta vis.

Musicæ præstantissimus vsus.

Quod ad Organa Musica attinet: scimus, Musices et Harmoniæ illius magnam vim esse ad permouendos animos hominum. Neq; præstantiorem eius vsum videmus, quàm vt ad celebrationem & laudem nominis diuini, & permouendos atq; excitandos animos hominum ad verum Dei cultum dirigatur & seruiat.

Sed videmus, quid in Papatu contigerit. Nam organa non loquũtur, & harmonia tantùm auditur, sine intellectu, qua aures tantùm, non animus, reficitur: quibus cantores adhibentur. Quid autem vel organo, vel varijs vocibus Musicorum canatur, plebs non intelligit, sed animus in harmonia tantùm, quæ aures ferit, retinetur.

Musicæ cuius vsus sit in templis.

Eius autem Musicæ vsus est in templis, quæ ab omnibus intelligitur; vbi mens percipit, quod in auribus sonat: atque hoc modo intelliguntur, quæ cantantur, & cantus aptus sit, ad id, quod canitur. Talis est cantus Psalmorum in Ecclesia receptus, quem nos minimè improbamus.

Cantus Psalmorum in templis probatur.

Quando autē Organo aut alijs instrumentis Musicis in Ecclesia luditur, aut varijs vocibus canitur, vt à populo non intelligatur: ibi sonus tantùm in auribus retinetur, et de sono magis cogitatur, quàm de rebus, quæ canuntur. Ideo illā Musicam remouemus, cuius in Ecclesia nullum vsum esse videmus. In priuatis ædibus eius vsum esse, minimè negamus: sed in Ecclesijs animus totus in illas res defixus esse debet, quæ ad Deum, & ad eius verum cultum deducunt.

Musica figuralis cur ex Ecclesia remouenda videatur.

Et notum est, Organistas in organis sæpe impudicas cantilenas ludere: quod similiter in Ecclesia fieri non debet. Hæc instrumenta Musica similiter ἀδιάφορα esse non negamus:

Organi & aliorum instrumentorum vsus, est ἀδιάφορον.

gamus:

gamus: quibus sine offensione Dei, vti vel carere possumus. Procedo igitur ad sequentem Thesin.

D. IACOBVS.

Ego testificandi consensus causa, pauca quędam adijciam. Quantum enim intelligo, R. T. D. iudicat, organa in templis rem adiaphoram esse, quę neque mandata, neque prohibita sint à Deo, in quo etiam consentimus.

Quod verò addis, in Musica figurali, siue organo instrumentoq́ue Musico, siue voce humana fiat, auditores sonos & harmoniam tantùm, non res spectare, quae canantur: qua ratione nullus vsus figuralis Musicae in templis esse videatur, siquidem aures tantùm, non animus reficiatur. Respondeo, res ipsas, quae figurali Musica canuntur, non omnibus ignotas, sed eruditis, & qui latinè, aut ipsam Musicam didicerunt, bene notas esse, quibus etiam in illa harmonia afficiuntur. Et de meipso sanctè affirmare possum, vt qui Musica figurali, & organo plurimùm delector, non modò aures sonum percipere, sed animum quoque harmonia illa affici mirificè, & vel ad preces, vel ad conciones ardentiore spiritu habendas vel audiendas excitari, quando suauissima harmonia canticum Ecclesiasticũ vel organo luditur, aut à cantoribus, priusquam concionator suggestum conscendat, recepta consuetudine, cantari solet: adeoq́ue vim illam diuinitus harmoniae inditam, in meipso efficaciter sentire affirmo, de qua ab initio dixisti, quòd Musicę figurali insit. Idem quoque à multis alijs pijs viris, etiam Laicis, artis Musicę ignaris audiui, quòd similiter in seipsis experiantur.

Vsus Musicae figuralis, & organi in templis.

Pręterea de Dauide nota est historia, cùm coram Saule, quando à spiritu Domini malo exagitabatur, cythara luderet, quòd harmonia malignum spiritum repulerit. Quae harmonia non modò aures Regis Saulis feriebat, sed animũ quoque eius afficiebat, vt à malo spiritu ad tempus liberatus & quietus esset. Non enim Dauidem cecinisse, sed instrumento Musico, quale tandem illud fuerit, lusisse tantùm scribitur.

Dauid Cytharae vsu, in Saule Spiritum Domini malum repulit. 1. Sam. 18.

Musicæ figuratæ vis quanta sit.

Non igitur contemnenda vis est harmoniæ Musicæ figuralis, quæ spiritum Domini malum repressit: quæ ad animum vsque, etiamsi, quod luditur aut canitur, non ab omnibus intelligatur, penetrat. Quam vim multò maiorem in se experiuntur & sentiunt, qui vnà cum harmonia res quoque sacras, quæ canuntur, intelligunt.

Organorum Musicorum abusus non tollit verum vsum.

Quod verò ad abusum organorum in templis attinet, in quibus interdum prophana & impura ludantur: iudico fallaciam accidentis, & propter abusum, verum & legitimum vsum organorum in templis minimè abrogandum esse. Aliàs vini vsu omnibus interdicendum esset, quòd plurimi eo ad ebrietatem vsque abutuntur.

Quapropter cùm Organistæ ludunt turpia, quæ cœtum Ecclesiasticum minimè decent: seueriter cohibeantur, ne porrò faciant: & sedulò caueamus, ne templum prophanetur magis, quàm Deus celebretur, sed omnia in Ecclesia ordine & decenter fiant.

Disputationi de organis, quid occasionem & causam dederit.

Occasionem autem, & causam huic quæstioni dedit, vt eam proponeremus: quoniam multis in locis non modò cantus & organorum Musicorum in templis vsus prorsus, tanquam res prophana, & Deo minimè grata, abrogatus est: sed in ipso templo equi adhibiti sunt, vt funibus & catenis vniuersum corpus organicum Musicum, tanquam prophanum vno impetu deijceretur, & ex templo eliminaretur. Quasi à Deo essent prohibita organa Musica in templis, neque bona conscientia sine offensione Dei retineri possent. Cùm constet esse adiaphora, & non modò licita, sed etiam egregia templorum ornamenta: modò illis ad celebrationem numinis diuini vtantur, quod non modò non prohibitum, sed expressè mandatum est, Psalm. 150. Laudate Dominum in sono tubæ: Laudate eum in psalterio, & cythara: Laudate eum in tympano & choro: Laudate eum in chordis & organo: Laudate eum in cymbalis bene sonantibus: Laudate eum in cymbalis iubilationis.

Psalm. 150.

Sic

Sic, cùm ARCA DOMINI de Cariathiarim reduceretur: Dauid cum vniuerso Israele ludebat coram DEO, omni virtute, in canticis, & citharis, & psalterijs, & tympanis, & cymbalis, & tubis.

D. BEZA.

Cùm in re ipsa sit inter nos consensus: nihil amplius hic addere volo. Quapropter ad Thesin quintam accedamus, in qua fundamenta sententiæ vestræ de templorum, & imaginum vsu ponuntur.

THESIS V.

Christus in templo Hierosolymitano docuit, quem locum tamen aliàs speluncam latronum appellat: & legimus facta esse Encœnia, non templum dirutum esse.

Fundamenta doctrinæ Theologorum Vvirtembergensium de imaginibus, & instrumentis Musicis in templis.

Paulus Athenis, ad altare Deo ignoto inscriptum, gentibus Christum prędicat. Neque in Actis Apostolorum vsquam legimus, quòd vel ab Apostolis, vel ab illorum auditoribus tale quid tentatum sit.

RESPONSIO D. BEZAE.

Nos existimamus, aliam rationem templi Hierosolymitani fuisse, quàm nostrorum templorum. Non enim tantùm in hunc finem extructum fuit, vt esset aliquis locus, in quo ad audiendum verbum Dei conuenirent, ac sua sacra secundum mandatum Dei ritè peragerent: sed fuit etiam aliquid cærimoniale. Etenim templũ illud Christum adumbrauit: sicut ex illo Ioan. 2. intelligitur: Destruite templũ hoc, &c.

Discrimen inter templum Hierosolymitanum, & alia templa.

Templum Hierosolymitanum typus Christi.
Ioan. 2.

Bene tamen hæc afferuntur, vt intelligatur, templa Papisticis falsis cultibus prophanata, sine abusu à Christianis hominib. retineri posse. Sicut templũ hîc Mompelgarti falsis cultibus Papisticis prophanatum, nũc verbo Dei puro, &

syncero dicatum est, vt ibi doceatur, & audiatur, & Sacramenta ritè administrentur.

D. IACOBVS.

Consensus est: nec quicquam habeo, in quo hac in parte dissentiamus.

D. BEZA.

Legam ergo etiam sextam Thesin.

THESIS VI.

Imagines siue sculptæ, siue pictæ, non absolutè, sed ratione cultus diuini in lege prohibitæ sunt, ne ad Idololatriam prostarent.

Si enim Deus in lege sua, omnes imagines (etiam extra periculum adorationis, & Idololatriæ) prohibere voluisset, cùm dicit: Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, neque eorum quæ sunt in aquis, sub terra: certè non præcepisset fieri duos Cherubim aureos in arca fœderis, Exod. 25. & in velo, Exod. 26. — Exod. 20.

Et in templo Hierosolymitano, iussu DOMINI ædificato, fecit Salomo in Sancto sanctorum duos Cherubim, 1. Reg. 6. Et in luteribus sacris erant in latere duo Cherubin, & Leones 1. Reg. 7. Et sub mari fusili duodecim boues, ibidem.

Quæ omnia in templo conspiciebantur. Neque tamen his imaginibus peccatum fuit in legem Dei, dum nemo eas imagines coleret.

Et Moyses æneum serpentem in deserto Israelitis inspiciendum proposuit, Num. 21. Quem Ezechias non contriuisset, nisi populus Israeliticus ei serpenti incensum adoleuisset, eoque ad Idololatriam abusus fuisset.

Et quantum à pictura imaginis Dei distat, quòd Esaias dicit, se vidisse DOMINVM sedentem super solium excelsum, & eleuatum, Esai. 6.

Et,

Et, an non Daniel pingit nobis Deum Patrem, antiquum illum dierum? Cuius vestimentũ candidum erat sicut NIX: Et capilli capitis eius, quasi lana munda.

Deinde pingit filiũ hominis venientem vsq; ad antiquum dierum, Dan. 7. an non hæ sunt picturæ? Quare, si eas imagines remoueamus, quæ coluntur: satisfactum est hac in parte legi diuinæ. A cęteris imaginibus & picturis nihil erit periculi.

RESPONSIO D. BEZAE.

Nefarium fuit tempore fœderis veteris, quamdiu verus, & purus cultus Dei in populo Israelitico durauit, neq; vlla ratione licuit simulachrum vel minimum in templum Hierosolymitanum inferre. Quod ex visione Ezechielis manifestum est.

Cur non licuerit imagines in templum Hierosolymitanum. inferre

Quod verò ad legem ipsam attinet: Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ sub cœlo est desuper, &c. duo prohibuit DOMINVS: alterum, ne fierent: alterum ne adoraretur. Quæ tamen non nisi ratione cultus diuini conscientijs posita est, ne videlicet in hunc finem fiant, neq; si facta fuerint, adorentur.

Lex de non faciendis imaginibus, quomodo intelligenda, Exod 20.

Quod de duobus Cherubim affertur, qui in Sancto sanctorum fuerint positi, nihil ab illis periculi fuit, quia extra omnem conspectum humanum erant, neq; à Sacerdotibus ipsis conspiciebantur, sed à solo summo sacerdote, idq; semel duntaxat in anno, quando in Sanctum sanctorum ingressus est.

Constituit aũt DOMINVS hos duos Cherubim circa arcam, & propitiatoriũ: quoniam hæc typus Christi erant, quem repræsentabant: quibus significare voluit, Christo homini Angelos seruituros, in quem desiderant inspicere: vt omnes intelligerent, quãti võturus Messias faciẽdus esset.

Cur duo Cherubim propitiatorio adhibiti sint. 1. Petr. 1.

Quod

Quod ad boues & leones attinet: erant illi ornamenta ædificij: à quibus etiam nihil periculi erat, ratione cultus, vt adorarentur. Præterea Moyses & Salomon nihil fecerunt, cuius rei mandatum à Deo non accepissent. Ideoq; hæc etiam diuino præcepto & mandato facta sunt, quæ in Thesibus vestris commemorantur.

Bene tamen, vt puto, inde colligitur, sculpturas per se à Deo non damnari. Sed imagines in sacris locis non iudico collocandas, nisi valdè circumspectè caueatur, ne occasionem idololatriæ dent.

Quod de facto Regis Ezechiæ dicitur, respondeo: si ille serpens pridem fuisset contritus & abolitus, populus ille incensum adolere, & eo ad Idololatriam abuti non potuisset. Sed voluit Deus pio facto Ezechiæ Regis significare, non sapienter fecisse eos, qui hunc æneum serpentem reseruarunt. Potuisset reseruari, sed non debuit publicè proponi in conspectum totius populi, quem ad idololatriam inuitauit. Sed vtcunque res se habeat, video tamen etiam in hac Thesi inter nos consensum esse: ideo ad aliam Thesin progrediar.

Vide Augustana Confess. pag 34

D. IACOBVS.

Imagines duntaxat, ratione cultus, prohibitas esse.

Quod ad hanc Thesin attinet, video equidem consensum inter nos esse. Sententia enim tuæ Dignitatis est, Imagines duntaxat ratione cultus, & non simpliciter lege diuina prohibitas esse. Sua enim natura & esse & manere adiaphora, modò ad cultum his non abutamur.

Cur imagines in templum Hierosolymitanum non licuerit inferre.

Consensus etiam in eo est, hanc potissimum ob causam non licuisse Israelitis in templum DOMINI simulachrum minimum inferre, quia templum ipsum cum propitiatorio, & quæ circa illud extructa erant, typus & figura fuerunt Christi Messię venturi, quem repręsentabant. Hęc repræsentatio ne obscuraretur, tam seueriter DOMINVS populo præce-

prçcepit, ne cum aliis simulachris, & imaginibus commiscerentur. Ideoqúe rectè fecerunt Iudæi, cùm ab Antiocho templum Idolis profanaretur, quòd illud repurgarunt.

Neque pios Reges antecessores Regis Ezechiæ, peccasse existimo, quòd æneum serpentem memoriale præstiti beneficij causa conseruarunt. Neque semper publicè propositum arbitror. Quamuis etiam inter figuras, & vmbras numerandus est, qui Christum repræsentauit, sicut Ioan. 3. apertè dicitur. Sic Salomonem, & Dauidem hoc serpente æneo piè & rectè vsos esse, non dubitandum est: qui eum minimè conterere voluerunt, cùm nullam causam, vel occasionem Idololatrię daret. De æneo serpente, &c.

Postquam verò Reges relicta lege Mosaica, & vero Dei cultu neglecto, Idololatræ facti sunt: æneo quoque serpente abusi sunt, sicut aliis rebus omnibus, quæ illis furor, spiritus fornicationis suppeditauit.

Sed his omnibus omissis, consensus inter nos est, serpentem æneum sua natura, postquam suo officio in deserto perfunctus est, adiaphoron fuisse: quem populus salua conscientia tam diu retinere potuit, quàm diu Idololatrico cultu non fuit contaminatus. Sed postquam Idololatria accessit, rectè factum ab Ezechia Rege, quòd contritus fuerit. Idem etiam cum imaginibus faciendum, si per eas Idololatria exerceatur, vt ex conspectu hominum remoueantur, & aboleantur.

D. BEZA.

Vix puto vlla imagine Pontificios magis abuti, quàm crucifixi, quapropter rectène fieret, quæro, si tollerentur crucifixi imagines ex locis sacris? Nam ita insaniunt Papistæ, vt illi non modò Thymiama adoleant, sed etiam intolerabili Idololatria adorent: O crux, inquiunt, &c. An imago crucifixi propter abusum superiorum annorum ex templis tollenda sit.

(Recitauit autem D. Beza precationem valde impiam & Idololatricam, quæ non notata fuit.)

Quæ ipse vidi, & audiui: & fateor me toto corpore perhorrescere, quoties illa facta esse cogito. Nam spes nostra in vera cruce DOMINI nostri IESV CHRISTI, non illa imagine posita est. Quapropter fateor, ME EX ANIMO CRVCIFIXI IMAGINEM DETESTARI. Quæ est imago crudelitatis Iudæorum in Christum: IDEO EAM NON POSSVM FERRE. Laudatur Ezechias, quòd contriuerit serpentem æneum, cui cultus diuinus exhibebatur: Ita etiam laudandos existimo eos, qui ad cauendam eandem Idololatriam etiam crucifixi imaginem abolent, et ex templis omnibusq́; locis sacris eliminant. Sed ad aliam Thesin accedamus.

2. Reg 10.

D. IACOBVS.

An imago crucifixi ex templis omnibus tollenda sit.

Agitur de periculo, & salute animarum, ne quid detrimenti ex vsu imaginum accipiant. Quòd igitur Reuerentia tua de imagine crucifixi Christi quæsiuit: quoniam Pontificij ea ad Idololatriam abutantur, an propterea prorsus tollenda sit?

Respondeo, sicut antea quoque à me responsum est: Idololatriam non tolli, quando res ex conspectu hominum, ac oculis eorum remouentur, quibus ad eam abutuntur. Quoniam Idolum est in corde, sicut Apostolus testatur: quo ex corde sublato, imago nihil nocebit, quæ ad repræsentationem rerum sacrarum posita est. Et eo ingenio est mundus, vt instigante Diabolo, quò res sunt meliores, & præstantiores, eò magis ijs abutantur.

1. Cor. 8.

Abusus in omnibus rebus, etiam præstantissimis dominatur.

Quid enim præstantius est verbo Dei, quod in scriptis Prophetarum & Apostolorum continetur? Quàm turpiter autem homines Idololatræ ad suam impietatem propugnandam eo abutuntur? Regula ergo seruanda est: Propter abusum, non est tollendus rei vsus, alias optima quæque abijcienda essent. Nam ad abominationem Missæ priuatæ Pontificiæ,

REGVLA. Propter abusum non est tollendus rei vsus.

ficiæ, qua re non abusi sunt Pontificij? Oratione Dominica, Symbolo Apostolico, Epistolis Apostolicis, Euangelio, &c. Quæ omnia huic Idolo seruire coacta sunt. Num propterea hęc omnia abijcienda, & è templis eliminanda erunt?

Et dixi de Saxonicis Ecclesijs, in quibus non modò crucifixi imago, sed etiam quàm plures aliæ imagines, fortassis eorum etiam, quorum animæ in inferno sunt, in Ecclesijs adhuc extant: quibus tamen nemo ad Idololatriam abutitur. Si enim verbum Dei purè sonet, nihil amplius ab imaginibus periculi est. Quando autem ab oculis remouentur, priusquam verbo DOMINI Idololatria ex cordibus hominum, euellatur: periculum animarum est maius in pertinacia eorum, quòd deinde nolunt amplius verbum audire. Cuius rei exempla in Ducatu VVirtembergensi visa sunt. In Saxonicis Ecclesijs nullum periculum ab imaginibus.

Neque hominibus pręscribi potest certum tempus conuersionis. Vnus enim hora tertia, alter sexta, nona, quidam etiam vndecima hora in vineam DOMINI veniunt: erga quos omnes patientia, & charitas in rebus adiaphoris exercenda est, quantum religio, & conscientia ferre potest. Et vnius animę salus toti mundo pręferenda est: in qua lucrifacienda elaborandum est, ne intempestiua actione in rebus adiaphoris offendatur. Quibus malis omnibus publica vox Euangelij facilè mederi potest, modò infirmorum ratio habeatur: quam suo tempore repurgatio externa templorum cum ædificatione Ecclesiæ sequitur, dum non modò nemo amplius eiusmodi imaginibus abutitur, sed eas etiam ipsi sublatas cupiunt, qui his priùs addicti fuerunt: Adeoquè eo loco habent, quasi non adessent. In abrogandis imaginibus prudenter agendum.

D. BEZA.

Ingens discrimen inter verbum Dei, & imaginum abusum est. Nam verbum Dei nobis necessarium est, quo carere non possumus. Sed imagines non sunt necessaria, quibus

bus carere possumus. Et quod Augustinus dixit de Donatistis pio Magistratui, id etiam de imaginibus rectè dici potest.

Et quamuis verum est, quòd nostrum non sit, hominibus certum tempus conuersionis præscribere: & in Saxonicis reformatis Ecclesijs, quando non amplius ibi est Papista, quorsum igitur imagines? aut quis illarum vsus? Fortaßis plures simulant consensum in doctrina, quia Magistratus est Christianus: quòd si is semel tolleretur, quid futurum existimas? Et pictura Antiqui dierum in Daniele non ideo proposita est, vt pingatur. Quamuis non negem, eiusmodi pingere non esse peccatum, sed adiaphoron.

D. IACOBVS.

Doctrina de libertate Christiana, in Ecclesia conseruanda.

Doctrina de libertate Christiana etiam in rebus adiaphoris diligenter conseruanda est. Siquidem non minus in excessu, quàm in defectu peccari potest. Maximè verò, quando cum offendiculo proximi coniuncta est, vnde Apostolus: Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Cùm igitur T. Reuerentia quoque in ea sententia sit, infirmorum rationem semper habendam, & concedat, hæc omnia sua natura adiaphora esse: etiam in hoc inter nos consensus est. Omnia enim ad ædificationem, & non ad destructionem, dirigenda sunt.

1. Cor. 8.

D. BEZA.

Scriptas, non pictas imagines probamus, quales sunt quæ ex Daniele, & Esaia prolatæ sunt visiones, quas Dominus voluit esse perpetuas. Nam picturæ non loquuntur, verbum Dei autem loquitur semper: ideo in verbo manendum, non in pi-

in pictura hærendum. Nihilominus tamen re ipsa consentimus, quòd eiusmodi picturæ sint adiaphoron.

D. IACOBVS.

Descriptio Dei in Daniele & Esaia proposita, si pingatur: putátne D. Beza, quòd etiam inter adiaphora numeranda sit?

D. BEZA.

Ego adiaphoron esse concedo, modò nulla occasio ad Idololatriam detur: sed ad Thesin VII. accedo.

THESIS VII.

Regula à D. Paulo præscripta de infirmis non offendendis, accuratè obseruanda est. Et Idola prius verbo Dei ex animis hominum euellenda sunt, quàm ab oculis hominum remoueantur.

RESPONSIO D. BEZAE.

Regulam Apostoli de infirmis in esu eorum, quæ Idolis immolata sunt, certissimam esse, minimè dubitamus. Sed cùm duplex sit eius obseruatio: infirmorum in fide rationem habendam esse censemus, ne etiam in sua infirmitate confirmentur, & in pertinaciam abeat. Quapropter cauere oportet, ne obiecta illis noceant. Ideoq́ melius esse existimo, si instrumenta Idololatriæ ex oculis illorum remoueantur & subtrahantur. Infirmorum in fide quando ratio habenda.

D. IACOBVS.

Consentio. Si modò debita ratione, & suo tempore fiat, ne quid ratione infirmorum periculi habeat.

D. BEZA.

Procedo ad octauam Thesin.

THESIS VIII.

Quod ad organa, & instrumenta Musica attinet, manifestum Dei verbum extat: Laudate Dominum in chordis, & organo. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus. Laudate eum in cymbalis iubilationis. Exempla Regum pijssimorum, Dauidis, Solomonis, Ezechiæ, Iosiæ, &c. hoc idem testantur. Quorum Musica instrumentalis in templo à Spiritu sancto non reprehensa, sed commendata fuit.

RESPONSIO D. BEZAE.

Præceptum de laudando Deo in organo, quomodo intelligendum.

Ego ista præcepta de chordis, organo, & cymbalis ad cultum cæremonialem refero, qui in veteri Testamento institutus fuit. Et puto aliam fuisse Musicam, quàm quæ nunc est: & fortaßis non deessent, qui eam reducere possent Non autem puto ita præcipi, vt cæteri, qui his non vtuntur, reprehendendi sint, qui putant ad ædificationem nō prodesse. In summa, non puto nos ad organa in templo restauranda obligari: vsurpentur vbi possunt, & quibus placuerint. Ex præcepto autem & mandato D E I necessariò sonare debere, non existimo. Habemus verbum Dei valde sonorum, & Sacramenta. Si possunt externa etiã ad ædificationem vsurpari, fiat. Sed hæc nobis præscribi, tanquam in lege à Deo mandata, non puto vestram quoque sententiam esse.

D. IACOBVS.

Musica instrumentalis, an mandato Dei à Regibus instituta sit.

Nos sic sentimus: Reges veteris Testamenti, Dauidem, Salomonem, Ezechiam, Iosiam, non speciale mandatum habuisse, vt instrumentalem Musicam instituerent in templo: sed pro ipsorum pietate fecerunt hoc ex generali illo mandato, quod in Thesi nostra positum est: Quo Dominus præcipit, vt omnia, quæ ab homine proficisci possunt, ad celebrationem

tionem nominis Dei dirigantur. Cùm igitur vox humana, & articulata inter præstantissima dona Dei numeretur: ideo & ipsa etiam ad laudandum Deum dirigi debet, ne auibus inferiores hac in parte censeamur, quæ suauissimo suo cantu DEVM perpetuò celebrant. Quando autem instrumentalem etiam Musicam adhibent: eam quoque Deo probari, Spiritus sanctus Psalmi allegati verbis apertè testatur.

VOX HVMANA.

Musica figuralis etiam Deo probatur.

Præterea vulgus harmoniâ illa excitatum, ad conciones accurrit audiendas, quas magno numero aliàs negligerent. Qua ratione etiam ædificationi Ecclesiæ seruiunt.

Musicæ harmoniæ vsus apud imperitum vulgus.

Quorum omnium mentionem propterea facimus, quòd sicut suprà dictum est, quibusdam in locis, equis adhibitis organa ex Ecclesiis eliminarunt, quasi à Deo prohibita, & in templis Christianorum minimè licita essent. Sed consensus inter nos est: sua natura adiaphoron esse, in templis organa Musica habere, aut his carere. Quod in cuiusque Ecclesiæ arbitrio est positum.

Cur organi & aliorum instrumentorum Musicorum mentio sit facta in hac disputatione.

D. BEZA.

In re ipsa consentimus, tantùm hoc addo: Gradus Leuitarum, Cantorum, in veteri Testamento, ex Spiritus sancti præcepto sic distributos fuisse. Quapropter illa Musica ex præcepto, & mandato Dei sic introducta fuit, idq; certo suo fine. Sed nos illis quoque benè vti possumus ad excitandum Zelum audiendi verbum DOMINI. Procedamus ad dogmata examinanda, quæ vestris Thesibus subiecta sunt.

THEO-

THEOLOGI VVIRTEMBERGENSES sequentia dogmata Scripturæ sacræ non consentanea censent.

I.

Non posse doceri Euangelium in templo, in quo prohibita & Idololatrica sacra celebrata sunt.

II.

Non licere Cœnam Domini celebrare in altari, quod abominationi Missæ priuatæ seruierit.

III.

Mensam ex ligno confectam, loco altaris lapidei in templis necessariò constituendam esse, in qua Cœna Domini celebretur. Cùm tamen Christus vnâ cum discipulis suis non mensa vsus sit, sed humi pro more & consuetudine gentis discubuerit.

IIII.

Abrogationem imaginum populo non permittendam, quæ pietati, sapientiæ Regum, Principum, & cuiusque loci ordinarij Magistratus commendata est.

RESPONSIO D. BEZAE.

Quod ad templa attinet, suprà exposui nostram sententiam: videlicet, quòd Euangelium in illis doceri possit, in quibus priùs Idololatrica sacra celebrata sunt. Ideoq; illa Thesis nihil ad nos pertinet.

Cœnam Domini etiam in altari celebrari posse.

Deinde, quod ad altaria: nihil in eo positum est, an in altari lapideo, vel in mensa lignea Cœna Domini celebretur. Est enim res adiaphora. Sed tamen res ipsa ostendit, quàm astutus sit noster hostis. Si enim nunquam altaria extructa fuissent, nunquam Cœna DOMINI in sacrificium conuersa fuisset. Nam altaria sacrificia nobis pepererunt.

Qua-

Quapropter etsi rem ipsam non damno, quòd Cœna Domini in altari lapideo celebratur, & distribuitur: dico tamen, Sathanam hac occasione vsum, vt nobis Sacramentũ Eucharistiæ in sacrificium conuerteret. Nam vbi non est altare, ibi non est sacrificium. Et Paulus mentionem facit mensæ Domini, & non altaris.

Sed non repugno, quin Cœna Domini in altari celebrari possit. Nam et à Losanna altare marmoreum Bernam translatum est, in quo Cœna Domini ibi celebratur. Altare marmoreum Losanna Bernam translatum est.

D. IACOBVS.

Non altaria, sed perniciosa doctrina Pastorum & Episcoporum Cœnam Domini in sacrificium conuerterunt: quos vigilare oportuisset, ne à verbis Testamenti Christi, & institutione eius sacra recederent. Et Paulus etiam ethnicorum Idololatrarum altaria appellat mensas, quarum Corinthios non velit participes esse. 1. Cor 10.

Quòd autem multi in ea opinione versentur, minimè adiaphoron esse, Cœnam Domini in altari celebrari, in quo priùs Papisticum sacrificium oblatum est: libet veram historiam breuiter recitare.

Fuit Comes quidam vestrę confessionis, qui cum Principe quodam nostræ religionis communem habuit iurisdictionem in Ecclesia quadam. Cùm igitur Comes iudicaret, se plus iuris in illa Ecclesia habere: altare dirui, & mensam in templo extrui curauit. Quod postquam Princeps resciuit: mensam remoueri, & altare denuò extrui mandauit. Comes contrà secunda vice, altare dirui, & mensam restitui curauit. Princeps similiter altera vice mensam aboleri & altare restitui mandauit. Id an tertia vice factum sit nescio. Sed Comes postquam seueritatem Principis animaduertit, de suo proposito remisit, vt loco mensæ altare in templo remanserit. Historia de controuersia inter Principem quendam, & Comitem, de mensa & altari in templo.

Ex quo intelligitur, valde necessarium esse, vt homines etiam hac de re rectè erudiantur. Si enim Comes iudicasset adiaphoron esse, in altari, vel in mensa Cœnam DOMINI celebrare: hęc lis, & contentio inter ipsum, et Principem nunquam cum tanta offensione & scandalo subditorum eius loci exorta fuisset.

D. BEZA.

1. Cor 14. *Veteres non humi discubuerunt, sed habuerunt etiam suas mensas: sed de hoc pugnare nolo.*

D. IACOBVS.

Mos & consuetudo gentis Orientalis hodierno etiam die illam consuetudinem confirmant: qui mensis non vtuntur, sed humi discumbentes cibum capiunt.

D. BEZA.

Extra controuersiam est, omnia in Ecclesia debere ordinè fieri, secundum illud Apostoli: omnia ordinè & decenter fiant.

Quod igitur ad statuarum demolitionem factam, nolim eorum Zelum temerè damnare in illis motibus. Nam vt maximè videantur minùs rectè fecisse: postea tamen apparet, eos piè fecisse, quos nunc grauiter reprehendimus. Quemadmodum de Phinea legimus, filio Eleazari filij Aaron Sacerdotis extraordinarium factum, qui Zelo excitatus arrepto pugione virum Israelitam cum scorto Moabitico perfodit. Quapropter specialia illa nolim temerè damnare. Num. 25.

D. IACOBVS.

De suis factis singuli sunt Deo rationem reddituri. Sed nos

nos testamur, illam intemperiem nobis minimè probari. DEO autem gratias ago, pro consensu nostro in hoc articulo. Neque enim hæc dogmata proposuimus, quòd existimaremus, vos in contraria sententia esse: sed quia Ecclesiæ vestræ hoc nomine passim malè audiuerunt, quòd in illis motibus templa euersa, & imagines contritæ sunt, idq́ue à vulgo factum est. Quapropter prodest omnes scire, illam confusionem vobis minimè probari, sed omnia ad ordinem reuocanda esse, vt primùm populus erudiatur, & rectè instituatur, Imagines per se, & sua natura adiaphoras esse: Easq́ue si non ad Idololatriam prostent, sine offensione Dei retineri posse, quibus res sacræ repræsententur: In reliquis Magistratum pium circumspectè, & prudenter agere debere, ne vel infirmi in fide lædantur, vel occasio ad Idololatriam detur. Inprimis autem promiscuo vulgo hanc licentiam non permittant, vt ipsi in imagines sæuiant, & in abolitione earum talia agant, quæ ad offensionem infirmorum facere possunt.

Intemperies in euertendis templis non probanda.

Epilogus Colloquij de imaginibus templorum, & organis.

DOMINVS det, vt in reliquis controuersis Articulis similiter purè consentiamus,

AMEN.

DE BAPTISMO.

D. BEZA.



CCEDIMVS nunc ad Theses vestras de Baptismo conscriptas, in quibus quædam ad generalem quæstionem de substantia & fructu Baptismi pertinent: quæ vis sit Baptismi, & in quibus rebus consistat. Quædam verò peculiariter ad Baptismum infantium spectant: an baptizandi sint illi, qui in Ecclesia nati sunt.

D. IACOBVS.

Illustrissimus Princeps, Comes Fridericus, vult priùs Theses nostras publicè recitari, quàm ad collationem accedamus.

D. BEZA.

Placet, vt fiat.

Sequentes ergo Theses Doctor Lucas Osiander recitauit.

DE BAPTISMO.

Extra controuersiam posita.

I.

BAptismum aqua & verbo Dei constare.

II.

Baptismum in locum circumcisionis successisse.

Baptismum

III.

Baptiſmum etiam infantibus Chriſtianorum conferendum eſſe.

IIII.

In controuerſiam autem venit: An Baptiſmus ſit lauacrum regenerationis & renouationis in Spiritu ſancto: An verò ſignum duntaxat, quo adoptio ſignificetur & obſignetur? Status controuerſiæ.

V.

In hac quæſtione aſſertio noſtra hæc eſt: Baptiſmum non ſignum duntaxat, ſed lauacrum regenerationis verè eſſe.

VI.

Huius fidei & confeſsionis noſtræ fundamenta hæc ſunt: Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo. Epheſ. 5.

Niſi quis renatus fuerit ex AQVA & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Ioan. 3.

Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti. Tit. 3.

Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Gal. 3.

Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in mortem ipſius baptizati ſumus: conſepulti ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem: vt quemadmodum Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Rom. 6.

SEQVENTIA DOGMAta cum sacra Scriptura pugnare iudicamus.

I.

CVM docetur: latentem virtutem Sacramentis non annexam affixamq́; esse, qua S. S. gratiam baptizatis conferant: sed hoc duntaxat munus illis diuinitus iniunctum esse, testari nobis & sancire Dei in nos beneuolentiam.

II.

Ineptos esse, qui Spiritum S. & ipsius in nobis effecta Sacramentis alligant. Cùm idcircò potiùs adhibeantur, vt in credentium quidem infantibus adoptionem, in adultis verò etiam fidem obsignent.

III.

Regenerationem seu salutem non à Baptismo pendere.

IIII.

Improprias seu figuratas loquendi formas esse, 1. Baptismus ablutio est peccatorum. 2. Baptismus abluit peccata: propriam verò loquendi formam esse: Baptismus est signum ablutionis peccatorum.

V.

Cùm Baptismus ab Apostolis lauacrum peccatorum, & innouationis, item ablutio vocatur: non secundum literam accipiendum esse.

VI.

Baptismum ablutionis peccatorum, regenerationis, innouationis, adoptionis denique arrhabonem esse certissimum, in electis: in quibus solis illius virtus se exerat.

Non

VII.

Non omnes infantes qui baptizantur, gratiæ Christi participes esse & regenerari.

VIII.

Infantes carere fide, & nihilominus baptizandos.

IX.

Effectum fœderis neque à Baptismo, neque ab vllis accessionibus pendere.

X.

Non ideo baptizari fidelium liberos, vt filij tunc primùm fiant, qui antea alieni fuerunt ab Ecclesia: sed solenni potiùs signo ideo recipi in Ecclesiam, quia promissionis beneficio iam antè ad Christi corpus pertinebant.

XI.

In casu extremo necessitatis, mulieribus illicitum esse infantes baptizare.

Iacobus Andreæ D.
Lucas Osiander D.

Etsi verò Responsiones D. Bezæ & fratrum eius hic recitatæ non sunt: visum tamen est eas hoc loco inserere, vt pius lector eas cum Theologorũ Vvirtembergensium Thesibus conferre, & subsequentem collationem faciliùs percipere possit.

ANNOTATIONES marginales D. Iacobi Andreæ: quib. ad Theses D. Bezæ post absolutum Colloquium exhibitas, breuiter respondetur.

a: Cùm ea ab initio ponere visum esset, quæ extra omnem controuersiam essent, & negari non possent: generaliter quoque prima Thesis posita est, Baptismum Aqua & Verbo Dei cōstare. Vocabulo autem (verbi Dei) inclusum est, quod hîc desiderant aduersarij: videlicet, non sine sanguine Christi ablutionem à peccatis fieri.

b: Aqua non significat sanguinem Christi: sed organū est, per quod in sanguine Christi, virtute Spiritus sancti, à peccatis abluimur, regeneramur, renouamur.

c: Ritus essentialis etiam in verbo Dei comprehensus est, baptizate. Ideo sine causa reprehendimur, quasi à nobis omissus esset.

d: Eadem prorsus doctrina D. Bezæ, & fratrum eius de Baptismo, quæ est de Cœna DOMINI: videlicet OFFERRI, sed non conferri regenerationem, obsignationem, & remissionem peccatorum omnibus baptizatis.

e: Hic excluduntur, quos dicunt à Deo iam inde à conceptione & natiuitate sua ad æternam damnationem creatos & ordinatos, quos Deus non velit regenerari & saluari.

AD THESES DE Baptismo.

Ad I.

Requirimus in hac Thesi præcipuam huius Sacramenti partem prætermissam, nēpe [a] sanguinem CHRISTI, *[b] cuius signum sacramentale est aqua. [c] Minimè aūt prætermitti debuisse dicimus, essentiales eius sacræ actionis ritus ab Apostolo explicatos, Rom. 6. v. 4. & 5. Col. 2. v. 12.*

Ad II. & III.

Assentimur.

Ad IV.

Vtraq; ista, nempe & adoptionis obsignationem, & regenerationem, imò etiam peccatorū remissionem in Baptismo ritè administrato, [d] præberi à Deo baptizatis omnibus asserimus: quamuis nō semper [e] à quibusuis, neque eo ipso [f] tempore, quo baptismus administratur, accipiantur.

Ad V.

Neq; nos Sacramēta docemus [g] nuda esse signa, sed [h] externa tamē actioni negamus tribuendū esse, [i] quod est vnius Spi-

f: Quia electos baptizari docent, qui non statim, sed interdum in extrema senecta demum regenerentur. Quia baptismus sit DVNTAXAT signum regenerationis, non verò lauacrum regenerationis, vt quotquot baptizentur, regenerentur, & renouentur infantes. De quo plura in articulo de Prædestinatione.

g: Verbis quidem non asseritis, sed in explicatione verborum re ipsa facitis. Quoniam substantiam Sacramentorum IN SIGNIFICANDO duntaxat collocatis.

h: Etsi distincta res est externa actio Baptismi, & interior vis Spiritus sancti: tamen propter Dei ordinationem externæ actioni rectè tribuitur vis Spiritus sancti, cuius proprius effectus est regeneratio. Separatio autem hæc errorem Schvvenckfeldianum sapit.

i: Duos Baptismos faciunt, dum à proprio effectu Baptismi, qui est Spiritus sancti, aquam excludunt.

us Spiritus ſancti. Sicut à Ioanne, Matth. 3. v. 11. & à Petro, 1. Epiſt. 3. v. 2. non ſeparantur quidem, ſed diſtinguuntur: dicente etiam Apoſtolo de vniuerſo Miniſterio: eum, qui plantat & rigat, nihil eſſe.

Ad VI.

Omnia hæc ſacræ Scripturæ teſtimonia approbamus, quibus & Baptiſmi inſtitutio, & eius effecta declarantur [k] *in ijs quidem, qui ſua indignitate beneficia ſibi præbita non repudiant.*

AD DOGMATA ſuperioribus Theſibus ſubiecta.

Ad I. & II.

Aliquam [l] *latentem virtutem aliam aquæ (licet ſacramentali) attribuere, quàm ſacramentalis* [m] *ſignificationis, nunquam (quod ad Deum promittentem attinet) vanæ & inanis, exiſtimamus manifeſtam eſſe* [n] *Idololatriam, qua (quod ne ipſorum quidem Angelorum eſt) nempe remittendorum peccatorum, & renouandi cordis hominum vis, ad* [o] *aquam, quantumuis ſacramentalem, transfertur.*

k) Hîc excludunt eos homines, vel baptizatos, vel baptizandos, qui æterno & occulto Dei decreto, priuſquam aliquid boni vel mali fecerunt, ad æternam damnationem ordinati ſunt. Hos enim, ſi millies baptizarentur, nunquam regeneratos fore affirmant: quod auditu horrendum eſt

l) Si latens vis omnis ab aqua Baptiſmi tollitur: quid quæſo aliud, quam nuda ſigna relinquuntur? quod cum ſubſtantia Baptiſmi pugnat. Non enim Spiritus ſanctus ſine aqua, neque aqua ſine Spiritu ſancto, ſed Spiritus ſanctus per aquam, & aqua virtute Spiritus ſancti, ex ordinatione diuina, in Baptiſmo regenerat

m) Aqua Baptiſmi non ad ſignificationem duntaxat, ſed realem exhibitionem regenerationis tanquam organum à Deo ordinata eſt. Ideo hæc aſſertio apertè falſa & impia eſt.

n) Blaſphemiam hoc in authorem Baptiſmi Chriſtum eſſe, minimè dubitamus. Non enim Idololatria, ſed cultus Dei eſt de Baptiſmo ſentire, ſicut paulò ante poſitum eſt.

o) Non ſimpliciter aquæ, aut per ſe tribuitur hæc vis latens regenerandi: ſed quia diuinitùs ad hoc in Baptiſmo ordinata eſt.

Ad III.

Miramur hic prætermitti vnum ex præcipuis Baptismi finibus [p] *nempe peccatorum remißionem.* [q] *Salutem autem nostram hactenus à Baptismo suspendimus, vt nec ipsius salutis fundamentum ab eo inchoemus, neque eius carentia, sed contemptu homines à salute excludi arbitremur.*

Ad IV. & V.

Quoties, quod rei signatæ est (qualis est in Baptismo CHRISTI *sanguis & Spiritus sancti opus, quod est interior mundatio, per Christi sanguinem) externæ actioni tribuitur,* [r] *Metonymiam sacramentalem esse affirmamus.*

Ad VI.

Quibusuis adultis, qui baptizantur, præberi semper totum Baptismum asserimus: sed ab ÿs demum recipi [s] *interiorem, qui veram fidem afferunt, vel eo ipso tempore, quo baptizantur, vel cum per Dei gratiam ipsis hoc contingit. Nec enim efficaciam Baptismi, ad id* [t] *momentum referimus, quo præstatur: sed ipsa Christi in eo oblata beneficia interdum illum procedere, vt in Cornelio, Actorum 10. Sicut etiam Abraham priùs iustificatus, quàm circumcisus fuit: interdum verò subsequi affirmamus, in ÿs videlicet, qui fidem non habent, sed suo tempore habebunt, quam profitentur, cùm baptizantur.*

Ad

p) Remissio peccatorum in vocabulo (salutis) comprehēsa est. Nulla enim salus est, vbi remissio peccatorum non est.

q) Hoc responsum manifeste impium est, quod omnem consolationem adimit credentibus, quam in Baptismo, tanquam fundamēto salutis, repositam habent, secundum illud Christi; qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

r) Metonymiam hanc, sicut in Cœna Domini, apertè damnamus: quæ substantiam Sacramenti Baptismi euertit. Non enim ad significandam regenerationem, sed conferendam aqua Baptismi à Christo ordinata est. Nulla ergo hîc Metonymia, nulla nominum permutatio locum habet.

s) Duplicem Baptismum fingunt, interiorem & exteriorem: cùm vnus duntaxat sit Baptismus, qui re externa, aqua videlicet, & re interna spiritus regenerantis virtute, constat.

t) Hæc manifesta & aperta est diuini nominis profanatio in actione Baptismi, qua virtus Baptismi vsque ad senectam reijcitur.

Ad VII.

Infantes, putamus absurdum esse dicere, [u] *renouari, vt vel eo ipso tempore, quo baptizantur, vel etiam antè, non modò adultæ ætatis, verùm etiam cogniti, & per fidem apprehensi Christi tempus, vetere extincto homine, noui fiant homines. Obsignari tamen in illis adoptionem fœderis, in quo nati sunt, & remissionis peccati originis gratiam asserimus: modò adulti facti his beneficijs sese non priuarint.*

u) Hæc quoque assertio apertè falsa & impia est, quæ negat infantes in Ecclesia natos & baptizatos regenerari.

Ad VIII. & X.

Etsi propria fide, præsertim actuali [x] *carent infantes (vtpote quæ sit ex prædicati verbi auditu, Roman. 10.) tamen ex formula fœderis: Ero Deus tibi, & semini tuo, Genes. 17. v. 7. à parentibus ipsorum sibi & suis liberis per fidem apprehensi (qua etiam ratione sancti vocantur, 1. Corinth. 7. v. 14.) meritò baptizantur, & adoptionis fructu donari* [y] *probabiliter censentur,* [z] *relictis Deo arcanis suis iudicijs.*

x) Non minùs manifestè falsa & impia est hæc quoque assertio, qua affirmatur: Infantes propria fide carere, contra expressum Christi verbum: Quicunque offenderit VNVM EX MINIMIS his, QVI in me credunt. Et faciliùs credunt infantes, quàm adulti, cùm vsus rationis magis impediat, quàm promoueat fidem, 1. Cor. 2.

y) Non probabiliter, sed certò censentur filij Dei, & fructu adoptionis donantur infantes baptizati: quoniam Deus promissione sua fallere non potest. Reddunt ergo dubiam consolationem, & virtutem Baptismi prorsus euertunt, qui talia de Baptismo sentiunt & docent, adeoque Sacramentum ipsum à Christo institutum profanant.

Ad IX.

Ad hoc responsum est suprà ad 1. & 2. Theses.

Ad XI.

Baptismus pars est Ministerij publici, quod est expresso Dei verbo [a] *mulieribus, imò etiam priuatis personis interdictum: neque vel Baptismum videri potest contempsisse,*

z) Respiciunt ad impium suum dogma de occulto Dei decretro contra maximam partem humani generis, quam Deus nolit per Baptismũ regenerari. Ideo millies baptizatos, siue in infantia, siue adulta ætate, nunquam regenerari, aut in gratiã à Deo recipi, sed ad damnationem creatos & ordinatos perire, docent.

a) Mulieribus IN ECCLESIA non est permissum loqui, hoc est, concionari in cœtu virorum 1. Cor. 14 Sed vbi nullus vir præsens est: & concionari, & in casu necessitatis baptizare licet. Quia in Christo neque mas, neque fœmina, sed VNVS sumus omnes in Christo Iesu, Gal. 3.

qui nulla sua culpa excedens ex hac vita non baptizatur: neque necessitas vlla incidere potest, publici vrgentis ministerij [b] *leges transgredi.*

b) Nulla lex in verbo Domini extat, quæ in casu necessitatis mulieres vel à docendo, vel à baptizando arceat.

Mompelgarti 29. Martij, 86.

Theodorus Beza, Geneuensis Ecclesiæ Minister.
Abrahamus Musculus, Bernens. Ecclesiæ Minister.
Petrus Hübnerus, Græcæ linguæ in Gymnasio Bernensi pub. Professor.
Antonius Faius, Geneuensis Ecclesiæ Minister.
Claudius Alberius D. Professor Philosophiæ in Academia Lausannensi.

COLLATIO DE BAPTISMO.

D. BEZA.

SI placet, sequemur eum ordinem, quem in præcedente articulo obseruauimus, vt ad singulas vestras Theses respondeamus, & si quid desideremus, breuiter addamus.

D. IACOBVS.

Placet.

D. BEZA.

De substantia Baptismi, in quibus rebus consistat.

In prima Thesi quæro, mi Domine: quid ibi Baptismi nomine intelligas? Num ipsam externam actionem cum aqua, an verò etiam internam actionem Spiritus S. adeoq; simul interiorem & exteriorem Baptismum?

D. IACOBVS.

Nos per Baptismum intelligimus omnia ea, quæ ad substantiam Baptismi pertinent & necessariò requiruntur: videlicet externum Elementum, & verbum mandati atque promissionis Dei.

D. BEZA.

D. BEZA.

Nos quoque dicimus, externum Baptismum externo Elemento & verbo constare. Ideoq; hanc Thesin vestram de externo Baptismo veram esse, affirmamus. Sed ratione interioris Baptismi, dicimus insufficientem descriptionem Baptismi esse. Quia Baptismus nō solùm verbo & Elemento seu signo, sed etiam re significata constat, videlicet, sanguine Christi, qui in Baptismo maximè requiritur.

Nam actio Baptismi, quo ad Elementum aquæ, in oculos, verbum autem promissionis in aures incurrit. Sed quemadmodum de Cœna Domini diximus, nō solùm externa signa panis & vini in oculos, & alios externos sensus incurrunt, sed res significata menti præbetur & offertur, videlicet corpus & sanguis Christi: Ita etiā Baptismus (quoniam Sacramentorum est eadem ratio, quæ signis & rebus significatis constant) non solùm externo Elemento & verbo, sed etiam re significata, videlicet, sanguine Christi constat, qui mundat nos ab omnibus peccatis. Qui sanguis, aqua Baptismi repræsentatur: cuius rei nos ritus externæ actionis Baptismi admonet, de quo Paulus ad Rom. 6. concionatur, cùm inquit: An ignoratis, quòd quicunque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? Sepulti igitur sumus cum illo per Baptismum in mortē, vt quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.

1. Ioan 1.

Rom. 6.

Nam per immersionem in aquam Baptismi, mortificatio veteris Adami, & insertio in mortē Christi: per emersionem autem resurrectio spiritualis repræsentatur, qua à morte peccati resurgimus ad iustitiam & vitæ nouitatem: quæ omnia nobis sanguis Iesu Christi præstat. Hæc per actionem

Significatio externi ritus in Baptismo.

Baptiſmi repræſentantur, & baptizato offeruntur. Et hæc interior actio per Spiritum S. virtute ſanguinis Chriſti peragitur: Ideoq́ neceſſariò etiam addendus fuiſſet ſanguis Chriſti, quo Baptiſmus non minùs quàm verbo & aqua conſtat. Vos autem in Theſi veſtra dicitis, quòd Baptiſmus tantùm verbo & aqua conſtet: cùm propter ſignificationem Chriſti ſanguis quoque addendus fuiſſet. Loquor autem non de nuda ſignificatione, ſed eiuſmodi repræſentatione, qua res ſignificata ſimul offertur etiam, & cum externo ſigno præbetur.

D. IACOBVS.

Epheſ. 4.

Baptiſmus vnus tantùm.

Reuerende Domine Beza: Ego non meis, ſed Apoſtoli Pauli verbis reſpondere volo, qui ad Epheſios ſic ſcribit: Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus, & Pater omniũ, qui eſt ſuper omnia, & per omnia, & in omnibus. Ex quibus verbis Apoſtoli manifeſtum eſt, quòd vnus tantùm ſit baptiſmus, & non duo, interior & exterior, ſicut tu diſſeruiſti. Vnus hic Baptiſmus aqua & Spiritu conſtat, ſicuti Chriſtus inquit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt ingredi in regnum cœlorum. Nam aqua ſine Spiritu non eſt Baptiſmus, neque Spiritus eſt Baptiſmus ſine aqua, ſed aqua cum ſpiritu, & ſpiritus cum aqua verbo Chriſti copulata: ſub quo verbo in Theſi noſtra prima Spiritum ſanctum intelleximus, quem complectitur: quo verbo etiam Chriſtus Baptiſmum inſtituit. Baptizate, inquit, eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti. Quæ efficiunt Baptiſmum, qui eſt lauacrum regenerationis & renouationis in Spiritu ſancto.

Ioan. 3.

Matth. 28.

Tit. 3.

Quapropter fruſtrà quæritur: num vocabulo Baptiſmi externum duntaxat, & non ſimul quoque internum Baptiſmum intelligamus: cùm vnus tantùm ſit Baptiſmus, non

duo

duo Baptiſmi, alter interior alter exterior. Deinde, quod ad communem rationem Sacramentorum attinet Baptiſmi & Cœnæ Domini: etſi ſanguis Chriſti in omnibus concurrit, non tamen ideò per omnia eadem omnium Sacramentorum eſt ratio. Etenim non ſolùm Elementis, ſed etiam cauſa formali, quæ ex verbo petitur, & finibus ſeu effectis, differunt. Nam in Baptiſmo regeneramur, non reficimur: in Cœna Domini priùs renati reficimur, & non regeneramur. Item, in Baptiſmo Spiritus ſanctus nos regenerat per aquam in ſanguine Chriſti: In Cœna Domini autem Chriſtus ſuo corpore & ſanguine nos reficit.

Sacramenta quomodo inter ſe differant.

Baptiſmus.

Quapropter etſi in vtroque Sacramento Baptiſmi & Cœnę Domini applicatio fit ſanguinis Chriſti ad gratiam conferendam, ſi fide accipiantur: tamen ſingula Sacramenta ſuas certas & à ſe inuicem diſtinctas rationes & definitiones habent, in verbo expreſſas.

Cum igitur Chriſtus aquam cum Spiritu, & Spiritum cum aqua coniunxerit, cùm inquit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu: & non dicat: Niſi quis renatus fuerit ex aqua tantùm, neque ex Spiritu tantùm: Idemquè in Baptiſmi inſtitutione repetit, cùm inquit: Baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: Ideoquè non poſſumus duos Baptiſmos agnoſcere, alterum interiorem, qui per exteriorem ſignificetur: alterum exteriorem, qui interiorem ſignificet & repræſentet: Sed vnum tantùm Baptiſmum, non autem duos.

Neque etiam effectum Baptiſmi, qui eſt regeneratio, cum ſubſtantia Baptiſmi, quæ aqua & Spiritu conſtat, confundere debemus. Aliud enim eſt regeneratio, & aliud Baptiſmus, qui aqua & Spiritu conſtat, quibus regeneratio fit, ſecundum verbum Chriſti in Baptiſmo. Nam Spiritus ſanctus per aſperſionem aquæ in nomine totius Trinitatis factam, regenerat. Ideoquè Spiritus & aqua in Baptiſmo

Effectus Baptiſmi cum ſubſtantia eius non confundendus.

Spiritus & aqua in Baptiſmo non diuellenda.

ptiſmo nequaquam diuellenda, quæ in actione hac verbo Chriſti coniuncta ſunt, & ita coniuncta manent, vt neutrum ſine altero in hac actione Baptiſmus dici aut eſſe poſsit. Hæc enim ſunt ſubſtantialia Baptiſmi, ſine quibus Baptiſmus conſiſtere non poteſt.

D. BEZA.

Non videntur mihi verba Pauli ex Epiſtola ad Epheſios, hoc loco aptè citari: in quibus ſolùm monet, ne diuerſas religiones ſequamur, ſed ſub vno Chriſto maneamus omnes. Et nos quoque agnoſcimus vnũ tantùm Baptiſma, neque dicimus duo genera Baptiſmi eſſe. Eſt enim vnus Baptiſmus.

D. IACOBVS.

Aptè à me Pauli verba citata eſſe, res ipſa demonſtrat. Non enim quæritur, quò Paulus reſpexerit, & in quem finem hæc ſcripſerit: ſed hoc ſufficit, quod dicit: VNVM eſſe Baptiſma. Vos autem facitis duos Baptiſmos, exteriorem aquæ, & interiorem Spiritus: quod verbis Pauli reclamat.

D. BEZA.

Sed quæ cauſa eſt, cùm partem Baptiſmi facias Spiritum ſanctum, quòd non etiam in hac Theſi poſueris, in qua dicis: Baptiſmum duabus rebus conſtare, Elemento & verbo: cur Spiritum ſanctum prætereis?

D. IACOBVS.

Quòd non expreſsè in hac Theſi poſuerimus Spiritum ſanctum, cauſa eſt, quòd ab initio ea tantùm ponere voluerimus, in quibus inter nos conſenſus ſit: quemadmodum in prioribus articulis etiam factum eſt. Nam vos nunquam nega-

negaturos existimauimus: Baptismum verbo & Elemento constare: secundum illud Augustini vulgò notum dictum: Accedat verbum ad Elementum, & fit Sacramentum. Sed quomodo hæc & quàm dissimiliter à vobis & à nobis intelligantur, non ignorauimus: quin cùm illas Theses conscriberemus, ea de re inter nos collocuti sumus, illud Dominis explicandum fore, quando ad controuersas Theses perueneri-mus. Modò hoc axioma firmum & extra controuersiam positum sit: Baptismum verbo & Elemento constare: quod nemo intelligens negare potest. Quid autem verbum complectatur, & per illud intelligatur: alia quæstio est, in alijs sequentibus Thesibus explicata. Prçterea Spiritus sanctus tanquam principalis & substantialis pars Baptismi (si ita loqui licet) in verbo comprehensus est & inclusus. Quemadmodum enim in Cœna Domini, corpus & sanguis Christi inclusa sunt verbo Testamenti: Accipite, manducate, hoc est corpus meum: Accipite, bibite, hic est sanguis meus: Ita etiam in verbo Baptismi Spiritus sanctus inclusus, & cum aquç externo Elemento coniunctus est, quo Christus baptizare iussit. Nam si quis aliàs millies & iterum millies aqua aspergeretur: à peccatis suis nunquam mundaretur. Quando autem ad aquam verbum Dei, & per verbum Dei Spiritus sanctus accedit, & aqua hæc in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti aspergitur: tum demum baptizatus à peccatis mundatur, regeneratur, & renouatur, & planè nouus homo fit.

D. BEZA.

Cur Spiritum sanctum potiùs Baptismo, quàm Cœnæ Domini tribuis?

D. IACOBVS.

Quia hoc verbum Dei expressè docet, & Deo sic placuit, qui ordinauit, vt Spiritus sanctus in Baptismo regeneret:

corpus autem & sanguis Christi spiritualiter nos in Cœna Domini reficiant.

D. BEZA.

Quemadmodum in Cœna Domini constituis signa, & rem verbo Christi expressam, videlicet corpus Christi pro nobis traditum, & sanguinem Christi pro peccatis nostris effusum: Sic fatearis quoque necesse est, in Baptismo te constituere, signa & rem verbo comprehensam. Cur ergo non potiùs sanguinem Christi, quàm Spiritum sanctum ponis? Nam sanguine Christi abluimur à peccatis nostris, sine quo nulla purgatio à peccatis fieri potest. Sanguis enim Christi est res Sacramenti in Baptismo, sicut suprà declaratum est, quòd necessariò ad Baptismum requiratur: aliâs nulla est ablutio & purgatio à peccatis in Baptismo, quæ ad interiorem Baptismum requiritur.

D. IACOBVS.

De singulis Sacramentis & sentiendum & loquendum est, sicuti verbum Dei sonat. Neque inane verbum dicimus, sed continet hoc verè, quod sonat. Est autem verbum Christi in Baptismo: Baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Hoc verbum præsentiam trium personarum sanctę Trinitatis complectitur, Patris, Filij, & Spiritus sancti. Ideoque etiam opus regenerationis in Baptismo, opus totius Trinitatis est. Quia verò Pater & Filius per Spiritum sanctum regenerationem & renouationem operantur, ideoque Christus regenerationis hoc opus peculiariter Spiritui sancto tribuit, cùm inquit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu. Quapropter in Baptismo rem Sacramenti dicimus Spiritum sanctum esse, qui virtute sanguinis Christi homines ad vitam æternam regenerat.

Regeneratio est opus trium personarum diuinitatis in Baptismo.

Res Sacramenti in Baptismo Spiritus sanctus.

Est ergo sententia nostra: nunquam rectè aut verè dici posse,

poſſe, Baptiſmum alium exteriorem, alium interiorem eſſe. Nam nunquam verè baptizatus eſt, qui duntaxat externa aqua ablutus eſt. Quoniam Baptiſmus, vt non tantùm aqua, ita neque etiam tantùm Spiritus, ſed ſimul aqua & Spiritus eſt. Ideóq; Baptiſmus etiam ſpiritualis aqua rectè dicitur. Quemadmodum etiam panis Cœnæ Dominicę non communis panis, ſed panis DOMINI, & corpus Chriſti eſt, quod verbum Teſtamenti Chriſti cum pane ſacramentaliter coniunxit, cùm inquit: hoc eſt corpus meum.

Baptiſmus non eſt duplex.

Quemadmodum igitur non ſunt duę aut duplex Cœna Domini, altera exterior, altera interior: ita etiam non ſunt duo Baptiſmi, vnus exterior, alter interior: ſed vnus eſt tantùm Baptiſmus, re interna & externa, videlicet aqua & Spiritu conſtans, verbo Domini coniunctis: quæ ſimul iuncta Baptiſmum vnum efficiunt, à Deo inſtitutum.

Cœna Domini vnica, non duæ.

D. BEZA.

Nondum diſputatur de toto negocio, ſed hîc tantùm agitur de partibus Baptiſmi. Neque ego conſtituo duos Baptiſmos. Sicut enim in Cœnæ Dominicæ vſu, quæ vna eſt, aliqua eſt manducatio interior, & aliqua exterior (quoniam fideles præter panem accipiunt & manducant corpus Domini per fidem, & ſic aliquid interius habent, quod alij non habent, qui vera fide carent:) ſic in Baptiſmo, qui verè fideles & electi ſunt, non ſolùm aqua aſperguntur & abluuntur, ſed interiùs ſanguine Chriſti aſperguntur, quod infidelibus non accidit.

Sed quæro ex te, vt mihi disertè explices, quid in hac Theſi intelligas, per verbum Dei, quo Baptiſmus conſtat. Num ſanguinem Chriſti? Quia enim Pater, Filius & Spiritus ſanctus non ſunt pars Baptiſmi: Ideo neceſſe eſt, vt ſanguinem Chriſti intelligas, qui per aquam Baptiſmi ſacramentaliter & efficaciter repræſentatur.

Quid verbo Dei in Baptiſmo exprimatur.

D. IACOBVS.

Christus suorum verborum est optimus interpres, qui Ioannis tertio, paucissimis verbis mentem suam expressit, inquiens: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi in regnum cœlorum. His verbis Christus nullam expressam mentionem facit, Patris, aut Filij, neque etiam sanguinis filij, sed sancti Spiritus tantùm: quemadmodum nec etiam opus fuit. Nam Pater & Filius, & Spiritus sanctus sunt vnus spiritus simplicissimus. Coniunxit autem cum Spiritu aquam, & vtrique regenerationem tribuit, quòd videlicet Spiritus per aquam ad vitam æternam regeneret. Quapropter manifesta verba Christi secuti, Baptismum aqua & Spiritu constare dicimus, quæ per verbum Christi coniunguntur, quo baptismum instituit.

Ioan. 3.

D. BEZA.

Sed quid fiet de sanguine Christi in Baptismo? aut quo loco illum collocas?

D. IACOBVS.

Quomodo sanguine Christi in Baptismo aspergamur.

Sanguis Iesu Christi Filij Dei (inquit Iohannes) emundat nos ab omni peccato. Cuius aspersione Spiritus sanctus per aquam Baptismi nos regenerat. Quæ aqua Spiritus sancti organum & instrumentum est, per quod regenerationem operatur. Regenerat ergo & renouat nos Spiritus sanctus per aspersionem aquæ in nomine sanctæ Trinitatis super infantem effusæ, aut in eam immersos, virtute sanguinis Christi, quæ aspersio in veteri Testamento varijs modis adumbrata fuit, quando populus sanguine sacrificiorum aspergebatur & aqua lauabatur.

Exod. 25.

D. BEZA.

Tu aspersionis sanguinis Christi meministi. Sicut igitur aqua corpus aspergitur: sic nos etiam animam aspergi dicimus.

mus. Ideoq́; aqua Baptiſmi ſanguinem Chriſti repræſentat, qui à Baptiſmo excludendus non eſt.

D. IACOBVS.

Chriſtus non dixit de aqua Baptiſmi: Hoc eſt ſanguis meus. Neque dixit: aqua repræſentat ſanguinem meum: ſed dixit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu. In his verbis oportet nos acquieſcere: Ideoq́ue non poſſumus aſſerere aquam Baptiſmi à Chriſto inſtitutam & ordinatam eſſe, vt ſanguinem ipſius ſignificet & repræſentet: quia nullum hic verbum Dei habemus. Sed verbum Dei ſonat duntaxat de aſperſione aquæ, in nomine Trinitatis: vbi nulla repræſentatio, ſed veræ & realis regenerationis lauacrum deſcribitur. Sicuti enim in Cœna Domini panis & vinum non ad repræſentationem, ſed ad diſpenſationem corporis & ſanguinis Chriſti ordinata ſunt: Ita aqua Baptiſmi quoque non ad repræſentationem, ſed ad diſpenſationem ſpiritualis lauacri regenerationis in nomine Trinitatis ordinata eſt. Vbi verè regenerantur baptizati: cuius regenerationis organũ eſt aqua, per quam virtute ſanguinis Chriſti Spiritus ſanctus id operatur, quod nobis Chriſtus ſuo ſanguine meruit.

Aqua Baptiſmi non ad repræſentationem ſanguinis Chriſti inſtituta eſt.

Et quamuis ritus immerſionis ſeu aſperſionis in Baptiſmo, ſpiritualis mortificationis & regenerationis quædam repræſentatio eſt: non tamen repræſentandæ, ſed efficiendæ regenerationis cauſa inſtituta eſt, ne figuras & vmbras, ſed corpus & veritatem quæramus & credamus. Et huc pertinet illud Pauli: Chriſtus dilexit Eccleſiam ſuam, & ſemetipſum expoſuit pro ea, vt illam ſanctificaret mundans *LAVACRO AQVAE IN VERBO*. Vbi Apoſtolus Paulus, ſicut Theſis noſtra prima habet, ſubſtantiam Baptiſmi duabus his partibus deſcripſit, videlicet aqua & verbo.

Ritus immerſionis ſeu aſperſionis aquæ in Baptiſmo non ſignificatiuus tantùm.

Epheſ. 5.

D. BEZA.

Lauacrum aquæ eſt tantùm ſignificatio & repræſentatio

An Baptismus sit lauacrum regenerationis.

spiritualis lauacri, in quo anima lauatur, hoc est, mundatur à peccatis, quod fit per sanguinem Christi: quam ablutionem aqua Baptismi externa & Elementaris significat & repræsentat. Non autem est ipsa ablutio, seu lauacrum: neque etiam illam præstare aut efficere potest.

D. IACOBVS.

Pauli Apostoli verba nunc à me recitata apertè repugnant, neque interpretationem vestram falsam admittere possunt, cùm inquit: *MVNDAVIT ECCLESIAM LAVACRO AQVAE IN VERBO.* In quo verbo? In eo quod Spiritus sanctus cum aqua copulauit. Non enim significatiuè, sed realiter mundauit eam. Et apertè dixit: λουτρῷ, id est lauacro aquæ: quo docere voluit, meritum effusi sanguinis Christi homini baptizato per aspersionem aquæ Baptismi applicari: sine qua applicatione, facta effusio sanguinis Christi infanti non baptizato, & non regenerato ad purgationem à peccatis nihil prodesset, secundum illud Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi in regnum cœlorum.

Ephes. 5.

Ioan. 3.

D. BEZA.

Nomen [lauacri] in Baptismo, quando ad animam refertur, figuratè & metaphoricè accipitur: quia anima non abluitur aqua, sed corpus tantùm. Cùm igitur Baptismus dicitur lauacrum: necesse est, vt significet tantùm lauacrum illud spirituale, quod intus fit per aspersionem sanguinis Christi. Ideoq; Baptismus non rectè à vobis definitur, in quo sanguis Christi excluditur, qui substantialis pars Baptismi est. Sic in Baptismo concurrunt visibile & inuisibile. Visibile est aqua significans aut repræsentans sanguinem Christi: Et inuisibile, est sanguis Christi, aqua repræsentatus. Quemadmodum & ritus externus visibilis aspersionis

aquæ, ſignificans & repræſentans inuiſibilem aſperſionem ſanguinis Chriſti, quæ fit per fidem.

D. IACOBVS.

Nunc aliquoties dixi, ad Baptiſmum duo neceſſariò requiri, aquam & Spiritum: quæ tu in Baptiſmo diuellis & ſeparas, & duplicem Baptiſmum ſtatuis, cùm ſit vnus tantùm. Cùm enim ſola aqua vel aſperſio aquæ non ſit Baptiſmus, ſed aqua cum Spiritu: Ideoq́ue nulla hic figura, nulla metaphora, nulla ſignificatio locum habet, de qua vos loquimini. EST, EST, EST lauacrum regenerationis.

Etſi enim aqua non pertingit ad animam: quia tamen Spiritus per aquam virtutem ſuam exerit, & actio illa tota eſt ſpiritualis, neque aqua ſordibus corporis abluendis, in hac actione ſeruit, ſed vt pariter corpus & anima lauentur à peccatis, ne imputentur, & Spiritus regeneretur, qui carnem etiam ſecum in obſequium Dei trahit: placuit Spiritui ſancto, vt per externa & viſibilia inuiſibilia adminiſtrentur & perficiantur, non repræſententur, & ſignificentur tantùm, ſicuti de Cœna Domini ſuprà quoque dictum eſt.

Quomodo per aſperſionem aquæ Baptiſmi, anima mundetur.

Et vt paucis complectar omnia: diſtinguenda ſunt viſibilia & inuiſibilia in Baptiſmo, ſed non diuellenda ſunt, aut viſibilia in nudam ſignificationem ſpiritualis regenerationis conuertenda: quam regenerationem tu ſignificari duntaxat, Baptiſmum autem aquæ regenerationis lauacrum RE VERA ESSE negas, quod falſum eſt.

In Baptiſmo diſtinguenda non diuellenda ſunt corporalia & ſpiritualia.

D. BEZA.

Cur tu autem illa Theſi hanc ſpiritualem regenerationem præteris?

D. IACOBVS.

Ego nequaquam præteriui: ſed eam ſub VERBO DEI complexus ſum, in quo includitur.

D. BEZA.

D. BEZA.

Sed cur præteris ſanguinem Chriſti, qui eſt ſubſtantialis pars Sacramenti Baptiſmi, ſine quo nulla fit ablutio à peccatis, quam aſperſio aquæ Baptiſmi repræſentat & offert?

D. IACOBVS.

Sanguis Christi in verbo comprehensus.

Eum ſimiliter in verbo Dei comprehenſum eſſe dico. Nam in mortem Chriſti baptizamur, quod verbum Dei docet. Et Spiritus ſanctus virtute ſanguinis Chriſti corda à peccatis abluit, hominemq́ue regenerat & mentem renouat. Ideoq́ue dicit Auguſtinus: Accedat verbum ad Elementum, & fit Sacramentum. Quicquid igitur præter externum elementum in Baptiſmo adeſt, id in VERBO incluſum & comprehenſum eſt.

D. BEZA.

Deſcriptio Baptiſmi.

1. Pet. 3.

Sacramenti vocabulo nō vna ſignificatione vſi ſunt Patres. Communiter autem pro externis ſignis, quibus res ſacræ repræſentātur, & offeruntur. Et D. Petrus Baptiſmum verum deſcribit, qui ſaluos nos faciat, non ſordes carnis abijciēdo, ſed vt bona cōſcientia bene reſpōdeat apud Deum, per reſurrectionem Ieſu Chriſti. Tu aūt ſolum exteriorem Baptiſmum definis, quòd aqua & verbo conſtet. Et interiorem Baptiſmum & ſanguinem Chriſti omittis, qui verus Baptiſmus eſt, quem Baptiſmus aquæ exterior repræſentat.

Quod ex Ioannis capite tertio affertur: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu: non ſubſtantiam, ſed effectum tantùm veri interioris Baptiſmi deſcribit, qui eſt regeneratio, quam aqua efficere non poteſt.

D. IACOBVS.

Non ignota eſt mihi varia ſignificatio vocabuli Sacramenti in ſcriptis Patrum & Doctorum Eccleſiæ. Quando autem

autem Patres interdum pro signo tantùm vsurparunt: alteram duntaxat partem Sacramenti, non totam substantiam eius intellexerunt. Quod Augustinus frequentissimè facit: sed de Cœna Domini differens, Sacramentum nihilominus testatur duabus rebus constare, visibili pane & vino, & inuisibili corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi. Et Petri locus opinioni tuæ è diametro repugnat, vbi Baptismum aquæ cum aqua diluuij confert, & Baptismum aquæ ἀντίτυπον aquæ diluuij appellat, non quòd ipse sit typus spiritualis ablutionis, quem duntaxat repræsentet. Nam talis typus aqua diluuij erat: sed ἀντίτυπον appellat. Nam τύπος adumbrationem rei, ἀντίτυπος verò rem typo significatam indicat. Quemadmodum hoc loco Petrus diluuium & seruationem Nohæ, typum Baptismi facit: ita vt Baptismus sit ἀντίτυπον, & τύπῳ respondeat, & quòd aqua Baptismi ad nobiliorem vsum destinata sit, videlicet, vt conscientia per eam salua facta, id est, remissionem peccatorum consecuta, & gratiam Dei adepta, bene coram Deo respondeat. Qua ratione non alius Baptismus est interior, alius exterior, sed vnus & idem Baptismus aqua & Spiritu constans, quo corpus & anima spiritualiter, sed tamen verè à peccatis abluuntur, regenerantur & renouantur. Et Ioan. 3. Christus non tantùm de fructu & effectu Baptismi concionatur, sed substantiam Baptismi simul describit, quibus partibus constet, videlicet, aqua & Spiritu, verbo Dei copulatis, quarum neutra sine altera Baptismus est.

Sacramenti vocabulum quando pro signo tantùm vsurpatum.

Baptismus aquæ ἀντίτυπον aquæ diluuij.

Explicatio loci 1. Pet. 3.

- Quòd autem in hac prima Thesi non explicitè posuerimus, quæ in Baptismo concurrunt: causa hæc est: (sicuti paulò ante etiam responsum est à nobis) quòd primo loco ea duntaxat posuerimus, quæ extra omnem controuersiam sunt: sicuti vos quoque negare non potestis, Baptismum verbo Dei & aqua constare. Si enim alterum desit, Baptismus non est. Quid autem sub verbo Dei comprehendatur: alterius loci fuit ponere.

D. BEZA.

Cur non idem de Cœna Domini quoque dixistis? Quòd constet verbo Dei, ac pane et vino? Sed loco verbi Dei posuistis corpus & sanguinem Christi, quibus Cœna Domini constet.

D. IACOBVS.

Quia in verbis institutionis Cœnæ Domini, corpus & sanguis Christi expressè posita sunt: Accipite, manducate, hoc est corpus meum: Bibite, hic est sanguis meus. Quod in verbis institutionis Baptismi non est factum: vbi nulla prorsus mentio sanguinis Christi expressa, sed solius Trinitatis mentio facta est, in cuius nomine sit baptizandum.

Preterea cùm in Sacramentis noui Testamenti non sint significationes aut τύποι, hoc est, figuræ & vmbræ, quæ res absentes significent: sed ἀντίτυπα, hoc est, res ipsæ vmbris & figuris significatæ & repræsentatæ, & verbum Christi expressum sit: *HOC EST CORPVS MEVM: HIC EST SANGVIS MEVS:* Ideo partes substantiales Cœnæ Domini etiam expressè posuimus, verbo Testamenti Christi coniunctas. Sicuti etiam aquam & Spiritum in sequentibus Thesibus expressè coniunximus.

D. BEZA.

Sed procedo ad sequentem Thesin secundam. Baptismum in locũ circumcisionis successisse concedo: Quamuis inter circumcisionem cordis, & circumcisionem carnis externam, distinguendum erat.

D. IACOBVS.

Circumcisio vna, non duæ.

Sufficiebat hoc loco simpliciter circumcisionem ponere: quia non duæ circumcisiones, sed vna tantùm est, quam Deus Abrahæ commendauit.

D. BEZA.

D. BEZA.

Theſin tertiam etiam probamus. Nam infantes in Eccleſia natos baptiZandos eſſe, nemo apud nos dubitat. Quapropter ad quartam Theſin accedimus, in qua nos mallemus dicere per Spiritum ſanctum, quàm IN Spiritu ſancto. Cùm enim Baptiſmus conſtet ſigno et re ſignata: idcirco dicimus à Spiritu ſancto per Baptiſmum nos regenerari.

De Phraſibus: In Spiritu ſancto, & per Spiritum S.

D. IACOBVS.

Quod ad phraſin attinet, qua in Theſi quarta vſi ſumus: an Baptiſmus ſit lauacrum regenerationis & renouationis IN SPIRITV SANCTO: pro quo vos malletis dici, per Spiritum ſanctum: Reſpondeo, phraſin eſſe Spiritus ſancti, Hebræis vſitatam. Et apud Latinos (per) plerunque inſtrumentalem cauſam ſignificat. Cùm autem Spiritus ſanctus ſit cauſa efficiens regenerationis principalis, quam per aquam tanquam per inſtrumentum, in ſanguine Chriſti operatur: ideo potiùs voculam IN, quàm PER poſuimus. De qua tamen cum quoquam litigare nolumus, ſi modò de re ipſa conſtet, quòd NVDÆ AQVÆ hoc opus non tribuamus, ſed Spiritui ſancto per aquam.

Cur potiùs IN Spiritu S. quàm PER Spiritum S. ponendum.

Quòd autem hanc Theſin poſuerimus, quæ ſtatum controuerſiæ complectatur, hæc potiſsimùm cauſa fuit: Quòd in veſtro Orthodoxo conſenſu, quem ſic vocatis, expreſſè poſitum ſit: quum dicitur: Baptiſmus eſt lauacrum regenerationis & innouationis: nequaquam ſecundum literam accipiendum, ſed neceſſariò (ſicut & in verbis Cœnæ Domini, & locutionibus de perſona Chriſti) ad tropum confugiendũ eſſe: quòd videlicet non ſit, ſed ſignificet & repræſentet tantùm regenerationem, cuius etiam ſigillum ſit, ſed duntaxat in electis. Quod nos tanquam apertè falſum damnamus, & conſtanter aſſerimus: verbum (eſt) ὑπαρκτικῶς, hoc eſt, eo modo, quemadmodum etiam reliqua vocabula, non per tropum ſed ſecundum literam accipiendum & intelligendum eſſe, ſicuti ſecun-

An Baptiſmus ſit lauacrum regenerationis.

In præfatione Apologetica, a. 5.

In Baptiſmo verbum EST ſine tropo accipiendum.

dum literam in genuina & propria significatione sua sonant. Vocabulum enim (Baptismus) non aquam tantùm, sed aquam cum Spiritu, & totam actionem à Christo institutam significat. Verbum (EST) significat idem, quod verè & realiter esse, non significare, figurare, adumbrare, repræsentare. Lauacrum propriè intelligitur, quando reuera homo aqua lauatur. Renouatio & regeneratio veram & realem regenerationem & renouationem exprimunt. Vbi igitur aut in quo vocabulo est tropus? ad quem, iuxta illum consensum minimè Orthodoxum, vestra quoque opinione, tam necessariò confugiendum est? Nulla, nulla inquam, necessitas hoc facere cogit: Imò ipsa Baptismi ratio talem tropum prorsus non admittit. Nam quotquot infantes baptizantur, reuera & realiter in filios Dei adoptantur, regenerantur & renouantur. Vt qui priùs, hoc est, ante perceptum Baptismum, in gratia Dei non erat: post Baptismum in gratiam Dei receptus, verè in Filium Dei adoptetur. Vbi adoptio non significatur tantùm, sed REALITER confertur. Nam Spiritus sanctus in ista aspersione aquæ Baptismi adest: qui præstat, quod nuda aqua sine Spiritu sancto prestare non posset. Ideo nulla est hîc tropica significatio adoptionis, sed vera adoptionis communicatio. Nam homo baptizatus in Baptismo accepit, & post susceptum Baptismum habet, quod ante perceptum Baptisma non habebat. Sicut enim si infans octauo die non circumcisus esset, deleta fuit anima eius ex populo Dei, etiamsi ex pijs parentibus natus esset, quia pactum Dei irritum fecit, sicut verba Mose expresse sonant: Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, DELEBITVR ANIMA eius de populo suo: QVIA PACTVM MEVM IRRITVM FECIT. Idem de Baptismo quoque iudicandum est. Cui tamen Dominus adeò certum tempus non præscripsit. Ideo non est signum nudum adoptionis Baptismus, sed per illud ipsa adoptio confertur. Nam eo ipso momento, quo infans circumcisus fuit, eodem etiam momento adoptatus fuit in Filium Dei. Cuius adoptionis externum quidem signum in carne præputij ablata accepit: sed sola ab-

latio

EST.

Lauacrum Regeneratio.

Gen. 17.

Baptismus non est nudum signum adoptionis.

latio illa tantum beneficium Dei præstare non potuisset, nisi accessisset verbum, per quod Spiritus sanctus efficax in adoptionem & eiusdem obsignationem fuit. Sicut nunc in nouo Testamento quoque per Baptismum efficax est, & adoptionem nobis Christi sanguine & merito acquisitam, per hoc Sacramentum Baptismi, applicat & obsignat.

D. BEZA.

Neque nos docemus, Sacramenta nuda signa esse: sed externæ tantùm actioni, tantam vim tribuendam esse, negamus, quantam vos ei tribuitis: quod solius Spiritus sancti est. Præterea in Baptismo ritè administrato non significari tantùm, sed peccatorum remißionem & regenerationem omnibus baptizatis offerri quoque & præberi dicimus, quamuis non ab omnibus, qui baptizantur, accipiantur. De vi & efficacia Sacramenti Baptismi.

Nam Baptismus aquæ ita regenerationem & adoptionem repræsentat, vt vis latens ei non sit affixa: aliâs omnes homines, qui baptizarentur, etiam regenerarentur & renouarentur. Et Baptismum aquæ non esse, sed significare & repræsentare duntaxat lauacrum regenerationis & renouationis, eorum vita probat, qui etsi baptizati sunt, tamen neque renati sunt, neque innouati, sed veterem hominem cum suis desiderijs in se regnare sinunt, totiq; peccatis seruiunt.

Neque enim Baptismi efficacia ad id momentum astringenda est, quo homo baptizatur: sed ipsa Christi in eo oblata regenerationis & renouationis beneficia, interdum illum præcedere, vt in Cornelio, interdum verò subsequi dicimus, in ijs videlicet, qui fidem non habent, sed suo tempore habebunt, quam ore profitentur, cùm baptizantur.

D. IACOBVS.

An nuda signa in Sacramentis ponantur.

Non ignoro, vestros constanter negare, quòd non ponant nuda signa aut significationes & repræsentationes inanes in Sacramentis noui Testamenti: quia dicitis, quòd res significatæ simul cum signis offerantur ac præbeantur. Sed suprà in loco de Cœna Domini demonstratum est, reuera nuda signa à vobis statui in terris. Quoniam nullam realem præsentiam earum rerum in terris creditis, quas per panem & vinum in Cœna Domini significari dicitis. Ita etiam hoc loco de Baptismo affirmatis: siquidem apertè in vestris Thesibus ponitis, Idololatriam manifestam esse, SI ALIAM VIRTVTEM AQVÆ quàm sacramentalis SIGNIFICATIONIS, quantumuis sacramentalem attribuamus. An verò hoc non sit nuda signa sine re signata statuere, iudicio auditorum committimus. Deinde non alia ratione offerri & præberi dicitis res signatas, quàm significando & repræsentando. Quod similiter nullam realem præsentiam statuit, sed relationem duntaxat signi ad signatum: quorum alterum, videlicet signum, sit in terris, res signata in cœlis, vel aliàs non præsens, sed longo tempore demum secutura. Quod etiam iudicio auditorum committimus, an non sit nuda signa asserere. Siquidem hæc relatio omnibus signis adhæret: quæ res simpliciter tantùm significant & repræsentant, de qua hic disputatis. Quòd autem Spiritus sanctus in Baptismo legitimè administrato vim in Baptismo latentem non exerat eo tempore, quo homo baptizatur: mihi valde nouum & mirum est auditu. Et sanè hæc ipsa assertio planè confirmat, vos nuda signa in Sacramentorum vsu ponere. Tolle enim ex Sacramentis substantiam rerum signatarum, & earum quoque effectum ac vsum: quid, quæso, nisi nuda signa relinquuntur? Quod in Baptismo non solum damnatorum (qui etiam baptizati, sed vestra opinione regenerati, aut Spiritui sancto donati nunquam sunt) sed etiam electorum fieri dicitis. Vbi effectum Baptismi, non eo tempore, quo homo baptizatur, sed longo interposito tempore sequi dicitis. Causa autem huius erroris est, quòd Baptismum

In responsi: ad Dogma 1. & 2.

An Spiritus S. vim suam statim in actu Baptismi exerat.

vnum

vnum in duos Baptiſmos diuiditis, interiorem & exteriorem: cùm hos duos Baptiſmos Scriptura ignoret, & vnum tantùm Baptiſmum prædicet. In quo metonymiæ locus eſſe non poteſt, niſi nuda ſigna afferre velimus: quod ne vos quidem facere videri vultis.

Metonymia in Baptiſmo nullum locum habet.

Nequaquam autem Deus inſtituere, ſed abrogare voluit repræſentationem ablutionum, quæ in veteri Teſtamento varijs modis vſitatæ fuerunt. Quæ omnia nunc per Baptiſmum abrogata ſunt, quando ipſo Chriſti ſanguine per aquam Baptiſmi corpore & anima in nomine Trinitatis aſperſi, ab omni immunditie purgamur, & coram Deo mundi reputamur.

D. BEZA.

Nobis minimè nuda ſigna videntur, quæ tam efficaces ſignificationes & repræſentationes coniunctas habent: quibus res ſignificatæ non ſolùm repræſentantur, ſed ſimul etiam cum ſignis offeruntur & præbentur. Vt enim corpus aqua abluitur: ita etiam per interiorem Baptiſmum Spiritus, anima à peccatis ſanguine Chriſti purgatur. Hic Baptiſmus Spiritus, verus eſt Baptiſmus: quem Baptiſmus externus aquæ ſignificat, & repræſentat, & adoptionem obſignat, etiamſi non ſtatim eo tempore fiat, quo homo baptizatur.

Quomodo non nuda ſigna conſtituat Beza.

D. IACOBVS.

Aliud eſt ſignificatio ſeu repræſentatio rei, & aliud exhibitio rei. In Baptiſmo non tantùm ſignificatur & repræſentatur adoptio, ſed etiam exhibetur, & re vera in præſenti præſtatur. Quantum igitur differunt repræſentatio ſeu ſignificatio, & exhibitio rei: in tantum etiam differt noſtra ſenten-

ſententia à veſtra. Baptiſmus enim quoniam eſt lauacrum regenerationis, non duntaxat aquæ aſperſione ſignificatur & repræſentatur, ſed in aſperſione aquæ exhibetur, vt diximus: ideo etiam in illo actu eam præſtat.

Quomodo ſignificatio, locum in Baptiſmo habere poſſit.

Quod ad ſignificationem attinet ſeu repræſentationem: ſi partes Baptiſmi inter ſe conferantur, ſuo modo ferre poſſumus, quòd aqua ſignum ſanguinis, & aſperſio eius, ſeu immerſio, ſpiritualis mortificationis & regenerationis ſignificatio ſeu repræſentatio dici poſſit. Verùm hæc aqua & eius nuda aſperſio, non eſt Baptiſmus, ſed pars duntaxat Baptiſmi. Nam cùm numero vnus tantùm ſit Baptiſmus, qui conſtat aqua ET SPIRITV, non ſola aqua, nec ſolo Spiritu, ſed aqua & Spiritu ſimul: Metonymia veſtra ſacramentalis, quam fingitis, locum hic habere non poteſt, qua alterum pro altero ſumatur, aut alteri tribuatur, quod alterius eſt. Sed vnus & idem effectus vtrique ſimul tribuitur, videlicet Spiritui & aquæ. Quoniam non aqua ſine Spiritu, neque Spiritus ſine aqua, ſed Spiritus per aquam, & aqua virtute Spiritus ſancti, hominem verè regenerat & renouat. Vbi omnis tropus prorſus excludendus eſt, & nullo modo recipiendus, de quo veſter Orthodoxus conſenſus falsò diſputat.

In reſponſ. ad Theſin 3 & 4.

D. BEZA.

De vocabulo Sacramenti.

Appellatio Sacramenti, interdum anguſtiùs, interdum latiùs ſumitur. Interdum .n. tantùm externa ſigna intelliguntur, quæ res ſignificant & repræſentant. Interdum rem ſignificatam, & effectum ſimul cum ſignis cõplectitur. Sicut Euangelium interdum externum verbum prædicatum: interdũ ipſum Dei internum, et æternũ verbum ſignificat. Ita in Baptiſmo dicitur ablutio illa externa, quæ fit per aſperſionem ſeu immerſionẽ aquæ, Baptiſmus: qua repræſentatur ſpiritualis immerſio, quæ verus Baptiſmus eſt. Ideoq; talis definitio

Verbum Euangelij.

Baptiſmus.

Baptiſmi definitio.

finitio cauſalis eſt, quando res ab effectis definitur, vt cùm Baptiſmus dicitur lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti.

Nos igitur rem ſignificatam, hoc eſt, effectum coniungimus cum ſigno, cùm dicimus, quòd Baptiſmus ſit ſignum ſignificans & obſignans adoptionem filiorum Dei. Qua in re Paulum ſequimur, qui de Abrahamo inquit: Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei: ne plus tribuamus ſigno, quàm par eſt, videlicet, quod rei eſt, id eſt, efficaciam interioris Baptiſmi, qui Spiritus ſancti eſt, & ei ſoli tribui debet. Sic de Sacramentis loquentes, primùm Genus ponimus, videlicet ſignum: Deinde, efficaciam addimus, quam ſignum ſignificat & repræſentat, quod in oculos incurrit.

Definitio Baptiſmi ſecundum Bezam.

Rom. 4.

D. IACOBVS.

Aliquoties nunc à nobis dictum eſt, in Sacramentis corporalia & externa, à ſpiritualibus, & internis diſtinguenda quidem, ſed non diuellenda & ſeparanda eſſe. Item, aliud eſſe obſignationem, aliud exhibitionem rei. Nam obſignatio, exhibitæ rei confirmatio eſt. In Baptiſmo ergo, non obſignatur futura & longo tempore pòſt ſecutura adoptio, ſed iam in præſenti, vel in adultis priùs collata adoptio: quam Spiritus ſanctus per aquam Baptiſmi confert, vel præſentem confirmat. Vnde lauacrum regenerationis non tropicè, figuratè, Metonymicè, ſed verè & realiter eſt, & dicitur eſſe. Nam eo momento, quo infans baptizatur, reuera filius Dei fit, & regeneratur, & adoptionem filiorum Dei conſequitur.

Differentia inter obſignationem, & exhibitionem rei.

Adoptio quomodo per Baptiſmum obſignetur.

Baptiſmus non eſt lauacrum regenerationis tropicè.

Quemadmodum Princeps donans miniſtrum feudo aliquo, non modò literas tradit, ſed ſuo etiam ſigillo obſignat. Sigillum Principis, non eſt quidem res ipſa, ſed rem præſupponit in literis comprehenſam, quam obſignando confirmat. Sic Baptiſmus lauacrum regenerationis eſt infantis,

Simile de Principe, feudum obſignante.

non incertę, aut futuræ post aliquot annos secuturæ, sed præsentis, & in hoc ipso actu factę adoptionis: vt certò dicere possimus: Hic infans est verè filius Dei, quia in nomine & in mortem Iesu Christi baptizatus est.

Quod ad locum Pauli attinet, de circumcisione Abrahę: non modò signum, sed etiam signaculum (σφραγίδα) iustitiæ fidei eam fuisse dicit. Vbi Paulus externum signum, videlicet, auulsionem pelliculæ, à verbo fœderis non separat, quo adoptio inclusa erat: neque adoptionem & iustitiam fidei longè pòst secuturam dicit: sed rei præsentis signaculum, obsignatio & confirmatio fuit. Sic Baptismus quoque præsentis ablutionis & adoptionis signaculum, obsignatio, & confirmatio reuera est: & non tantùm eam significat & repræsentat, aliquando & suo tempore secuturam.

D. BEZA.

Quæro mi domine: An Cornelius fuerit adoptatus, antequam baptizaretur?

D. IACOBVS.

Fuit: Sed alia est ratio infantium, alia verò adultorum, qui audito externo verbo Dei, crediderunt.

D. BEZA.

Si ergo infantes credunt: iam sunt adoptati, priusquam Baptismum suscipiant?

D. IACOBVS.

Nego. Nam priusquam baptizentur infantes: non possumus affirmare, quòd credant. Quoniam fides illis in Baptismo datur. In perceptione ergo Baptismi, infantes simul & adoptantur in filios Dei, & adoptio in ipsis obsignatur. Quapropter Anabaptistis contradicimus, qui in eo errore versantur, quoniam infantes actu carent intellectu, ideo etiam impossibile esse, vt credant. Nos contrà dicimus: non modò possibile, sed Deo facilimum esse, fidem in infantibus operari, etiam sine beneficio rationis humanæ. Et quidem etiam re ipsa

Refutatio argumenti Anabaptistarum de fide infantium.

reipſa factum, & in Iohanne Baptiſta demonſtratum eſſe: qui Chriſtum agnouit, cùm adhuc in vtero matris eſſet: & ad vocem Mariæ matris Dei, in vtero Eliſabethæ matris exultauit. Quòd autem mirabiliter etiam gratiam, infantibus vel circumciſis vel baptizatis contulerit & conferat, ipſe Chriſtus teſtatur, cùm inquit: Sinite paruulos ad me venire. Qui Chriſto per Baptiſmum adducuntur: & niſi ex aqua & Spiritu regenerentur, regnum Dei illis polliceri non poſſumus. Participes ergo fiunt in Baptiſmo vtriuſque, videlicet & regenerationis ſeu adoptionis, & obſignationis eiuſdem, vt verè filij Altiſsimi vocentur. Hîc nihil tropicum, nihil figuratum, ſed res ipſa confertur: Infans baptizatus in anima & corpore mutatur, & regeneratur: ex veteri homine fit nouus, ex iniuſto iuſtus, ex polluto ſanctus, ex filio gehennæ filius regni cœleſtis. Etſi autem id externo oculorum ſenſu comprehendere non poſſumus: tamen verbum Dei intuentes, non dubitamus, quippe quod de hoc Dei opere teſtatur: videlicet donari infantes baptizatos gratia adoptionis, fide, & Spiritu ſancto.

Luc. 1. Mar. 10. Matth. 28. Ioan. 3.

D. BEZA.

Quamuis infantes propria fide carent, videlicet actuali: tamen eos baptizandos eſſe cenſemus propter formulam fœderis, qua dictum eſt Abrahæ, & poſteritati eius: Ero Deus tuus, & Deus ſeminis tui poſt te. Et ſufficit parentum fides, quia & ſuo & liberorum nomine hanc promiſſionem apprehendunt: Ideoque meritò baptizantur.

Cur paruuli etiam ſine fide baptizandi, ſecundum Bezæ opinionem.

Quòd Ioannis Baptiſtæ exemplum, in vtero matris exultantis affertur, ſingulare eſt. Neque in Scriptura vſquam extat, quòd ſimiliter Deus in omnibus infantibus Chriſtianorum pari ratione operetur.

Exemplum Ioannis Baptiſtæ ſingulare.

Et erant in illo fœdere liberi, de quibus Christus loquebatur: Sinite paruulos ad me venire, quoniam talium est regnum cœlorum: sed non omnium. Deus enim suo arcano iudicio reliquit, quos infantes suâ gratiâ donare velit. Ideoq; PROBABILITER tantum, fructu adoptionis infantes baptizatos donari, affirmare possumus.

D. IACOBVS.

Nemo aliena fide saluatur: ideo infantes propriam fidem habere necesse est. Sicut Scriptum est: Impossibile est, sine fide placere Deo. Et, iustus ex SVA FIDE viuet: non aliena sed propria. Et Christus apertè dicit, pueros illos credere, quos suis discipulis proposuit. Qui scandalizauerit vnum de pusillis illis, QVI CREDVNT IN ME, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. His verbis Christi plus fidei tribuendum est, de fide infantium & puerorum differenti, quàm si quis adultus millies affirmaret, se credere. Nec est quòd obijciatur, illos pueros, non fuisse infantes. Et si enim paruulus ille seu puer, non in cunis iacebat, quem Christus in medio discipulorum suorum statuit: tamen nullum inter illum, & in cunis infantem iacentem, discrimen est, ratione spiritualis huius discretionis in intellectu, si cum adultis conferantur. Cuius tamen nulla ratione habita, Christus aperte inquit: QVI IN ME CREDVNT: in quod verbum Christi respiciendum, & plus fidei ipsi, quàm iudicio cecę rationis nostrę, de fide infantum aliter iudicantis, tribuendum est.

Heb. 11. Hab. 2. Matth. 18. Infantes, & pueri, spirituali intelligentia pares.

D. BEZA.

Si igitur infantes credunt: ergo erunt adoptati in filios Dei, antequam baptizarentur.

D. IACOBVS.

Nequaquam. Ideo enim baptizantur, vt adoptentur. Sicut

eut in veteri Testamento, ideo circumcidebantur, vt in fœdus reciperentur: quod neglecta circumcisione non fiebat. Quoniam carnalis natiuitas eos non saluat, quòd ex fidelibus parentibus nati sint. Nam quidquid ex carne natum est, caro est, id est, damnatum est. Ideo ex Spiritu & aqua renasci oportet, vt in fœdere censeantur: ad cuius salutarem perceptionem fides necessaria est. Gen 17. Ioan. 3.

D. BEZA.

Quæro Domine Doctor, an Simon Magus etiam crediderit, cùm baptizaretur? De Simone Mago, an crediderit.

D. IACOBVS.

Maximè. Id enim Scriptura apertè testatur. Actor 8.

D. BEZA.

At non habuit partem in regno Christi: quomodo ergo fidem habuit, aut verè credidit?

D. IACOBVS.

Gratiam quam in Baptismo accepit, per suam impietatem, iterum amittere potuit. Fieri enim potest, vt verè credens, fidem & Spiritum sanctum iterum amittat, quibus à Deo in Baptismo donatus erat. Simon Magus fidem amittere potuit.

D. BEZA.

Simon Magus simulauit se credere, sed non credidit: ideoq; etiam maledictus esse dicitur. Simon Magus an crediderit.

D. IACOBVS.

Videamus & audiamus ipsum Euangelistam Lucam, de Simone Mago, & eius fide loquentem, qui sic inquit: Cùm verò credidissent Philippo Euangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri & mulieres: *TVNC SIMON ET IPSE CREDIDIT.* Hoc testimonium apertum est, quo testatur Lucas, ipsum Simonem credidisse. Actor. 8.

D. BEZA.

Spiritus sanctus dicit, etiam hypocritas credere: Sic Simon Magus quoque simulauit se credere, sed reuera caruit fide.

D. IACOBVS.

Textus reclamat. Nam Lucas testatur: Postquam Simon credidit, & baptizatus est, quòd Philippo adhæserit: videns etiam signa & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur. Et quamuis postea tentatus à Sathana, voluerit pecunia redimere, vt quibus manus imponeret, Spiritum sanctum acciperent, cui Petrus maledictionem imprecatur: Pecunia tua tecum sit in perditionem: tamen idem Lucas testatur, eundem Simonem Apostolos precatum esse, vt pro ipso apud Dominum intercedant. Precemini vos, inquit, pro me, ad Dominum, vt nihil veniat super me horum quæ dixistis. Quod Simon nunquam fecisset, si non verè credidisset.

D. BEZA.

Non fuit vera fides, qua Simon credidisse scribitur, sed simulata fides: simulauit se credere, sed reuera non credidit.

D. OSIANDER.

Reuerende Domine Beza: Rogo, vt Illustriss. Princeps, Comes Fridericus, & auditores mihi ignoscant, quòd vnum verbum interloquar. Si ad hunc modum, semper licebit omnia aperta Scripturæ sacræ testimonia, per glossas eludere: quid tandem certi in vniuersa sacra Scriptura retinebimus? Exempli gratia: Credidit Simon, id est, simulauit se credere.

ABRAHAM MVSCVLVS.

Cor eius non erat rectum.

D. IACOBVS.

An non poteſt fieri, vt verè regeneratus incidat in ſcortationem, aut aliud flagitium? Quo facto certè fidem & Spiritum ſanctum amitteret? An qui veram fidem habent, eam amittere poſſint.

D. BEZA.

Ex maledictione Petri conſtat, quòd cor Simonis non fuerit rectum coram Domino. Ideoq; etiam Petrus ei dixit: Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto.

D. IACOBVS.

An non potuit fieri, vt fidem iterum amitteret, quam priùs in ſuo corde veram habuit? Quia Lucas apertè teſtatur, quòd crediderit?

D. BEZA.

Non: Si enim veram fidem habuiſſet: eam nunquam amiſiſſet. Nam qui ſemel vera fide à Deo donantur: eam nunquam ampliùs amittere poſſunt.

D. IACOBVS.

Quæro igitur: num Dauid adulterium perpetrans cum Bathſeba, vxore Vriæ, fidem & Spiritum ſanctum amiſerit? An Spiritus S. per mortalia peccata amittatur.

D. BEZA.

Nequaquam amiſit: ſed retinuit.

D. IACOBVS.

Hoc ego neque in Scriptura ſacra, neque vllo Scriptore Eccleſiaſtico legi. Quod etiam cum verbis Pauli manifeſtè pugnat, cùm inquit: Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Rom. 8. Si mori poſſunt: Ergo fidem quoque amittere poſſunt: quam habens & retinens, quàm diu habet, mori non poteſt: quemadmodum ſine ea nemo ſeruatur: & quàm diu eam homo retinuerit, mori non poteſt.

D. BEZA.

D. BEZA.

Simile de ebrio.

Ego dico, Dauidem in adulterio perpetrato, retinuisse fidem & Spiritum sanctum, neque eam amisisse. Quod similitudine declarabo. Ebrius non amittit intellectum, seu rationem: etsi, quàm diu ebrietas caput eius occupat, ratio sese non exerat, sed similis sit animali bruto. Et quemadmodum ignis cineribus tectus, minimè extinctus est, sed latet: Ita etiam, gratia, fides, & Spiritus sanctus, in lapsibus Electorum, ad tempus teguntur, vt non sentiantur, donec ad se ipsos redeant, & peccatum suum agnoscant, & pœnitentiam agant. Quod in Dauidis adulterio quoq; factum est: in quo gratia Dei ad tempus tecta, sed non amissa fuit.

D. IACOBVS.

Refutatio argumenti à simili de ebrio homine.

Hæc non similitudo, sed dissimile est, quod de ebrio proponis exemplum. Ratio enim & intellectus humanus potentia substantialis animæ est, cuius vsum etsi ad tempus amittat homo, ipsa tamen ratio, hoc est potentia animę non amittitur, quàm diu homo est & manet. Sed longè alia ratio est gratiæ Dei, fidei, & Spiritus sancti: quæ non substantiales partes hominis, sed dona Dei sunt. Sicut igitur à Deo data sunt, ita amitti quoque posse, & reuera adeoque ipso facto amissa esse, sacra Scriptura apertè testatur. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. REDDE MIHI lætitiam salutaris tui, &c. orat Psaltes. Neque etiam instar ignis sub cineribus teguntur: sed prorsus extinguuntur, & hoc modo etiam amittuntur.

Psal. 51.

D. BEZA.

Sicut ebrietas vsum rationis aliquandiu auferre potest, non autem ipsam rationem: Sic quoque Spiritus sancti, fidei et gratiæ Dei vsum, in Electis perpetrata peccata, aliquãdiu

auferre

auferre possunt, non autem ipsam gratiam Dei, fidem et Spiritum sanctum, qui in illis manet, & ab eis non recedit, sicut quoq; à Dauide non recessit.

D. IACOBVS.

Non vellem mille florenos, imò ne totum quidem terrarum orbem accipere, vt talia meis auditoribus proponerem, tam manifestè impia. Quòd videlicet, perpetrantes peccata contra conscientiam, scortatores & adulteri, si sint electi, retineant in ipso actu peccati, fidem & Spiritum sanctum.

D. BEZA.

Ego vellem perire, si aliter docerem. Et dabis ne tu mihi hominem, qui sit sine aliqua labe? In quo non sit caro? Fieri potest, vt aliquis ita scortetur, vt vix sentiat se scortari? Num propterea Spiritum sanctum amitteret?

D. IACOBVS.

Distingue inter infirmitatis humanę labes, & manifesta scelera contra legem Dei. Illæ enim peccata venialia sunt, hoc est, quæ credentibus & electis non imputantur, secundum illud: Septies in die cadit iustus, & resurgit: quibus Spiritus sanctus non amittitur. Hæc verò mortalia, secundum illud Pauli: Si secundum carnem vixeris, MORIEMINI.

Discrimen inter peccata venialia & mortalia.

Prou. 24.

D. BEZA.

Nullum peccatum est veniale: sed omnia sunt mortalia, hoc est, digna morte. Ideo hæc distinctio peccatorum, tanquam Papistica, hîc locum habere non potest.

D. IACOBVS.

Verum quidem est, omnia peccata esse æterna morte digna: sed nihilominus Spiritus sanctus discernit infirmita-

tes, quæ non expellunt Spiritum sanctum, ab illis manifestis flagellis: quibus fides & gratia Spiritus sancti, post acceptum Baptismum amittitur. Nam quædam sunt peccata, quæ Spiritum sanctum excutiunt, de quibus Paulus citato loco loquitur: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Item, manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. QVI TALIA AGVNT, regnum Dei non consequuntur. Alterum est genus peccatorum, quæ etiam electi deponere non possunt, donec moriantur: sed contra illa vsque ad extremum vitæ spiritum pugnant, adeoque non ex proposito, sed contra voluntatem suam peccant. Cuius rei Paulus suum exemplũ vniuersæ Ecclesiæ proponit: Si autem, inquit, quod nolo, illud facio: non iam ego operor illud, sed quod in me habitat peccatum. Sic aliquis corruptione naturæ præ alio pronus est ad iram: cùm alius vix, aut difficulter ad iram prouocari possit. Cùm ergo contra voluntatem suam irascitur: non tamen propterea fidem & Spiritum sanctum amittit, quamuis ira peccatum sit mortale, hoc est, æterna morte dignum, Matth. 5. Et huc pertinet illud Pauli: Nulla igitur nunc est condemnatio in illis, qui sunt in Christo Iesu. Et: Beati quorum tecta sunt peccata. Alia verò est ratio adulterij Dauidis & scortationis, quando aliquis tollit membrum Christi, & facit ex eo membrum meretricis: qui certè spiritum Christi non retinet, nec manet membrum Christi. Ideo Paulus non simpliciter dicit: nullam condemnationem esse in illis, qui sunt in Christo Iesu: sed addit, qui non secundum carnem ambulat. Quibus verbis apertè ostendit, eos, qui sunt in Christo, si secundum carnem ambulent, gratia Dei excidere & damnari. Quando irascor: tum quod nolo, facio. Sed quando quis scortatur: quod vult facit, & Spiritum sanctum expellit. Ideoque cùm Dauid non nolens, sed volens adulterium perpetrauerit: certè damnatus permansisset, si in hoc peccato, ante actam pœnitentiam mortuus fuisset.

Rom 8.
Galat. 5.
Rom. 7.
Matt. 5.
Rom. 8.
Psal 32.

D. BEZA.

D. BEZA.

Absit, vt omnia peccata æqualia esse dicamus: sicut Stoici opinati sunt. Omnia quidem sunt sua natura mortalia: sed fiunt venialia in electis, (excepto vno, de quo Ioannes dicit, quòd pro eo non sit orandū: quod est peccatum in Spiritum sanctum.) Ii autem in quibus vera fides est (quam vos electos amittere posse dicitis) eam amittere non possunt: sed latet, sicut ignis sub cineribus tegitur. 1. Ioan. 5.

D. IACOBVS.

Quæro igitur hoc vnum tantùm: Si Dauid post perpetratum adulterium in securitate sua, fuisset mortuus, priusquam concionem pœnitentiæ ex Propheta Nathan audiuit: anne saluatus vel damnatus fuisset?

D. BEZA.

Dauid, quoniam in numero electorum fuit, ideo gratiâ Dei excidere non potuit. Et sic suo tempore in viā redeunt, quotquot sunt electi, etiamsi ad tempus, sicut Dauid, peccēt. Nam Dei dona sunt ἀμεταμέλητα, *hoc est, Deum non pœnitet donorum, quæ in electos suos contulit. Ideoqúe gratiâ Dei excidere non possunt.*

D. IACOBVS.

Ego sic sentio: si Nathan non corripuisset Dauidem, neque Dauid pœnitentiam egisset: nunquam saluatum fuisse. Nam post concionem Nathan, demum inquit: Peccaui. Et postquam absolutionem accepit: Dominus transtulit pecca- Dona Dei quomodo sint ἀμεταμέλητα, id est, sine pœnitentia.

tum tuum: tum demum orauit: Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me: à quo certè ablatus erat, quàm diu in illa securitate vixit. Non rectè igitur, nec analogiæ fidei consentaneè, citantur verba Pauli de donis Dei. Non enim hoc vult Paulus: Deum sua dona adimere non posse illis, qui verè credunt: quod suo exemplo testatur, cùm inquit: Ego castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne dum alijs prædicauero, ego reprobus fiam. Non autem dubium est, Paulum verè regeneratum fuisse, & fidem veram habuisse: qui tamen testatur, se ita alijs prædicare posse ad salutem, vt ipse reprobus fiat, nisi seipsum castigauerit. Quapropter nequaquam hæc verborum Pauli sententia est, quæ illis hoc loco falsò & peruersè affingitur: videlicet, dona Dei ita esse sine pœnitentia, quòd semel collata dona non auferat ab illis, quibus ea donauit. Sed prædicat Dei veritatem, quòd mentiri non posit, & seipsum negare nequeat. Quæ simul ad pios & impios pertinet, quibus Deus gratiam suam ex æquo offert. Siue ergo homines non admittant, siue admissam iterum abijciant: ipse tamen Deus in seipso, sine pœnitentia est: & tota die, vt Propheta loquitur, expandit manus suas, ad omnes peccatores, & per legatos suos nos rogat etiam turpiter lapsos, vt cum Deo in gratiam redeamus. Quam igitur gratiam Deus semel in Baptismo nobis contulit, eius ipsum nunquam pœnitet. Sicut & semel copulati coniuges, ad tempus separati, non de nouo in templo, copulantur: sed reconciliatio fit, virtute prioris vinculi coniugalis, quo ab initio copulati fuerunt: Ita etiam semel baptizati, etiamsi spirituale diuortium commissum esset, non tamen de nouo baptizantur, sed virtute semel percepti Baptismi, reconciliatio tantùm fit per veram pœnitentiam, qua peccatores iterum cum Deo in gratiam redeunt, quam peccato amiserunt. Si dimiserit vir (inquit Ieremias) vxorem suam, & recedens illa ab eo, nupserit alij viro: nunquid reuertetur ad eum vltrà? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus.

[Margin notes: 1. Cor. 9. — Veritas Dei in oblatis suis donis. — Esai. 65. — 2 Cor 5. — Iere. 3.]

Quemadmodum igitur non opus fuit noua circumcisione, per pœnitentiam ad Deum redeuntibus: Sic etiam non est opus nouo Baptismo, pœnitentiam agentibus, qui post acceptum Baptismum, gratiam Dei, fidem, & Spiritum sanctum amiserunt. Deus enim non mutatur, sed firmus est in suis promissionibus. Etiamsi enim quis gratiam Dei abijciat, fidem & Spiritum sanctum amittat, si per pœnitentiam resurgat, & ad Deum conuertatur: ab eo, qui est ratione suorum donorum ἀμεταμέλητος, id est, sine pœnitentia, iterum in gratiam recipitur. Num. 23. Mal. 3.

D. BEZA.

Quos Deus æterno & arcano suo consilio, ad gratiam & vitam æternam ordinauit, his etiam donat fidem & Spiritum sanctum: quem retinent quoque & minimè amittunt, etiamsi interdum peccent, sicut Dauidi accidit. Nam tales vel tandem redeunt ad se ipsos, & gratia Dei finaliter non excidunt. Quos verò Dominus hoc modo non elegit, etiamsi millies baptizarentur externo aquæ Baptismo: illis tamen nunquam fides aut Spiritus sanctus donatur, sed iusto Dei iudicio relicti, sua culpa pereunt. Horrenda auditu.

Quod autem ad substantiam Baptismi attinet, & eius effectum, quando dicitur esse lauacrum regenerationis: non semper necesse est, illum effectum sequi eodem tempore, quo baptizantur. Quoniam hoc ipsum finem tantùm Baptismi declarat: manet tamen verus Baptismus, etiamsi regeneratio in reprobis & ad vitam æternam non electis, minimè sequatur.

Quemadmodum .n. Euangelium, est potentia Dei ad salutem, sua naturâ: id est, per illud offertur illa potētia saluandi, quæ non significatur tātùm, sed reuera etiā offertur: nō tamen simpliciter, & statim se illa potentia in omnibus Rom. 1.

auditoribus Euangelij exerit, sed in paucis, videlicet, qui in numero electorum continentur. Sicut & in Cœna Domini corpus & sanguis Christi omnibus offeruntur, & tamen non ab omnibus percipiuntur, sed à credentibus tantùm: Ita etiam gratia adoptionis offertur omnibus in Baptismo aquæ, quem promiscuè boni & mali, electi & reprobi accipiunt. Sed effectus tantùm in Electis sese exerit: non autem statim eo tempore, quo baptizantur, sed interdum in senectute demum eam Spiritus sanctus operatur.

D. IACOBVS.

Reuerende Domine Beza, ab initio Colloquij constitutum est, ne articuli controuersi, de quibus conferendum erat, commisceantur, sed vt singuli suo loco tractentur. Ideoque etiam quæ hic de electis dixisti, quòd in illis saltem virtus Baptismi, & regeneratio sese exerat: in locum & collationem de Prædestinatione reijciemus.

Quomodo consolatio de adoptione facta ex Baptismo petenda sit.

Vnum autem duntaxat hoc loco quæro: quomodo aliquis in conscientia sua perturbatus, & in summis tentationibus constitutus, consolationem ex Baptismo semel accepto, petere possit? Si non certum est, quòd in Baptismo adoptatus sit?

Nam secundum vestram sententiam, non omnes regenerantur, qui baptizantur, sed ij duntaxat, qui in æterno DEI decreto, ad vitam æternam electi & ordinati sunt.

D. BEZA.

Quòd non omnes baptizati regenerantur ad vitam æternam: culpa non est Dei, sed hominum impiorum, quibus Deus nihil debet, si in sua impietate relinquantur.

Conso-

Conſolatio autem, quòd adoptati ſimus, petenda eſt ex effectu Spiritus ſancti: quando videlicet ſentimus in nobis eiuſmodi motus Spiritus ſancti, qui teſtificantur nos verè regeneratos & in filios Dei adoptatos eſſe. Certitudinem adoptionis factæ, vnde Beza quærere doceat.

Nam Spiritus ſanctus perhibet teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſimus filij Dei. Hos motus in nobis ſi ſentiamus, minimè dubitemus, nos verè adoptatos & filios Dei eſſe. Rom. 8.

D. IACOBVS.

Quid autem in ſummis tentationibus fiet, quando eiuſmodi motus Spiritus ſancti, non ſolùm non ſentiuntur, ſed etiam cogitationes à Satana contrariæ inſpirantur, quæ nihil niſi deſperationem minantur? Quia enim horribiliter peccauerimus, ideo nullam gratiam à Deo nobis ſperandam eſſe. Vnde igitur firma conſolatio petenda erit? Cùm in Baptiſmo (ſecundum veſtram doctrinam) nullam conſolationem inueniat: quem docetis non certum teſtimonium adoptionis in omnibus eſſe, qui baptizati ſunt, ſed in electis tantùm, & occulto Dei decreto ad vitam æternam ordinatis. Quomodo igitur talis conſcientia erigi poteſt? Si enim ad illos motus internos Spiritus ſancti remittatur, quos in ſe non ſentit, ſed contrarios: deſperatio augetur, non minuitur. Neceſſe ergo eſt recurrere ad verbum & ad Sacramenta, eaque pluris facienda ſunt, quàm deſperabundæ illæ cogitationes. Si nos cor noſtrum condemnat (inquit Ioannes) Deus eſt maior corde noſtro: Qui per verbum nobiſcum loquitur & agit, in Baptiſmo gratiam adoptionis omnibus baptizatis contulit, & in eis obſignauit: In his conſolatio firma quærenda eſt, vbi etiam certò inuenitur. Sicut in Monomachia Dauidis cum Goliath videre licet: vbi Dauid omnem conſolationem contra Goliath, & ſpem certiſsimam victoriæ in circumciſione poſuit, quam in infantia acceperat. Quis eſt, inquit, hic Philiſtæus incircumciſus, qui probris afficit aciem viuen-

Marginal notes: 1. Ioan. 3. — 1. Sam. 17.

viuentis Dei. Et iterum: Erit igitur & Philistæus incircumcisus, quasi vnus ex eis, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis. Quasi diceret: Hic Philistæus, quia non est circumcisus, ideo apud Deum non est in gratia. Ego verò circumcisus sum: ideoque sum in Dei gratia: cuius adiutorium mihi certissimum est. Hac consolatione armatus Dauid, Goliath aggreditur, & eundem prosternit, & obtruncat. Quæ consolatio minimè certa & firma fuisset, si Dauid in ea opinione fuisset, quòd per circumcisionem non in omnibus adoptio facta esset. Idem prorsus de Baptismo quoque nos dicere possemus: Nullam in eo nobis consolationem relictam esse, & relinqui: si vera est vestra doctrina de Baptismo, quod non omnes baptizati in filios Dei adoptentur.

D. BEZA.

Non dico, quòd nullam consolationem in verbo & Sacramento quærere debeamus: sed hoc solùm dicimus: Spiritum sanctum per Baptismum aquæ externum, non in omnibus vim interioris Baptismi exerere: sed in electis tantùm. Quando ergo electi hoc interius testimonium Spiritus sancti habent & sentiunt, tum pars consolationis etiam in externo aquæ Baptismo reposita est, ad quem perturbatæ conscientiæ recurrere possunt & debent.

D. IACOBVS.

Beza consolationem tentatis adimit, quam in Baptismo repositam habent.
Psalm. 31.

Sed nihil ad rem responsum est. Hæret enim adhuc dubitatio, cùm ille sensus & motus Spiritus sancti in perturbatis conscientijs non sentiatur, sed eueniat illis, quod Dauid de se ipso loquitur: Ego, inquit, dixi in excessu meo: proiectus sum à facie oculorum tuorum. Nec ego certò scire possum, an Deus occultum de me saluando decretum fecerit: quid ergo mihi consolationis acceptus Baptismus afferre potest: qui effectum regenerationis coniunctum non habet, sed in-

terdum

terdum in senecta demum in electis sese exerit? Contrà autem Scriptura sacra apertè testatur: Baptismum esse LAVACRVM regenerationis & renouationis in Spiritu sancto, & sigillum adoptionis infallibile. Neque in summis illis tentationibus, ad illos internos motus respiciendum, sed Sathanæ per Baptismum insultandum, & huiusmodi verbis depellendus est: Recede à me Sathan, nullam partem in me habes, quia in nomine sanctæ Trinitatis baptizatus, & verè in filium Dei adoptatus sum. Quod firmissima fide credendum mihi est, nisi totam Trinitatem mendacij arguere, & acceptum Baptismum ociosam cæremoniam & ludibrium fuisse, dicere velim. Qui (inquit Christus) crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, Mar. 16.cap. Item: Quotquot baptizati estis, Christum induistis, Galat. 3. capite.

D. BEZA.

Nos dicimus: Baptismum aquæ esse lauacrum regenerationis, hoc est, significare & repræsentare regenerationem interiorem: Non autem ita significare, quòd fiat in omnibus, sed ostendit finem, cuius causa Baptismus institutus est: videlicet, vt in electis obsignet gratiam, in quam à Deo æterno & occulto decreto, electi & ordinati sunt. Quemadmodum suprà de Euangelij potentia ad salutem, & de Cœnæ Domini signis diximus: quibus potentia saluandi, & corpus & sanguis Christi, omnibus offertur: sed non nisi ab electis percipiuntur. In quorum numero quisquis comprehensus fuerit, etiamsi grauiter peccet, sicuti de Dauide dictum est, non tamen gratiâ excidit, in quam à Deo semel receptus est.

Baptismus quomodo lauacrum regenerationis sit, secundū Bezam.

Distinctio autem in duobus exemplis Dauidis & Saulis Regis, manifestè conspicitur. Nam vterque grauiter peccauit coram Domino: sed Dauid seruatur, Saul verò damnatur. Quia Dauid æterno Dei decreto fuit electus: Saul verò ad æternam damnationem creatus & ordinatus.

D. IACOBVS.

Fuit'ne Saulus etiam circumcisus?

D. BEZA.

Secundum literam: sed non secundum Spiritum.

D. IACOBVS.

Vna circumcisio Dauidis & Saulis.

Vna fuit circumcisio Dauidis & Saulis: vnum & idem verbum Dei: vnus & idem ritus & ceremonia: quod negari non potest. Sicut enim Dauid circumcisus est: ita etiam Saul, cùm octo dierum esset infans, secundum Dei mandatum circumcisus fuit.

D. BEZA.

An duplex, vel vna sit circumcisio tantùm. Rom. 2.

Duplicem esse circumcisionem ex verbis Pauli manifestū est, cùm inquit: Non qui in manifesto Iudæus est, nec ea quæ in manifesto fit carnis circumcisio, circumcisio est: sed qui in occulto Iudæus fuerit, is Iudæus est: et circumcisio cordis, circumcisio est, quæ Spiritu constat, non litera.

His verbis Paulus apertè docet, duplicem circumcisionē esse, videlicet, carnis & spiritus, literæ & spiritus: vna exterior in externo ritu, altera interior in corde & spiritu.

Dico igitur, Saulem fuisse quidem circumcisum, circumcisione carnis, secundum literam, sed non circumcisione spiritus, qui longè aliter in Saule, quàm in Dauide fuit.

D. IACOBVS.

Contrarium historia Saulis manifestè docet: quæ testatur, Saulem à pueritia egregijs donis Spiritus sancti exornatum fuisse, videlicet, reuerentia, honore, & obedientia erga patrem, animi humilitate egregia erga omnes, patientia, & moderatitne singulari, prudentia quoque Rege digna. Accedit huc quoque, quod apertè de Saule scribitur: quòd spi-

1. Sam 16.

ritus

ritus Domini recesserit ab eo, & spiritus malus illum exagitauerit. Si recessit Spiritus sanctus: ergo prius eum habuit, quem iterum amisit.

Deinde, D. Paulus, nequaquam duplicem circumcisionem facit: sed in Iudæis abusum & falsum intellectum circumcisionis à Deo traditæ reprehendit: qui abiecto Christo, & doctrina Euangelij spreta, gloriabantur, se propter circumcisionem susceptam, esse in gratia, & verum populum Dei. Quod cum circumcisione Abrahæ apertè pugnabat: In qua circumcisio sigillum iustitiæ fidei fuit: quæ non solùm in auulsione pelliculæ præputij, sed etiam in promissione consistebat, sine qua externa illa cæremonia prorsus inutilis, & vna duntaxat, eaq́ue minima pars circumcisionis fuit.

Rom. 2.
Explicatio vera verborum Pauli de circumcisione.

Quam promissionem cùm negligerent Iudæi, Christum contemnerent, & doctrinam eius damnarent: eos frustra de suscepta circumcisione gloriari, docet hoc loco Paulus, cùm gratiam in circumcisione acceptam iterum abijciant, & sibi circumcisionem suam inutilem reddant. Ideoq́ue etiam literam tantùm appellat circumcisionem sine fide promissionis susceptam, quę in Christum respiciebat, qua dictum est Abrahæ, & semini eius: In semine tuo benedicentur omnes gentes terrę. Ablato hoc verbo: circumcisio litera, imò nihil est, nihil prodest. Neque verus Iudęus ille est, si millies circumcideretur, qui hanc promissionem abijcit, in qua ipse per circumcisionem in gratiam receptus est.

Cur circumcisionem infidelium literam appellet Paulus.

D. BEZA.

Ex Pauli verbis recitatis manifestum est, quòd sint duo genera circumcisionis, alterum literæ, alterum spiritus. Et externa illa circumcisio carnis significabat & repræsentabat circumcisionem interiorem spiritus, quæ signum erat & obsignatio adoptionis.

D. IACOBVS.

An Saul per circumcisionem sit adoptatus in filium Dei.

Si externa illa circumcisio carnis, obsignatio fuit adoptionis: Saul autem (secundum vestram opinionem) à Deo in filium non adoptatus est: quomodo igitur in ipso suscepta circumcisio obsignatio fuit, aut esse potuit? Nam quod non est: eius nulla obsignatio est.

D. BEZA.

Circumcisio externa, quo ad Deum, omnibus offert, quod significat & repræsentat: sed non in omnibus suam vim exerit: idqúe non culpa Dei, sed hominum, qui hanc gratiam respuunt.

D. IACOBVS.

Quòd Saul tempore circumcisionis suæ non respuerit hanc gratiam, quam infans in circumcisione accepit, suprà demonstratum est. Spiritus enim Dei in ipso erat, & signa gratiæ manifestè edebat, dònec ab eo recessit, tum demum spiritus Domini malus eum exagitauit. Et quanta fuisset profanatio nominis Dei, si dicatur, Deum circumcisione gratiam adoptionis in Saule infante obsignasse, eum tamen nunquam adoptatum fuisse?

Simile de Principe.

Si Princeps sigillo suo obsignaret membranam, in qua nihil scriptum esset, & promitteret subdito non modò gratiam, & clementiam, sed spem etiam faceret de amplissimo feudo: quomodo cum honore Principis hoc factum coniunctum esset?

Profanatio nominis Dei in Baptismo reproborum, ex sententia Bezæ.

Quanta igitur profanatio nominis sacrosanctæ Trinitatis, Dei Patris, Filij, & Spiritus sancti esset, si sigillo suorum Sacramentorum obsignaret gratiam, & amplissimam spem de vita æterna consequenda factam testaretur homini, quem tamen sua gratia nunquam dignatus esset, neque vnquam voluerit, neque etiamnum, aut in æternum eum velit saluari, sed ad æternam pœnam occulto suo decreto destinauerit? Absit

Absit à nobis, absit inquam, vt tam impia, & blasphema de Deo, & eius Sacramentis cogitemus in cordibus nostris, quod Princeps iustus summæ contumeliæ loco duceret, si de ipso talia spargerentur.

Si autem vera esset opinio vestra, talia de Deo fateri cogeremur, quòd in Baptismo nobiscum luderet, & non seriò ageret, siquidem dicitis: externam circumcisionem obsignationem gratiæ fuisse, & Baptismum nunc esse obsignationem gratiæ in ijs, quos Deus nunquam dilexerit, neque eos saluari velit, sicut responsiones vestræ ad nostras Theses apertè testantur. In respons. ad Thes. 4.

Longè verò aliter Dominus de Saule abiecto per Samuelem loquitur. Non enim ait: Tu abiectus es à Deo, quoniam te Deus nunquam dilexit, & ab æterno reprobatus, ad æternum interitum à Deo creatus & destinatus es. Nihil horum dicit Samuel, sed inquit: Pro eo quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex. 1. Sam. 15.

Fuit ergo Rex Saul in circumcisione verè in filium Dei adoptatus, & adoptatio ei non modò significata & oblata, sed etiam re ipsa in eum collata fuit, & habuit conspicua & manifesta signa Spiritus sancti in ipso habitantis, quem postea sua impietate iterum amisit, & multoties admonitus, & ad pœnitentiam reuocatus, non tamen resipuit, aut verè pœnitentiam egit, sed pertinaciter in contemptu Domini perseuerauit. Hæc est causa abiectionis eius, quòd perijt, non ex occulto Dei decreto, quòd Deus illum nollet saluari: sed quia saluatori sua malitia restitit. Saul Spiritum sanctum habuit, & iterum amisit.

Eadem ratio est in infantibus omnibus in Ecclesia natis. Quotquot enim baptizantur, Christum induunt, & verè in filios Dei adoptantur, Spiritu sancto donantur, & promissio gratiæ in illis obsignatur. Sed quando adolescere incipiunt, fieri potest, vt negligentiâ parentum, aut propria petulantia Spiritum sanctum iterum amittant, & gratia Dei spolientur semel accepta. Qua ratione causam & culpam sui interi- Omnes baptizati in filios Dei adoptantur.

Causa abiectionis damnatorum non occultum Dei decretum.

interitus, non in Dei occultum decretum transferre possunt, qui eos in gratiam recepit, verè regenerauit, & in filios adoptauit. Ipsi verò cùm adolescerent, non secundum spiritum, sed secundum carnem ambulantes, gratia Dei iterum exciderunt. Qua de re apertum testimonium apud D. Paulum extat, cùm inquit: Si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit, euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini: A GRATIA EXCIDISTIS. Quomodo autem à gratia excidere potest, qui nunquam apud Deum in gratia fuit?

Galat. 5.

D. BEZA.

Hæ sunt glossæ contra manifestum textum verborum Pauli, qui de duplici circumcisione apertè loquitur, videlicet literæ, & spiritus. Ideoq; quod spiritus est, literæ, hoc est, externo ritui non est tribuendum. Cùm igitur adoptio filiorum Dei, sit solius Spiritus sancti opus, neque eam Baptismus aquæ præstare possit, quæ non ad animam vsque penetrat: sed corpus tantùm abluit: ideo Baptismus aquæ exterior, significatio, & repræsentatio est duntaxat illius spiritualis ablutionis, quam solus Spiritus sanctus per sanguinem Christi, idq; in electis tantùm operatur: in reprobis non item, quia carent fide, nec recipiunt hanc gratiam repræsentando & significando oblatam. Ideoq; etiam Paulus circumcisioni literæ detrahit vim spiritualis circumcisionis cordis, in qua sola Iudæi gloriabantur, clamantes: Templum Domini, templum Domini, circumcisio, circumcisio: sicut etiam in suis sacrificiis confidebant. Et ostendit Paulus circumcisionem illam carnis non esse circumcisionem illam veram, qua cor circumcidatur, sed tantùm huius repræsentationem, & oblationem, quæ promiscuè fiat omnibus circumcisis, vim autem in solis electis Spiritus sanctus exerat,

Ierem 7.

exerat, quorum corda circumcidit & regenerat, relictis alijs qui damnantur, & electi non sunt. Sicut sol lucet omnibus, sed cæci lumen non recipiunt, culpa non est in luce & splendore solis, sed in vitio oculorum cæci: Ita etiam adoptio non tantùm significatur, & repræsentatur, sed etiam offertur omnibus in circumcisione, qui circumcisi sunt: sed electi tantùm recipiunt eam, quibus Deus aperit oculos, vt videant, & saluentur. Reliqui iusto Dei iudicio sunt relicti: quos hac gratia non dignatus est: & manet nihilominus Deus verax. Idem in Baptismo quoq; fit, quem multa millia infantum accipiunt, qui tamen nunquam regenerantur, sed in æternum pereunt.

Horrenda vox: multa millia infantum baptizatorum in æternum perire.

D. IACOBVS.

Num sint glossæ, an verò aperta Scripturæ testimonia sine vlla humana glossa, quæ ego ad confirmandam sententiam nostram attuli, iudicent auditores omnes. Et sententia verborum Pauli est manifesta: qui vnam duntaxat circumcisionem, sicut vnum quoque Baptismum nouit in Ecclesia: neque pro circumcisione agnoscit eam, quæ est absque Spiritu. Sic aquæ aspersio sine spiritu minimè Baptismus est, qui non sola aqua, sed etiam spiritu constat: qui spiritus per lauacrum aquæ regenerationem & renouationem in baptizatis efficit. Sed valde horrendum auditu est, quòd ais: multa millia infantum baptizari, qui nunquam regenerentur, sed in æternum pereant. Nec puto vllum nunc in hoc cœtu auditorum esse, qui tibi hac in re assentiatur.

Omnes .n. sine dubio in ea sunt sententia, ante perceptum quidem Baptismum, infantes ex parentibus carnaliter natos, carnem, id est, naturâ quidem filios iræ esse, qui iusto Dei iudicio

cio damnentur, nisi per Baptismum à Deo in gratiam recipiantur & regenerentur. Postquam autem in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti baptizati sunt: nihil dubitant, tales infantes omnes, iam verè in filios Dei adoptatos, quos patres cum gaudio, matribus puerperis lactandos & educandos, tanquam filios Dei commendant. Ecce, inquit pius pater è templo domum reuersus ad vxorem puerperam: Qui priùs erat filius iræ, is nunc à Deo adoptatus & verè filius Dei per Baptismum factus est.

Nequaquam ergo, & nullo modo in Ecclesia Dei admittenda est hæc doctrina & opinio, qua Spiritum in Baptismo externo ab aqua separatis, & docetis, de adoptionis gratia, & infantum regeneratione demum ex motibus Spiritus sancti, quos sentiant, iudicandum esse, videlicet, si adoleuerint, & signa ediderint regenerationis factæ, ex eo demum certò pronunciari posse, esse electum & verè regeneratum: quod falsum est. Non enim opinari debemus, nos in Baptismo regeneratos: sed certò & sine dubio scire, & in fiducia accepti Baptismi firmiter credere debemus. Quod Dauidem post acceptam circumcisionem externam fecisse suprà diximus: qui circumcisione sua confirmatus plena fiducia diuini auxilij ipsum Goliath adortus est. Malè ergo à vobis fit, quòd pios parentes in perpetua dubitatione relinquitis, an ipsorum liberi per Baptismum acceptum in filios Dei adoptati sint.

Nam secundum responsiones vestras in Thesibus positas hoc vultis: non certò pronunciari posse aut debere, infantem baptizatum verè in filium Dei adoptatum, aut regeneratum esse, *SED PROBABILITER TANTVM* censeri eos fructu adoptionis donari, relictis Deo arcanis suis iudicijs. Idque contra aperta verba Pauli: Quotquot baptizati estis, Christum induistis, Galat. 3.

In respons. de Baptismo ad Thesin 8. & 10.

D. BEZA.

Si sentio Spiritum sanctum & eius motus in me: certò pronun-

pronunciare poſſum, me verè regeneratum eſſe, ſecundum illud Pauli: Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. De nobis ipſis ſinguli iudicare et pronunciare poſſunt, an ſint regenerati nec ne: ſed iudicium de alijs dubium & falſum eſſe poteſt.

D. IACOBVS.

Suprà dictum eſt, ſi conſolatio de adoptione in filios Dei facta, duntaxat à motibus Spiritus ſancti ita ſumenda ſit, vt ex Baptiſmo in infantia percepto, non certam, ſed probabilem tantùm ſpem concipere debeam, me etiam in filium Dei adoptatum eſſe: hac doctrina feneſtram ad deſperationem perturbatis & tentatis conſcientijs maniſeſtè & ſine dubio aperiri.

In ſummis tentationibus de gratia Dei, ad Baptiſma recurrendum eſt.

In maximis enim tentationibus, non ſolùm nullos, ſed planè contrarios motus ſentiunt etiam verè pij & electi homines: ex quibus aliter ſtatuere non poſſunt, quàm ſe à Deo abiectos eſſe. Ideoq́ue in huiuſmodi tentationibus non ſolùm ad verbum, ſed etiam ad Sacramenta, Baptiſmum inprimis, recurrendum eſt, & Sathanæ opponendum, quia ſemel baptizati ſimus, ideo nos etiam verè in filios Dei adoptatos eſſe. Et ſicut Ioannes loquitur, vt maximè cor noſtrum nos condemnet, neque alias cogitationes ſuppeditet, quàm quòd in æternum damnati ſimus: tamen eiuſmodi cogitationibus à Diabolo inſpiratis opponere debemus, quòd Deus ſit maior corde noſtro, qui in Baptiſmo non ſolùm adoptionem nobis obtulit, ſed etiam reuera contulit. Sicut dixit: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Hæc firma eſt & vera conſolatio, quam veſtra opinio non modò labefactat, ſed prorſus & in vniuerſum tollit: quia neminem, niſi in occulto Dei decreto ad vitam æternam deſtinatos, creatos, & ordinatos, ad Baptiſmum acceptum remittitis, in quibus ſolùm promiſſio gratiæ obſignata ſit.

D. BEZA.

Consolatio Bezæ in summis tentationibus de gratia Dei.

Quod ad consolationem attinet, in summis tentationibus afflictas conscientias eâ non spoliamus, sed eam quæ in sacra Scriptura proposita est, exponimus. Sic enim ego dicerem afflicto & perturbato homini: Tu de gratia Dei non dubites. Nam quia Deus te per prædicationem Euangelij ad agnitionem filij sui vocauit: nónne sensisti aliquoties in te tales motus, quòd te peccatorum tuorum pœniteat, quòd fiduciam tuam in Christo colloces, quòd sanctè viuere, res aduersas patienter ferre, & ad æternum filij Dei regnum aspirare cupias? Hi motus sunt filiorum Dei, quos si sensisti vnquam, non dubites, te etiam in numero electorum esse, et propitium Deum habere.

D. IACOBVS.

Si quis autem non sentiat tales motus in se: quomodo se consolabitur?

D. BEZA.

Tentato homini dicendum est, solem ortum esse, etiamsi nondum ortus sit. Sicut enim nocte lux solis non videtur: spes tamen eius certissima fieri potest homini, eum oriturũ: sic etiam tentato homini dicendum: vt maximè sol iustitiæ nondum ortus sit, neq; ipse tales motus sentiat: tamen hunc solem quoque oriturum, & ipsum sensurum aliquando tales motus, quos nunc non sentiat.

D. IACOBVS.

Hæc consolatio in tentationibus nihil proficere potest: quoniam tentatus homo nescit, sed dubitat, an in numero electorum sit, in quibus solum talis sol exoriturus sit, quodq; Deus tales motus accendere velit. Cùm igitur perpetuò dubitet, an ille sol ei vnquam sit exoriturus: in desperationem certissimam venit, & miserè perit. Sicut exempla eorum docent,

docent, quibus vera conſolatio propoſita non fuit, & in eiuſmodi tentationibus ſuccubuerunt. Quia ex tali doctrina, nemo quiſquam vllam conſolationem haurire poteſt, qua illi dubius fructus & efficacia Baptiſmi ſtatuitur, qui tantùm in illis ſit gratiæ obſignatio, qui occulto Dei decreto ad vitam æternam ordinati ſint: alijs verò non, etſi eum quoque perceperint, de quibus Deus contrarium decretum fecerit.

D. BEZA.

De electione noſtra ad vitam æternam, non niſi à posteriori, hoc eſt, ab illis motibus Spiritus ſancti iudicare poſſumus: an ſimus etiam in electorum numero comprehenſi. De electione quomodo à poſteriori iudicandum, ſecundum Bezam.

D. IACOBVS.

Multa ſunt à te dicta ad conſolationem eorum, qui ſummis tentationibus obruuntur, & nullam prorſus Baptiſmi mentionem feciſti. Vnde tamen initium conſolationis faciendum erat, vt cogitet homo, ſe baptizatum, & adoptatum, ideoq́ue à Deo minimè abiectum eſſe. Quapropter dico, hanc doctrinam falſam eſſe, & in Eccleſia intolerabilem, quæ verbi Dei & Sacramentorum verum vſum prorſus tollit, & conſcientijs tentatis omnem conſolationem adimit. Nam conſolatio noſtra TOTA in verbo promiſsionis, & percepto vſu Sacramentorum poſita eſt.

Quamuis enim motus ille Spiritus ſancti ſunt regenerationis & adoptionis fructus, & eius ſigna: tamen in ſummis illis tentationibus Sathan eos ita obſcurare poteſt, vt inde nullam prorſus homo tentatus conſolationem ſentiat, ſed contraria omnia experiatur. Vbi Sathan per Eccleſię Miniſterium ab homine tentato, ad hunc modum repellendus erat: Solida conſolatio Christianorum, in verbo & Sacramentis poſita.

Tu es (inquit ſyncerus Eccleſiæ Miniſter) in nomine ſanctæ Trinitatis baptizatus infans, & in filium Dei verè adoptatus. Qui Deus verax eſt, & promiſsionum ſuarum ſeruans, vt ſi nos negauerimus, ipſe ſeipſum negare non poteſt. Quapropter nihil dubites, Baptiſmum acceptum, eſſe obſignationem veram adoptionis, quæ non per aquam ſignificetur, Vera conſolatio in ſummis tentationibus.

sed verè tibi in infantia collata est. Quare nihil dubites, te iam esse filium Dei electum & Christo insertum per Baptismum, qui te in tentationibus non relinquet, sed ex illis omnibus te certò eruet, de quo tu minimè dubites. Non enim tibi mentietur sancta Trinitas, quæ in Baptismo tibi suam gratiam promisit, obtulit, exhibuit, & obsignauit. Quare dicas Diabolo: Vade post me Sathan, nullam partem in me habes. Scio mihi affuturum Christum Saluatorem, cuius sanguine in Baptismo ablutus sum ab omnibus meis peccatis.

D. BEZA.

De adoptione liberorum baptizatorũ, secundum Bezæ doctrinam vsque ad adultam ætatem dubitandum.

Vis & fructus Baptismi, non ad tempus certum referri debet, quo homo aqua baptizatur. Non enim credibile est, omnes internè baptizari spiritu, qui externè aqua aspergantur. Sed tempus docet, quando aliquis sit regeneratus nec ne: quando videlicet homo adoleuerit, & vita atque conuersatione sua demonstret, se regeneratum aut non regeneratum esse.

D. IACOBVS.

Non credo quenquam inter pios patres reperiri, quos Deus liberis donauit, qui suæ vxori post baptizatum infantem dicturus sit: Charissima coniunx, filius recens nobis à Deo datus, nunc quidem baptizatus est: sed nescimus, nec certi sumus, eum in filium Dei adoptatum, & receptum esse in gratiam. Non credo, inquam, aliquem ex auditoribus nostris esse, qui in hac opinione versetur.

D. BEZA.

Beza de infantum adoptione sperare, sed credere non docet.

Ego quidem omnes bene sperare iubeo: sed non sum Propheta, vt possim prædicere, hunc puerum fore virum bonum.

D. IACO-

D. IACOBVS.

Neque opus est. Quoniam gratiam Dei in Sacramento perceptam, amittere potest, qui Baptismum suscepit. Sed hoc quæritur: an postquam baptizatus est infans, à Deo sit adoptatus in filium Dei?

D. BEZA.

Respondeo: Infantes Baptismo aquæ aspersos, PROBABILITER, probabiliter inquam, censeri filios Dei: sed renouari eo tempore, quo baptizantur, vt vetere homine extincto, noui fiant homines, absurdum esse putamus asserere. Quoniam pueri fidem non habent, præsertim actualem: sed in fide parentum baptizantur.

In respons. ad Thes. 7.

Ad Thes 8.

D. IACOBVS.

Sed quæ certitudo salutis, aut consolationis in Baptismo esse potest, quando homines docentur: Nullos infantes in Baptismo renouari: & non solùm reprobatos, & arcano, æterno, immutabili, decreto Dei absoluto æternæ damnationi destinatos, neque antè vel pòst, aut in Baptismo, hoc est, nunquam renouari, si millies baptizarentur, sed etiam eos qui saluandi sunt, in Baptismo non renouari, sed adoptionem, & renouationem, seu regenerationem tantùm obsignari, quæ interdum etiam in extremo agone sequatur?

D. BEZA.

Nos quibusuis adultis, qui baptizantur, totum Baptismum præberi asserimus: sed interiorem Baptismum tantùm ab illis percipi affirmamus, qui veram fidem priùs habent, vel aliquando consequentur. Nam efficaciam Baptismi non ad illud referimus tēpus, quo homo baptizatur. Prodest tamen nihilominus baptizatis illis quidē per fidem, aut quam

In respons. 6. Thes.

Opinio D. Bezæ de adultis baptizatis.

habent præcedentem eo tempore, quo baptizantur: aut qui fidem non habent, sed suo tempore habebunt.

D. IACOBVS.

Ego de infantibus quæro, & tu mihi de adultis respondes. Vnum Baptismum esse, & non duos, nunc aliquoties dictum & demonstratum est. Ideoq́ue exterior non sine interiore, neque interior sine exteriore, qui fingitur, vnquam datur.

Quoniam ergo vnus est Baptismus, qui aqua & Spiritu constat: ideo etiam vnus est effectus aquæ & Spiritus. Quæ duo semper in Baptismo coniuncta sunt, quamuis non eandem rationem causæ habeant: quoniam Spiritus per aquam, & aqua virtute Spiritus sancti coniuncta regenerat, renouat, & adoptionem obsignat.

Baptismus aquæ, Metonymicè lauacrum regenerationis est, secundum Bezam.

Sed nihil ad quæstionem respondetur, cùm asseritis: Baptismum, non nisi per tropum Metonymiæ lauacrum regenerationis dici: quæ causa sit, quòd non omnes infantes baptizati regenerentur? Et ne quidem electi, eo tempore, quando baptizantur infantes?

D. IACOBVS.

Quoniam non omnes sunt electi, quod adolescentia demonstrat. Nam soli electi regenerantur, reliqui iusto Dei iudicio relicti sunt in peccatis & miseria, in qua concepti & nati sunt: quos Deus reprobauit, vt suam in illis iustitiam demonstret, neque sicut saluandos ad vitam elegit. De quo cùm ante adultam ætatem iudicari non possit: ideo benè sperandum de pueris dicimus, donec res ipsa demonstret, quòd sint electi.

D. IACOBVS.

Iudicent auditores omnes, an non hoc sit Sacramento Baptismi omnem vim suam derogare, & Christianos parentes in perpetua dubitatione, de adoptione liberorum suorum in filios Dei, retinere, adeoq́ue ipsos vnâ cum liberis consolatione

tione omni priuare, quam in Baptiſmo repoſitam habent: & hoc modo omnia in dubio relinquere, vt nemo certò credere poſsit, aut debeat, ſe per Baptiſmum in filium Dei adoptatum eſſe: ſed PROBABILITER tantùm ſperare, aliquando regenerationem ſecuturam, quæ in infantibus baptizatis fieri non poſsit, quòd actuali fide careant.

D. BEZA.

Vis Baptiſmi poteſt ſeſe demum in vltimo agone exerere: ſicut exemplum latronis docet, quem baptizatum fuiſſe, non eſt veriſimile. In illo tamen momento, quo Chriſtus eum alloquitur, conuerſus & ſaluatus fuit.

D. IACOBVS.

Neque nos vim regenerandi reſpectu Dei ita aquæ Baptiſmi alligatam eſſe dicimus, vt Spiritus ſanctus ſine aqua regenerare non poſsit: ſed nos homines ad Baptiſmum aquæ, ita alligatos eſſe docemus, vt ſine eo nobis ſalutem & vitam polliceri non poſsimus, ſi nobis Baptiſmus contingere poſsit: ſecundum illud Auguſtini piè dictum: Contemptores Sacramentorum priuantur gratia Sacramentorum. Nunquam autem probari poteſt, aliquid à Deo in Baptiſmo obſignari, quod non fit.

D. BEZA.

Suo tempore fiet, quod obſignatur per Baptiſmum. Nam ſicut ſemen in terram proiectum non ſtatim germinat, ſed latet in terra aliquandiu abſcõditum: Sic quoq; ſemen Spiritus Baptiſmi interioris tam diu abſconditum manet, donec ſuo tempore aperiatur, qui ſint verè regenerati, & in quibus ſecuturus ſit fructus, & certiſsima indicia facta regenerationis, in quibus verò non ſequantur.

D. IACO-

D. IACOBVS.

Cùm autem toties dixeris, quod etiam nunc aliquoties confessus es, quamplurimos baptizari, qui nunquam regenerentur, quoniam æterno & occulto, sed iusto Dei decreto ad æternam damnationem sint creati & destinati, quos Deus non velit regenerari: quomodo in illis adoptio obsignari potest per Baptismum aquæ, quę in æternum non sequetur? An verò hæc non est non solùm Baptismi, sed etiam nominis Dei manifesta prophanatio?

D. BEZA.

Beneficium adoptionis omnibus offertur: sed quòd non ab omnibus percipitur, Deus in culpa non est.

D. IACOBVS.

Aliud est adoptionis oblatio, quæ non percipitur, & aliud eius perceptæ obsignatio. Nisi enim percipiatur, obsignatio locum habere non potest. Item, quomodo aut cur reprobis offertur, cùm Deus non velit, vt ab ijs percipiatur?

D. BEZA.

Non Dei sed ipsorum propria culpa fit, quòd non percipiatur.

D. IACOBVS.

Duo vos statuitis, quæ Scripturæ sacræ testimonijs nunquam demonstrari possunt. Alterum, quod dicitis: Quoniam Deus non omnes ad vitam æternam elegerit, ideo multa millia infantum baptizari, qui non regenerentur, aut renouentur, neque in filios Dei adoptentur: quos Deus constituerit relinquere in ipsorum miseria ad declarandam iustitiam suam: de quo plura in sequenti articulo de Prædestinatione. Alterum verò est, quod infantes eo tempore, quo baptizentur, non renascantur & renouentur, etiam qui ad vitam

tam æternam electi ſunt per Baptiſmum, quia careant propria fide. Neque quenquam certum eſſe poſſe, liberos ſuos etiam baptizatos, in filios Dei adoptatos eſſe: ſed bene de illis duntaxat ſperandum, & probabiliter cenſendum eſſe, eos adoptionis fructu donari. Quod nos apertè damnauimus, & cum Scriptura ſacra manifeſtè pugnare demonſtrauimus.

Iudicium ſit penes auditores, qui vtriuſque partis argumenta, rationes, & ex ſacris literis producta teſtimonia audiuerunt: ex quibus facilè cognoſcere, & iudicare poſſunt, vtri parti adhærere debeant.

D. BEZA.

Nos doctrinæ noſtræ fundamenta, rationes, & argumenta de vtroq; capite in Theſibus noſtris poſuimus, quas etiam auditorum iudicio, & omnium piorum commendamus.

XXVIII. MARTII, ante Meridiem.

D. IACOBVS.



POSTQVAM heri de Baptiſmo actum eſt, ex Theſibus noſtris ſcripto comprehenſis & vobis exhibitis: non video quid amplius à nobis dici poſſit. Idem enim habent Theſes reliquæ, quod in prioribus tractatum eſt.

Vnum autem colophonis loco addere viſum eſt. Placuit enim quærere: cùm Heydelbergenſes Theologi apertè ſcribant: Baptiſmum aquæ ſine fide ocioſam & inutilem cæremoniam eſſe: vos autem in reſponſione veſtra apertè aſſeratis, infantes fide carere: & eos tamen nihilominus baptizandos eſſe cenſeatis: quis fructus ſit eius Baptiſmi, aut eſſe poſſit, quem infantes ſine propria (ſecundum veſtram opinionem) — An Baptiſmus infantibus ſine propria fide prodeſſe poſſit.

nem) fide percipiunt? Si enim infantes non credunt: quid illis Baptismus prodesse potest? Ociosa igitur cæremonia erit.

D. BEZA.

Si adessent Domini fratres Heidelbergenses, commodius respondere possent ad ea, quæ ipsi priùs scripserunt. Quilibet enim optimus suorum verborum interpres est. Dicimus tamen, si de fide loquamur quæ actu est, nos non videre, quomodo infantes fidem habere queant, cùm verbum Dei neque audiant, neque intelligant: Paulus autem apertè testetur: quòd fides sit ex auditu verbi Dei. Nam fides actualis præsupponit notitiam rei, quæ creditur. Hæc autem infunditur, aut modo extraordinario, cuius testimonium in sacra Scriptura non habemus: aut ordinario, qui fit per externum auditum verbi Dei, Rom. 10. Semper ergo hæ duæ causæ coniunctæ sunt, efficiens principalis, & instrumentalis, quando fides donatur aut infunditur homini, videlicet, Spiritus sanctus, & auditus verbi Dei. Eiusmodi fidem nos infantibus tribuere non possumus, si de actuali fide intelligatur. Sin verò demus, infantes semen seu radicem fidei habere: fides tamen non est actualis, de qua Paulus loquitur: fides ex auditu.

Cur infantes baptizati, secundum Bezam, fide careant.

Rom. 10.

Etsi igitur infantes Christianorum fide carent: non tamen propterea Baptismus illis inutilis, aut ociosa cæremonia est. Potest .n. fieri, vt tempore administrati Baptismi, aliquis non credat, postea tamen incipit ei prodesse Baptismus, cùm incipit credere: quæ fides Baptismum reddit efficacem, quo obsignantur solùm electi. Sicut etiam fieri potest, vt aliquis audiat verbum Dei, cui tamen longè pòst credat, vt nõ opus sit noua prædicatione, sed per Spiritum sanctum prior Prædicatio facta in corde resuscitetur, & ex auditu verbi olim

Quomodo infantibus sine propria fide baptizatis Baptismus prosit.

olim auditi fides naſcatur. Ad hæc infantes Chriſtianorum naſcuntur in Eccleſia, & ſic in fœdere ſunt comprehenſi, ſecundum illud: Ero Deus tuus, & ſeminis tui. Quapropter illos baptizamus: Turcarũ autem liberos non baptizamus, niſi ad interrogata reſpondere poſſint, & ſe credere profiteantur. Quemadmodum de Philippo legimus, qui Eunuchũ baptizaturus, prius quærit, an credat? Cùm enim Eunuchus diceret: Ecce aqua, & quid prohibet me baptizari? dixit ei Philippus: Si credis ex toto corde tuo. Qui reſpondens ait: Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum. Et baptizauit eum. In infantibus autem in Eccleſia Dei baptizandis, fidem Eccleſiæ præſupponimus, in qua baptizantur, non autem propriam fidem, quam propter defectum actualis intellectus habere non poſſunt, quæ per ſolum auditum verbi Dei datur. Act. 8.

Sic ergo in Baptiſmo infantis in Eccleſia, cum fide parentum concurrit fides Eccleſiæ. Ex quo putamus, & probabiliter cenſemus, omnes ad Eccleſiam & ad numerum filiorum Dei pertinere, qui in illo fœdere naſcuntur. In quo etiam ipſi infantes comprehenſi ſunt, reſeruato tamen ſemper occulto Dei decreto de electis, quos Deus conſtituit ab æterno ſaluos facere. In Reſponſ. de Baptiſmo ad 8. & 10. Theſin.

D. IACOBVS.

Si rectè percepi ſententiam tuam, diſſeruit tua dignitas de duplici ratione fidei, quarum altera cum intelligentia coniuncta ſit, altera verò inſtar ſeminis à vobis cenſeatur. Item, de ordinario & extraordinario modo, quo fides à Spiritu ſancto infundatur. Quam diſtinctionem nos concedere non poſſumus. Fides infantibus nõ extraordinario modo in Baptiſmo datur.

Cùm enim in Baptiſmo fides datur & infunditur: hoc non extraordinario, ſed ordinario modo fit. Et fieri id poſſe, vt

infantibus quoque detur, & spiritus sanctus in illis eam operetur, exemplo Iohannis Baptistę contra Anabaptistas hactenus constanter asseruimus, & aperto verbo Dei probauimus, de quo scriptum est, quòd ad vocem salutationis D. virginis Mariæ, Elisabethæ factam, infans cum gaudio in vtero eius exultarit.

Exultatio Ioannis Baptistæ extraordinaria in vtero Elizabethæ.

Quod igitur ad hoc exemplum attinet, quamuis hoc fuerit extraordinarium, quòd cum gaudio ad vocem Mariæ in vtero matris exultauit: tamen hoc extraordinarium non est, quòd Deus fidem in infantibus baptizatis operatur.

Etsi enim non omnes infantes baptizati ad eundem modum insolito more exultent, in vtero matrum: tamen Deus in illis fidem operatur, qua propter Christum placent, & filij Dei adoptiui non probabiliter censentur, sed certò pronunciantur, aliàs Baptismus cæremonia ociosa esset, qua aliquid obsignaretur, quod non esset.

Christianorum liberi quomodo in fœdere sint.

Licet ergo Christianorum liberi in Ecclesia nascantur, non tamen propterea in fœdere censentur, nisi etiam quæ fœdus requirit, & in eo comprehenduntur, fecerint, aut in ipsis fiant.

Carnalis natiuitas ex pijs parentibus nihil facit ad adoptionem filiorum Dei.

Quoniam carnalis natiuitas ex pijs parentibus nihil facit ad consecutionem regni cœlorum. Sicut scriptum est: Ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham. Item: Quicquid ex carne natum est, caro est.

Matth. 3.
Ioan. 3. 3.

Nisi ergo ex aqua & Spiritu (quod fit in Baptismo) regenerentur & renascantur liberi: ex pijs & Christianis parentibus nati, non possunt videre regnum Dei.

Liberi Israelitarum absq; circumcisione in fœdere non censebantur.

Sicut enim in veteri Testamento, ex pijs parentibus nascebantur liberi: in fœdere autem non censebantur, nisi etiam in ipsis perficerentur, quæ in fœdere continebantur, videlicet, vt octaua die caro præputij præcideretur. Masculus enim, inquit Moses, cuius caro præputij circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.

Ita

Ita non probabili ratione, sed certissima quoque & indubitata consequentia sequitur & colligitur, in nouo Testamento infantes etiam ex pijs & Christianis parentibus natos, in fœdere non censeri, nisi etiam baptizati fuerint: secundum illud Christi, Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest videre regnum Dei. Quibus Baptismus nihil prodesset, si non crederent: secundum verbum Christi: Qui verò non crediderit, condemnabitur. Et non dicit: Qui baptizatus fuerit, etiamsi non crediderit, saluus erit.

Infantes non credentes non saluantur. Marc. 16.

Quòd autem T. D. ex sententia vestra semen fidei appellat, quod tamen non sit fides: Christus longè aliter loquitur, qui apertè fidem appellat, cùm inquit: Qui vnum ex minimis illorum offendit, QVI IN ME CREDVNT, credunt, inquit Christus. Cui testimonio Christi de pueris, meritò plus fidei adhibetur, quàm ipsis adultis, qui fatentur ore, se credere, cùm mentiri & fallere posśint. Christus autem neque mentitur neque fallit. Etsi igitur nos non videmus, quomodo credant, qui beneficio actualis intellectus carent: non tamen Christus & Spiritus sanctus propterea mendacij arguendi sunt, qui apertè testantur, pueros illos credere. Erant enim circumcisi pueri, ex quibus vnum Christus discipulis suis humilitatis exemplum proponit, qui non modò in Ecclesia nati fuerant, sed etiam signum fœderis acceperant. In quo à Deo in gratiam recepti, fide & gratia Spiritus sancti donabantur.

Pueri Christianorum baptizati credunt.

Qualem puerum Christus discipulis suis proposuerit.

Neque est, vt in illis præ alijs infantibus rationis seu intellectus beneficium prædices. Tam enim in rebus spiritualibus nihil intelligunt pueri illi quatuor aut quinque annorum, aut etiam plurium, quàm infans in cunis iacens. Neque ratio aut intellectus humanus iuuat nos in fide consequenda: quin adulti eum captiuum ducere iubentur, vt fidem vel acquirant, vel eam retineant, quæ Spiritus sancti liberrimum donum est.

Ratio & intellectus humanus non iuuant, sed impediunt fidem. 2. Cor. 10. 2. Thess. 3. Philip. 1.

Quapropter vt concludam: Si infantes Christianorum fide carent, & nihilominus baptizandi sunt: non video, quo-

modo conciliari possit, quòd illorum Baptismus non sit ociosa & inutilis cæremonia, cùm sine fide Baptismus nihil prosit.

D. BEZA.

Non video quomodo sequatur: Ioannes Baptista in vtero matris habuit fidem. Ergo omnes infantes baptizati quoque habent fidem. Argumentum enim est à particulari ad vniuersale: quod non concludit. Nam à posse ad esse, non valet argumentum. Præterea non puto fuisse pueros quatuor aut quinque annorum, de quibus Christus loquitur, quòd credant.

D. IACOBVS.

Etsi exemplum Ioannis hoc nomine est singulare, quòd actuali intellectu fidei in vtero matris exultat: in hoc tamen non est singulare, quòd fide in infantia donatus est.

Fundamentum doctrinæ de fide infantum baptizatorum.

Et sanè ab exemplo Ioannis Baptistæ ad infantes omnium Christianorum, non liceret argumentari, tanquam à particulari, seu potius singulari, ad vniuersale, nisi Christi verbum extaret, qui eos credere affirmat. Et Lucas expressè testatur: quòd ad Christum allati sint, non pueri duntaxat (παιδία) quatuor, quinque aut plurium annorum, sed τὰ βρέφη, hoc est, ab vberibus matrum pendentes, quibus Christus benedixit, & talium regnum cœlorum esse pronunciauit.

Matth. 18. Luc. 18.

2. Thess. 3. Hebr. 11. Philip. 1.

Cùm igitur fides sit opus Dei Spiritus sancti, sine qua nemo Deo placere potest: tam facilè est Deo, imò facilius est in illis fidem operari, in quibus caro non ita sicut in adultis repugnat, quàm in ipsis adultis, vbi caro (id est, intellectus & ratio, quæ sunt in homine potentiæ animæ excellentissimæ) semper repugnat:

Nam ratio impedit magis, quàm promouet aut confirmat fidem in nobis. Ideoque etiam vsque ad extremum vitæ spiritum contra eam, tanquam truculentissimum hostem salutis nostræ æternæ, pugnandum est.

D. BEZA.

D. BEZA.

De adultis intelligenda ſunt verba Chriſti de fide, quæ datur per auditum verbi, ad quem vſus rationis & intellectus actualis requiritur. Si enim verbum Dei audiatur, & non intelligatur: nihil prodeſſet, neque fides conciperetur. Qua cum deſtituantur infantes: aſſerere non poſſumus eos credere.

Quos tamen nihilominus baptizamus, quòd aliquando credituri ſint, etiamſi nunc, quando Baptiſmum accipiunt, non credant, ſed fide deſtituantur, & in fide parentum atq; Eccleſiæ baptizentur, quòd in fœdere cenſeantur, quia in Eccleſia nati ſunt. Aliâs omnes infantes damnati eſſent, Ioſ 5. *qui tempore Moyſis in deſerto, non circumciſi mortui ſunt.*

D. IACOBVS.

Chriſtum non de adultis, ſed de pueris loqui, Marcus & Lucas apertè teſtãtur. Quos etiam apertis verbis dicit CREDERE: Ideoq́ue minimè offendendos eſſe. Neq; curandum eſt, quomodo illi audiant verbum Dei, & quomodo fides eis infundatur, cùm baptizantur: ſufficit Chriſtum hoc teſtari.

Deinde quòd ad infantes non circumciſos attinet, non ex ratione humana, ſed ex verbo Domini iudicandum eſt. Verbum Domini ſic ſonat: Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, *QVIA PACTVM DOMINI IRRITVM FECIT.* Quapropter grauiter peccarunt parentes in deſerto, ſicut in alijs etiam quamplurimis, quòd contra tam expreſſum Dei mandatum ſuos infantes octauo die circumcidi non curauerint, & hac ratione eos in diſcrimen & ſummum periculum æternæ ſalutis & vitæ amittendæ adduxerint.

De infantibus ex verbo Domini iudicandum.

Gen. 17.

Iſraelitarum peccatum in neglecta circumciſione filiorum in deſerto.

Quia verò ſæpenumero feſtinanter & inopinatò caſtra mouenda fuerant; & liberi in diſcrimen vitæ videban-

tur non adducendi esse: Dominus ipse errorem hunc in eis correxit, dum etiam incircumcisos mirabiliter conseruaret, ne in deserto absque circumcisione morerentur, sed ante ingressum in terram promissam circumciderentur, quòd iubente Domino sub Iosue factum legimus.

Iof. 5.

Masculi ante octauum diem incircumcisi mortui an saluati.

Sic minimè dubium est, ante octauum diem quamplurimos infantes masculos mortuos esse incircumcisos: quibus tamen ad damnationem imputatum non est, quoniam diem non attigerant à Deo definitam: quo nomine parentes cum liberis incircumcisis coram Deo & hominibus excusati fuerunt. Quoniam fœdus Domini neque transgresi sunt, neque irritum fecerunt. Idem est iudicandum de infantibus Christianorum, vbi nulla culpa parentum, & nullus contemptus Sacramenti accedit.

D. BEZA.

Iudicas autem ex verbo Dei, omnes illos perijsse, qui incircumcisi in deserto mortui sunt? Quia scriptum est: Delebitur anima eius de populo suo?

D. IACOBVS.

Excusatio omissæ circumcisionis in deserto.

Si ex verbo Dei iudicandum est, certè aliter iudicari non potest, maximè si negligentia & cōtemptus mandati Dei accesisset. Sed per frequentes & inopinatas peregrinationes excusari aliquo modo possunt à negligentia & contemptu Sacramenti. Vnde etiam mirabiliter conseruati sunt, ne sine circumcisione morerentur, & in æternum perirent. Et verisimile est, cùm præter Iosua & Caleb omnes in deserto mortui sint, qui in virili ætate ex Ægypto egresi sunt, liberi autem eorum tanto & tam admirando numero creuerint: paucisimos in deserto mortuos fuisse.

D. BEZA.

Si iudicas omnes infantes in deserto incircumcisos, in ater-

in aeternum periisse: Mosen & Aaronem accusas negligentiae, quòd populum de peccato illo non monuerint, vt masculos recens natos infantes, constituto tempore circumcidi non curauerint: quod non legimus ab illis factum esse. Ego verò sic iudico, quòd Deus propter negligentiam parentum infantes incircumcisos non abiecerit. Sic quoque negligentia parentum nihil officit saluti infantium Christianorum, quando non baptizati ex hac vita decedunt.

D. IACOBVS.

Multa tulit contra suam voluntatem Moses, in populo Iudaico, populo durę ceruicis, quae mutare non potuit. Quapropter non modò verisimile: sed sine dubio quoque factum est, quòd Israelitas sui officij hac in parte etiam commonefecerint Moses & Aaron: sed pro ingenio suo illis populus non obtemperauit, in quos Dominus duriter saepe animaduertit.

Moses in Israelitis multa tulit, quae mutare non potuit.

D. BEZA.

Sic ergo simpliciter necessariam facies circumcisionem, quia scriptum sit: cuius praeputij caro praecisa non fuerit, delebitur anima eius de populo suo. Quod ego non credo, neque sic sentio. Nam circumcisio differebatur vsque ad octauum diem, & interim misellus puer moriebatur: num propterea deletus esset de populo suo? Si autem potest circumcidi, et non vsi sunt, sed contempserunt: tales periisse ego quoque affirmo. Idem de Baptismo, & infantibus non baptizatis iudicandum censeo.

An circumcisio simpliciter ad salutem necessaria fuerit.

D. IACOBVS.

Quando infans ante octauum diem circumcisioni destinatum moritur, & parentes & liberi excusati sunt coram

Deo & hominibus: & quid de illis infantibus velit statuere, illius voluntati relinquitur, de qua nos ex verbo iudicamus. Quoniam fœdus Domini infans irritum non fecit: Ideo etiam illi non imputari censemus.

Baptismus infantium non extrahendus.

De Baptismo autem cùm nullum certum tempus à Deo præscriptum sit, quo infantes Christianorum baptizandi sint: & Christus discipulos suos grauissimè corripuerit, qui prohibuerunt INFANTES & pueros ad illum adduci, quos tam humaniter ad se inuitauit, dicens: Sinite paruulos ad me venire, quoniam talium est regnum cœlorum: ideo omnibus parentibus summo studio in eam curam est incumbendum, vt nulla interposita longiore mora, recens nati infantes baptizentur, & per Baptismum in fœdus recipiantur, quod Christus de æterna vita nobiscum pepigit. Secundum illud Christi: Nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non poterit ingredi in regnum Dei. Quod beneficium non minùs infantibus quàm adultis necessarium est, siquidem in peccatis concepti & nati, & natura filij iræ sunt. Et nisi propter Christum in gratiam recipiantur, nulla spes vitæ æternæ consequendæ illis relicta est in natiuitate carnali, quòd in Ecclesia nati sunt. Nam quicquid ex carne natum est, caro est, hoc est, æterna damnatione dignum est.

Ioan 3.

Psal. 51. Ephes. 2.

Baptismus infantibus quomodo necessarius.

Quapropter Baptismum infantibus ita necessarium iudicamus, vt solum necessitatem ineuitabilem excusare censeamus, negligentiam autem et contemptum minimè veniam mereri statuamus. Qui salutem ita Baptismo alligamus, sicut verba sonant: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Item: Nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi in regnum cœlorum.

Mar. 16.

Ioan. 3.

D. BEZA.

An infantes non baptizati, sint in fœdere Dei.

Si igitur nō absoluta necessitate Baptismus necessarius est infantib. aliàs quamplurimi non baptizati damnati essent, quos saluatos esse, piè credimus: Ergo hinc manifestū est, infantes

fantes in fœdere esse, priusquam baptizentur, aut etiamsi non baptizarentur, sed sine Baptismo decederent.

D. IACOBVS.

Pij parentes & honestæ matronæ in tali casu necessitatis infantes constitutos, pijs suis precibus Deo commendant: quas exaudiri minimè dubium est. Secundum illud ipsius verum dictum: Petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis.

Infantes in summo articulo necessitatis sine Baptismo morientes, quomodo Deo commendandi.

Neque Deus ita alligatus aquæ est, vt sine ea gratiam operari inuocatus non possit, aut non velit.

Ne autem recens nati infantes summè infirmi in hoc periculum incidant: etiam mulieribus permissum est, vt in tali casu necessitatis baptizent.

Περὶ τοῦ Γυναικοβαπτίσματος.

D. BEZA.

Baptizare pars est Ministerij Ecclesiastici: quod viris, non mulieribus commendatum est, & commendari debet. Sicut enim mulieri non permittitur in Ecclesia loqui, ita etiam non licet ei baptizare. Mulier, inquit Paulus, in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto. Item, Mulieres in Ecclesijs taceant.

An mulieribus concessum sit, in casu necessitatis baptizare infantes.

1. Tim. 2.

1. Cor. 14.

D. IACOBVS.

Verum est, quòd baptizare sit pars Ministerij Ecclesiastici: quod ordinariè viris, & non mulieribus commendatum est, & commendari debet. Inde verò non sequitur, quòd in casu necessitatis non liceat mulieribus baptizare.

Baptismus à mulieribus administratus non damnandus.

Sicut enim in casu necessitatis, cùm homo in extremo agone mortis versatur, iam iam spiritum extremum exhalaturus, absentibus vel Ecclesiæ Ministris, vel alijs viris extra hoc Ministerium constitutis, loqui, hoc est moriturum hominem prædicatione verbi Dei, & promissionum diuinarum consolari, & à peccatis absoluere (quid enim prædicatio

Mulieri absentibus Ecclesiæ Ministris licet prædicare & absoluere.

Prædicatio Euangelij, est absolutio à peccatis.

Euangelij, & annunciatio promissionum gratiæ Dei in Christo exhibitæ, aliud est quàm absolutio à peccatis?) piæ mulieri licet, in hunc modum: Confide (frater vel soror in agone) peccata tua sunt tibi remissa propter Christum, qui tibi hoc in verbo Euangelij promisit, quod Baptismo obsignauit, qui corpus & sanguinem suum, & Spiritum sanctum in Baptismo pignoris loco tibi dedit: Ita quoque in casu necessitatis absentibus Ecclesiarum Ministris, & viris omnibus, baptizare mulieribus licet. Vtrum enim maius est? Verbum & prædicatio verbi, an verò Sacramentum Baptismi, & eius administratio?

D. BEZA.

Prædicatio verbi administratione Sacramenti maior.

Verbum Dei.

D. IACOBVS.

Quomodo & vbi mulieribus prohibitum sit prædicare Euangelium.

Si ergo licet quod maius est, mulieribus in casu necessitatis: licebit etiam quod minus est. Quod ad dicta Pauli attinet allata, nihil contra nos pugnant. Nam Paulus non simpliciter prohibet, ne mulieres doceant: aliàs domi liberos & familiam instituere quoque prohiberentur, quod fit salutari doctrina Euangelij, quam interdum mulieres melius norunt & intelligunt, quàm viri & mariti, seu domini, & patresfamilias. Ideo non simpliciter dicit: Mulier non doceat: sed addit, IN ECCLESIA, hoc est, in cœtu publico, qui viris & mulieribus constat: vbi dedecus esset, viros à mulieribus doceri & institui. Sed ipsarum officium est discere in silentio à viris. Alia autem ratio est in casu necessitatis, vbi nullus vir, nullus Ecclesiæ ordinarius Minister præsens est: ibi locum habet, quod alibi Paulus scribit: In Christo neque mas neque fœmina est.

Mulier in Ecclesia non doceat.

Gal. 3.

D. BEZA.

An mulieribus Cœnam Domini administrare liceat.

Quæro igitur, si mulieribus in casu necessitatis baptizare licet: an etiam Cœnam Dominicã mulieribus administrare liceat?

liceat? Cùm Sacramentorum & administrationis eorundem eadem sit ratio. Si igitur vnum licet mulieribus, licebit etiam alterum.

D. IACOBVS.

Respondeo, magnam dissimilitudinem esse inter administrationem Cœnæ Domini, & inter Baptismum in casu necessitatis. Infans enim recens natus nunquam adhuc baptizatus est, quem mulier in casu necessitatis extremo baptizat. Sed in agone constitutus Christianus, qui adultus est, priùs sæpe Cœnam Domini in cœtu Ecclesiastico publico percepit. Eius si commonefiat per mulierem consolantem voce Euangelij, nihil periculi est, quod ad æternam salutem attinet, si maximè moriatur, & Cœnam Domini non accipiat. Baptismi autem longè alia ratio est, de quo Christi verba extant: Nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi & videre regnum Dei.

Discrimen necessitatis in administratione Baptismi, & Cœnæ Domini.

Ioan. 3.

D. BEZA.

In absentia Ministrorum Ecclesiæ, viris talia conueniunt, non mulieribus, quæ à Ministerio Ecclesiæ prorsus exclusæ sunt.

D. IACOBVS.

Ordinatio Ecclesiastica Vvirtembergensis, de Baptismo per mulieres administrando, expressè continet, ne obstetrix aut alia mulier, nisi in summo, & extremo periculo & necessitate infantem baptizent. Sed si Minister Ecclesiæ haberi nequeat, honestus vir aduocetur, qui munus hoc baptizandi obeat. Eorum autem si copia quoque haberi non potest, nullo iure nulloquè Dei expresso verbo ab hoc Ministerio Ecclesiastico mulieres arceri possunt aut debent, nisi eas quoque à munere docendi Euangelium, & consolandi ægrotantes & cum morte conflictantes, in absentia virorum arcere & repellere velimus. De quo iudicium penes auditores esto.

Ordinatio Ecclesiastica Vvirtenbergensis, de Baptismo per mulieres administrando.

DE PRAEDESTINATIONE.

QVIA Theodorus Beza cum suis fratribus responsiones suas ad Theses Theologorum Vvirtenbergensium, de Prædestinatione, sicut & de Baptismo, & Templorum Reformatione nondum conscripserat, & ex voluntate Illustriss. Principis, Comitis Friderici, etiam de hoc Articulo colloquendum esset: iussus est D. D. Lucas Osiander Vvirtenbergensium Theses publicè recitare, quæ sequuntur. Diligenter autem rogauit D. Beza Illustrissimum Principem, Comitem Fridericum, per Gallos primarios colloquij auditores, cum D. Iacobo Andreæ ageret, vt breuitati studeret, & à prolixitate sermonis abstineret, qua in collatione de præcedentib. articulis vsus esset: quod se facturum D. Iacobus promisit.

THEOLOGORVM VVIRtenbergensium Theses de Prædestinatione.

Extra controuersiam quæ sequuntur, posita sunt.

I.

QVod Deus ab æterno, non modò lapsum primorum parentum nostrorum, sed omnium quoque hominum præuiderit.

Quòd

II.

Quòd saluandos non modò præsciuerit, sed etiam ab æterno elegerit, & ad vitam æternam prædestinauerit.

III.

Quòd electio facta sit in Christo, priusquam mundi fundamenta posita sunt: hoc est, vt per Christum saluarentur.

IIII.

Quòd saluandorum apud Deum certus sit numerus.

V.

Quæritur autem, an Deus electos suos ita ad vitam æternam prædestinauerit, vt quosdam, adeoque maximam partem hominum, priusquam nascerentur, æterno exitio, absoluto & occulto decreto facto, ad æternam condemnationem destinauerit, vt nolit eos pœnitentiam agere, conuerti, & saluari? Status controuersiæ.

VI.

Credimus nos & confitemur, quòd ex Scriptura occultum Dei decretum demonstrari non posit, quòd absq; omni indignitatis respectu, mero voluntatis suæ placito quenquam, multò minùs maximam partem humani generis ad æternam damnationem destinauerit, vt nolit eos pœnitentiam agere, conuerti, & saluari.

VII.

FVNDAMENTA assertionis nostræ hæc sunt:

Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & CONSOLATIONEM Scripturarum SPEM habeamus. Rom. 15.

Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. 1. Tim. 2.

Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Ezech. 18.

Sic

Luc. 24. Sic scriptum est, & sic oportuit Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum IN OMNES GENTES.

Ioan. 3. Sic Deus dilexit MVNDVM, vt vnigenitum Filium suum daret, vt OMNIS, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio, non pro nostris tantùm, sed pro totius MVNDI peccatis.

Matth. 11. Venite ad me OMNES, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

Rom. 11. Deus omnia sub incredulitate cõclusit, vt OMNIVM misereatur.

2. Petr. 3. Non vult Dominus ALIQVOS perire, sed OMNES ad pœnitentiam reuerti.

Neque ex lege, neque ratione humana, sed ex solo Euangelio de Prædestinatione electorum iudicandum est.

REIICIMVS TANQVAM verbo Dei minimè consentanea, & quæ omnem consolationem pijs mentibus adimunt, cùm docetur

I.

REprobationem esse sapientissimum Dei propositum, quo ante omnem æternitatem (vt ipsi loquuntur) constanter absque omni iniustitia decreuerit, EORVM NON MISERERI, quos non dilexit, sed præterijt, quò iusta eorum condemnatione iram suam erga peccata, & gloriam declararet.

Causam

II.

Cauſam efficientem reprobationis eſſe propoſitum Dei, quo placuerit Deo quoſdam creare, & IN EVM VSVM SVSCITARE, vt iram & potentiam ſuam oſtenderet, vt in ipſis quoque glorificetur.

III.

Deum reprobos nondum NATOS nullo indignitatis reſpectu exitio deſtinaſſe, & quoſdam ad iuſtum iudicium à DEO CONDITOS eſſe.

IIII.

Adamum ſponte quidem, ſed tamen non modò præſciente, ſed etiam IVSTE ORDINANTE & decernente Deo, in iſtas calamitates prolapſum eſſe.

V.

Decreti Reprobationis & electionis cauſam eſſe, tum æternam benignitatem in IIS, QVOS LIBVIT ad ſalutem prædeſtinantis: tum æternum mali odium, ad *IVSTAM DAMNATIONEM QVOS IPSI LIBVIT ORDINANTIS:* Cur HOS autem potiùs, quàm ILLOS ſaluti, vel damnationi DESTINET, cauſam προκαταρκτικὴν NVLLAM eſſe ALIAM, QVAM IPSIVS VOLVNTATEM.

VI.

Cunctos mortales cùm Scriptura ſacra clamet, in vnius hominis perſona morti æternæ mancipatos eſſe, HOC NON NATVRÆ adſcribi poſſe, ſed ab ADMIRABILI DEI CONSILIO PROFECTVM eſſe.

VII.

Quòd lapſus Adæ tot gentes vnà cum liberis, tot infantibus æternæ morti inuoluerit abſque remedio, non aliam cauſam eſſe, quàm QVOD DEO ITA VISVM fuerit.

VIII.

Deum ideo præsciuisse, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet, QVIA DECRETO SVO SIC ORDINAVERIT.

IX.

Adamum non potuisse, nisi ex DEI decreto & ordinatione labi.

X.

OPORTVISSE hominem puritate & integritate suæ excidere.

XI.

Quòd Deus nolit Reprobationi destinatos *SERVARI, AVT ILLIS MORTEM FILII PRODESSE.*

Iacobus Andreæ D.
Lucas Osiander D.

His nunc subiungere visum fuit Responsiones D. Bezæ & fratrum eius, quamuis finita demum collatione exhibitas: vt, quod in præcedentibus articulis factum est, hîc etiam ordinis causa obseruetur.

AD THESES DE Prædestinatione.

Ad primam.

GEneraliter affirmamus, neq; inuito, neque ignorante, neque ociosè præsciente Deo lapsos esse primos parentes, aut quicquam in mundo euenisse, euenire, aut vnquã euenturũ fuisse, à cuius [a] *voluntate ne passerculi quidem excipiuntur, Matth. 10. 39.*

Ad II.

Assentimur, modò [b] *eligengendi vox pro Prædestinatione, siue electionis, suo tempore secuturæ, decreto sumatur: & cùm is qui eligit, non omnia accipiat, necessariò consequi dicimus, reliquos eodem decreto præteriri.*

Ad III.

Assentimur.

Ad IIII.

Assentimur, & eadem ratione certum esse numerum apud Deum eorum, qui iustæ [c] *damnationi sunt destinati, affirmamus.*

ANNOTATIONES D. Iacobi Andreæ.

a) *Quòd primi parentes nostri volente Deo peccauerunt, hoc est, quòd Deus voluerit, vt transgrederentur præceptum in Paradiso de fructu arboris scientiæ boni & mali à Deo traditũ: hoc nusquam Spiritus sanctus in vniuersa Scriptura S. docet.*

b) *Eligendi vox vsitata Scripturæ S. significatione à nobis in Thesi nostra ponitur, qua non absolutum Dei decretum intelligitur, sed in Christo limitatum & descriptum, Ephes. 1. Elegit nos in Christo Iesu, priusquam fundamenta mundi iacerentur. Item: Dilexit nos in dicto, sicut Thesis tertia nostra docet.*

c) *Non autem absoluto Dei decreto, videlicet, quòd Deus nolit eos saluari, sed propter impietatem suam, qua gratiam DEI aspernantur, in Christo oblatam, quem Deus pater ab omnibus vult audiri, Matth. 17.*

Ad V. & VI.

Quod hîc negatur, tam vasa [d] iræ, quàm vasa misericordiæ destinata esse ab æterno, affirmamus: non modò, quoniam [e] eadem est contrariorum ratio, & vt diximus, ipsa vox [f] electionis hoc euincit: verùm etiam quoniam id expresso Dei verbo, cum non paucis alijs locis, tum ex professo ab Apostolo declaratur, [g] Roman. 9. 11. Hoc autem Dei decretum, tantum abest, vt quisquam possit [h] iniustitiæ arguere, vt ne iniustus quidem futurus fuerit Deus, si nullum ad salutem prædestinasset, cùm et omnes filij iræ nascamur, et ipse nemini sit debitor.

d) *Vasa iræ non à Deo, vel absoluta eius voluntate, sed à Diabolo et propria voluntate facta et præparata sunt. Quapropter iusto ipsius Dei iudicio ad æternam damnationem destinata sunt. Quorum damnationem nunquam voluit. Ideoquè contra Dei voluntatem propria voluntate pereunt.*

e) *Non eadem hic est ratio. Nam interitus impiorum vnica & sola causa est, Diaboli & ipsorum mala voluntas. Salutis autem æternæ piorum, est Dei in Christo reuelata voluntas, sicut vox è cœlo sonat: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui:* HVNC AVDITE, *Matth. 17. cui se fideles & electi subijciunt.*

f) *Vox electionis id minimè euincit, quia nusquam absolutum Dei decretum in Scriptura S. docetur, quo homines certos ad damnationem creauerit.*

g) *Ad Romanos 9. docet quidem Paulus, gratia & misericordiâ Dei saluari credentes, non autem* ABSOLVTA MISERICORDIA, *sed in Christo declarata & exhibita. Nihil autem de absoluta Dei iustitia, qua maximam partem humani generis ad æternam damnationem creauerit & ordinauerit, quos* NOLIT *saluari.*

h) *Non quidem iniustitiæ Deus argui posset, si hoc modo ageret: verùm Scriptura sacra hoc non docet, sed contrarium omnes paginæ sacrarum literarum inculcant, videlicet, quòd Deus* NOLIT CVIVSQVAM HOMINIS MORTEM.

bitur. Deinde dicimus, condemnationem eorum, qui in sua corruptione [i] ex æterno illo Dei decreto relinquuntur, non rectè huic decreto attribui. Etsi enim nõ euenire non potest, quod decreuit Deus, ac proinde nõ absq; hoc Dei [k] decreto pereunt, qui pereunt: tamen huius decreti executionis, id est, damnationis eorum qui pereunt [l] causa non est illud Dei decretum, sed natiua illorum corruptio, in qua nati sunt, & eius corruptionis fructus, à quibus Deo placet solos suos saluti prædestinatos eximere. [m] Maximum aũt hunc semper fuisse & esse istorum pereuntiũ numerum res ipsa euincit: Et Dominus ipse ostendit, inquiens, [n] multos esse vocatos, paucos electos: Et paucos per angustã portam ingredi. Deniq; sic intelligendum est, [o] Deum

i) Non ex æterno Dei decreto, sed propter impietatem & contemptum verbi & oblatæ gratiæ in Christo relinquuntur in sua corruptione, qui damnantur, Matth. 23. Quoties volui cõgregare filios tuos, ET NOLVISTI.

k) Nusquam hoc decretum in Scriptura extat. Et hoc est os ponere in cœlum, sic de Deo nõ reuelato, ad euertendam omnem consolationem piorum, loqui.

l) Cùm suprà dixerint: Volente Deo primos homines peccasse: & infrà ex ipsorum ore dicatur, oportuisse hominẽ labi: quomodo occultũ hoc Dei decretum non esset causa executionis damnationis eorũ? Si enim (ex illorum sententia) Deus non voluisset eos peccare, etiam ab hoc iudicio & eius decreto liberi essent. Quicquid enim est causa causæ, idem etiam est causa causati.

m) Maximus numerus quidem est damnatorũ, sed nõ ex absoluto Dei decreto. Deus .n. neminẽ vult perire, sed omnes saluare. Cõtemptus aũt oblatæ gratiæ in Christo, & verbi eius, causa interitus est, quem Deus non vult.

n) Quia Deus non simulatè, sed seriò vocat peccatores ad pœnitentiam: ideo occulto decreto neminem damnat, sed eos duntaxat, qui electioni se opponunt, quæ in Christo reuelata est: Venite ad me OMNES.

[o] Deum nolle ipsos conuerti & saluari, non quasi ipsi velint, & Deus eorum desiderio resistat: sed quia ipsi quoque conuerti nolunt, [p] nec velle etiam possunt, in sua impœnitentia iustè relicti.

Ad VII.

Locus ex Rom. 15. ad [q] electorum vniuersalitatem pertinet: nec enim aliis, id est, exitio destinatis, & extra Ecclesiam positis Apostolus se accenseret.

Ad locum 1. Timoth. 2. respondemus, quod & ipse Apostoli [r] scopus postulat, & omnes orthodoxi Patres, præsertim Augustinus quàm plurimis locis, ex professo ostendit, omniū hominum appellatione intelligi non singulos generum, sed genera singulorum. Agit enim ibi Apostolus de variis hominum [s] statibus, quos Dominus ad Ecclesiam suam vocat. Et non modo perabsurdum, sed & profanum fuerit existimare, si Deus

o) Horrenda hæc vox est, quæ nusquam in sacra Scriptura reperitur, quòd DEVS ABSOLVTA VOLVNTATE NOLIT, vt homines conuertantur & saluentur.

p) Horrēda & abominanda hæc vox est, quòd ideo neque velint, neq; possint cōuerti, quia occulto Dei decreto relicti sint in sua impœnitentia: quæ vniuersam doctrinam Euangelii, & vsum Sacramentorum euertit, & perturbatis conscientiis omnem cōsolationem adimit.

q) Vniuersalis est doctrina Pauli de vsu sacræ Scripturæ: omnia ad consolationem hominū peccatorum dirigit, qui veram pœnitētiam agunt, à qua nemo excluditur, sed OMNES HOMINES ad eam inuitantur.

r) Verba Pauli aperta et manifesta sunt, quib. iubet orare PRO OMNIBVS hominibus: QVIA Deus velit OMNES HOMINES saluos fieri. Ideoq; impietas est, ab hac vniuersali promissione quenquā excludere.

s) Non agit ibi Paulus de variis statib. hominū, sed in genere de omnib. hominib. loqtur, p quibus orandū, maximè verò pro Magistratu, quòd is plurimū in Ecclesia vel prodesse, vel obesse possit, ad aliorū salutem, vel interitū.

Deus vult singulos homines saluari, ipsum nõ posse, quod vult, exequi, vel voluntatis diuinæ effectum ab hominum arbitrio suspendere.

Ad locum Ezech. 18. respõdemus, [u] indefinitam esse enunciationem, quæ ab vniuersali plurimis in rebus differt, & restrictio de cõuersione ostendit, hoc intelligendum de ijs solis, quibus datur conuersionis gratia, quæ certè est electorum [x] propria. [y] Redduntur autem nihilominus inexcusabiles, qui Dei admonitiones & exhortationes, per verbum prædicatum factas, aspernantur: quod facere solent contumaciter, quos Dominus intus non conuertit. Iuxta illud: [z] conuerte me, & conuertar.

Ad

t) Deus non absoluta voluntate voluit omnes homines saluos fieri. Sic .n. omnes homines certò saluarentur. Quis .n. eius voluntati resistere posset? sed restricta voluntate IN CHRISTO: Extra quem neminem vult saluare. Quem omnib. hominibus per prædicationem Euangelij, & vsum Sacramentorũ offert. Huic quisquis se opposuerit, non Dei volũtate, sed sua propria impietate, cõtra Dei volũtatem perit.

u) Ipsa res docet, vniuersalẽ esse enunciationẽ, cùm inquit DOMINVS: Nolo mortẽ morientis, quisquis fuerit. Manifesta ergo impietas est et doctrina abominanda, cõtra expressam literam ex promissione vniuersali particularem efficere.

x) Electio aũt non absoluto Dei decreto definitur, sed in Christo, qui omnes homines ad pœnitentiã vocat. Ideoq; ex numero electorũ sese nemo excludat, sed cũ Augustino dicamus: Si nõ es prædestinatus, fac vt prædestineris.

y) Quomodo nõ redderẽtur excusabiles, si verũ esset, quod affirmatis: illos ad exitiũ æternum occulto & absoluto Dei decreto creatos & destinatos, quia Deus NOLIT illos conuerti, ideo etiã non posse cõuerti? Horrenda & abominanda sunt hæc auditu in Ecclesia Christi.

z) Precatio hæc non confirmat errorem de occulto & absoluto Dei decreto, in damnandis hominibus, sed docet: humanis viribus conuersionem

nem ad Deum fieri non posse. Ideoq; gratiam Dei implorat, OMNIBVS hominibus, adeoq; vniuerso mundo oblatam

Ad locum Luc. 24. Per [a] *omnes gentes, mirabilis est glossa, intelligere singulos omnium populorum homines. Et si verum istud esset, tamen non de omni tempore hoc verè dici posset, cùm Deus* [b] *demum post missionem Apostolorum omnibus gentibus voluntatem suam saluificam patefecerit, & nunc maximam partem orbis terrarum iusto suo iudicio, non autem nunc demum nouo capto consilio in tenebris versari & perire* [c] *velit, Ioan. 3. appellatione* [d] *Mundi non vniuersaliter, sed indefinitè humanum genus intelligitur, & quidem ijs accõmodata, qui in ipsum credunt, dicente ipso Christo,* [e] *se non*

a) Magis mirabile est, hoc à vobis negari, cùm sit res manifestissima, quòd videlicet sub vniuersali particula (OMNES) etiam singuli intelligantur homines in omnibus gentibus.

b) Deus iam inde ab orbe cõdito, suã voluntatem in saluandis hominibus patefecit, & in omnibus Monarchijs populũ Israeliticum illustrẽ reddidit, apud quem hæ promissiones conseruatæ sunt. Cùm ergo propter mercimonia trans mare currãt homines, cultus aũt Dei tam fuerunt negligentes: nõ voluntatem Dei, aut occultũ eius decretũ de damnãdis hominibus, sed suã ipsorũ impietatem accusare debebunt, qui proselyti fieri & saluari potuissent.

c) Nõ ad occultũ Dei & absolutum decretũ referri posse, quòd maxima pars orbis terrarum NVNC in tenebris versatur, sed malitiã hominũ causam esse, Paulus apertè docet, 2. Thes. 2. cùm inquit: Quia amorem veritatis non receperunt, VT SALVI FIERENT, ideo misit eis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. Quid magis apertè contra opinionem de absoluto Dei decreto, in damnandis hominibus dici posset?

d) Manifesta verborum Christi deprauatio & vocabuli [Mundi] falsa interpretatio, quam ex Scriptura S. nunquam probare poterunt. Con-

[e] se non orare pro mundo, sed tantùm pro ijs, quos dedit ei pater, & nomini ipsius credituris. Prima Epistola Iohan.2. quòd dicit Iohan. non pro nostris tantùm, sed pro peccatis [f] totius Mundi facta est propitiatio, de sola vniuersalitate electorum & credentium intelligitur, quæ iam non ex vnica ipsius Apostoli gente, nempe Iudæorum colligatur: sed diruta macerie, sicut copiosè explicat Apostolus in Epistola ad Ephes. sese in reliquas gentes effundat. Sicut Abrahæ promissum fuit; fore, vt per illius semen omnes gentes benedicerentur. Et videtur Iohannes hæc ipsa Christi verba secutus de industria, qui in extrema illa sua ardentissima precatione, Iohan.17. ver.20. Non pro his tantùm rogo, inquit, sed & pro ijs, qui per sermonem eorum credituri sunt in me. Sicut etiam Iohannes dixit: Esse hunc agnum Dei, qui tollit peccata [g] Mundi. Num verò Christus totius mun-

trarium autem ipse Iohannes, optimus suorum verborum interpres docet, cùm inquit: Christus est propitiatio pro peccatis TOTIVS MVNDI. Vbi non est indefinita vocula, sed vniuersalis particula posita.

e) Etsi vocabulum [MVNDVS] hic restrictum est, non tamen errorem de absoluto decreto damnationis confirmat. Nam per MVNDVM contemptores doctrinæ Euangelij intelligit, qui se Christo opponunt: pro his se orare negat Christus. Non autem sequitur, quòd absoluta voluntate Christus eos nolit saluari.

f) Verba Iohannis nimis aperta sunt, quàm vt admittere possint hanc tam manifestè falsam interpretationem. Non enim collationē instituit, inter Iudæos & gentes, sed vniuersaliter de TOTO MVNDO loquitur.

g) Nihil certius est, quàm Iohannem vocabulo [mundi] non indefinitè, sed vniuersaliter omnes homines intellexisse, sicut alia propemodum infinita S. Scripturæ loca testantur & confirmant.

mundi peccata [h] *sustulit, vt vos de singulis hominibus interpretamini? Et certè nobis* [i] *intolerabilis vox vestra visa est, Christum esse mortuum pro damnatis, & homines* [k] *non damnari propter peccata. Matth. 11. compellantur omnes, qui laborēt & onerati sint, id est, sub peccatorum onere* [l] *fatiscunt, quod certè ijs solis conuenit, qui se peccatores agnoscunt, & ad eum confugiunt, à quo se subleuari posse sperant.* [m] *Rom. 11. Contextus ipse perspicuè ostendit, Apostolum ibi non agere de singulis hominibus per se: sed humanum genus distribuere voluit in duas partes, nempe Iudæos*

h) *Sufficienter pro singulorū hominum peccatis satisfecit, vt noua aut alia victima non opus esset, si mille mundi, vt sic loquar, restarēt Deo reconciliandi, pro quibus vna gutta sanguinis Filij Deì sufficeret. Quia verò maxima pars hominum contemnit; ideo illis nihil prodest, & eò grauiùs damnantur.*

i) *Summam impietatem nos esse dicimus, si quis hoc neget. Quin ideo potißimùm damnantur, quòd non credere voluerunt, Christum pro ipsorum peccatis mortuum esse; quod summum & maximum peccatum est.*

k) *Hæc non sunt nostra, sed Christi verba & doctrina, cùm inquit:* Hoc est iudiciū, (*hoc est, causa iudicij & damnationis*) *quòd lux venit in mundum, & mundus tenebras plus dilexit, quàm lucem. Etsi igitur peccata suâ naturâ damnant: tamen amplius damnare non possunt, si in Christum verè credas.* Non ergo ideo *damnantur homines, quia peccarunt, vt nulla ratione amplius illis succurri poßit: aliâs etiam omnes sancti damnarentur, quoniam omnes peccauerunt: sed ideo damnantur, quia liberatorem respuunt, & in eum credere nolunt.*

l) *Horrendum auditu est, tam apertam vniuersalem vocationem particularem fingere, quasi non seriò omnes laborantes vocet. Quod impium est de Deo vel saltem cogitare.*

m) *Verba Pauli adeò manifesta sunt, vt nulla interpretatione indigeant, cùm inquit:* Conclusit Deus omnia *sub peccatum, vt omnium misereatur. Sicut enim nō dicit:* Conclusit *quosdam sub peccatum, sed inquit, omnia: sic quoq; nō dicit: vt quorundam, sed omnium misereatur, vt oste-*

deret suam misericordiam omnibus seriò offerri, & Deum velle, vt omnes credant & saluentur, sicut omnes peccauerunt.

daos & gentes, ex quibus suã Ecclesiã colligit Deus per misericordiam, cùm & hi & illi digni fuerint perire: vt nemo, qui seruatur, aliter quàm per misericordiam seruetur. Imò quòd dicitur Deus omnes conclusisse sub incredulitatẽ: probat quod asserimus, nempe, neq; [n] nolente Deo, neque temerè homines in hanc miseriam incidisse; huius tamen rei [o] culpa omnis in hominis lapsum voluntarium, & eius posteros sic peccato mancipatos conferenda est.

2. Petr. 3. ver. 9. His verbis: Non vult Dominus [p] aliquos perire; liquet ex præcedentibus, totaq; adeo tractatione, Petrũ solos fideles alloqui, quibus etiam se accenset. Deniq; quod additur; neq; ex lege, neque ex ratione humana, sed ex solo Euangelio de Prædestinatione Electorum iudicandum esse, ap-pro-

n) Hæc assertio simpliciter impia est, & auditu horrenda, adeoq; expresso & reuelato verbo Dei cõtraria. Quicquid enim Deus prohibet, hoc non vult, vt quisquam faciat. Nolente ergo Deo, & non volente, sed contra ipsius voluntatem primi nostri parẽtes transgreßi sunt præceptum in Paradiso traditum, & in hanc miseriam incidunt. Sic docet Spiritus S. in Scriptura sacra, et qui aliter docet, si Angelus è cœlo esset, anathema sit.

o) Si vestra doctrina vera est, culpa omnis non in hominem conferri potest, sed in Deum creatorem, qui (secundum vestram opinionẽ) absoluto decreto suo, eos ad peccandũ & damnationem creauit & ordinauit, vt qui noluerit eos aliter agere, conuerti aut saluari, quod auditu horrendum est & abominandum.

p) Est & hæc Petri sententia tam aperta, vt falsam hanc interpretationem vestrã nullo modo admittere poßit. Nam non solùm vniuersalis particula ponitur [omnes] sed etiã explicatio præmittitur, NOLENS ALIQVOS perire, sed OMNES ad pœnitentiam reuerti. Horrenda ergo & blasphema doctrina est Bezæ, quæ contrarium impiè asserit.

probamus:[q] modò illud intelligatur ex istis verbis, 1. Iohan. 3. ver. 24. Per hoc cognoscimus nos in ipso habitare, & ipsum in nobis, quòd de spiritu suo dedit nobis.

Et 1. Iohan. 3. ver. 10. per hoc[r] manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli, quisquis non exercet iustitiam, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum.

q) Sæpe in tentationibus adeò infirmus est sensus, quo se à spiritu agi sentiunt, vt prorsus contrarium cor experiatur. Si ergo ex hoc solùm sensu de electione iudicandum est, nullus vsus erit promissionum diuinarum Baptismi, Cœnæ Domini, Absolutionis, adeoq; totius Ministerij Ecclesiastici. Siquidem (secundum opinionem Bezæ) ex his omnibus NIHIL certi de electione nostra ad æternam vitam statui potest.

r) Ruunt interdum etiam electi filij Dei in manifesta scelera, sicut filij diaboli, quemadmodum Dauid in adulterium, homicidium, &c. Vbi ergo consolatio & certitudo electionis eorum? aut vnde petenda aut sumenda erit? Quæ in promissionibus Euangelij vniuersalibus, in Baptismo, in Cœna DOMINI, in Absolutione, secundum opinionem Bezæ & sociorum eius, non est certa. Quis igitur non videt, quid diabolus hac doctrina meditetur? videlicet desperationem in pijs, & Epicureismum in dissolutis hominibus, qui certò sequetur.

AD DOGMATA subiecta.

I.

PRimum dogma, quod reijcitis, nos vt verè[s] Christianum & orthodoxum tuemur.

s) Horrendum auditu & abominandum: quòd Deus quosdam æterno suo decreto NON DILEXERIT: sed ad iustam condemnationem eorum reliquerit, quorum NON VELIT MISERERI.

t Si

II.

[t] *Si per reprobationem intelligitur eius decretum, inepte dicitur: propositum Dei, id est, ipsius decretum esse ipsius causam efficientem. Sin verò eo nomine accipitis eius decreti* [u] *executionem; falsum esse confitemur, quod repudiatis, vt ostendimus ad Thesin quintam & sextam.*

III. & V.

Paulum ipsum oppugnatis hoc dogmate, Rom. 9. 11. Tam enim falsum est, [x] *incredulitatem esse causam diuini huius decreti de iustè perdendis aliquibus, quàm fal-*

t) *Est & hoc horrendum & abominandum, asserere, quòd Deus quosdam* CREAVERIT, *& in eum vsum suscitauerit, vt iram & potentiam suam ostenderet, &* VT *in ipsis quoq; glorificetur. Etsi enim Apostolus testatur, quòd in hac vita Pharaonem suscitauerit, vt potentiam suam in hoc seculo in ipso declararet, tamen nusquam scriptum legimus: quòd eum ad æternam damnationẽ creauerit, adeò, vt absoluta voluntate noluerit eũ pœnitentiam agere & conuerti. Nam quod de induratione dicitur, non absoluti decreti effectus, sed præcedentis crudelitatis iusta pœna fuit, quam in filios Israël immanissimè exercuit Pharao.*

u) *Reprobationis nomine, siue decretum intelligatur, siue executio decreti: impium tamen est, asserere, quòd Deus absoluta voluntate decreuerit, quorundam hominum* NON MISERERI. *Quod cum ipsius reuelata voluntate apertè pugnat.*

x) *Non minus hoc quoque horrendum est auditu, & abominandum, quòd negare audet D. Beza:* INCREDVLITATEM *causam esse decreti Dei de perdendis hominibus. Siquidem Christus apertè dicit:* QVI *non credit, iam iudicatus est. Item, Spiritus S. arguet Mundum de peccato,* QVIA NON CREDVNT *in me. Item, Qui non crediderit, condemnabitur. Quapropter nullo modo Paulum oppugnamus, qui nusquam dicit: quosdam ad æternam damnationem* CONDITOS ESSE, *sicut Beza docet.*

falsum est [y] præuisam fidem, vel bona opera, causam esse Prædestinationis, vel electorum, quod Pelagianorum est dogma, vt dictum est ad easdem Theses V. & VI.

IIII.

Quod dixit Apostolus, vobis ipsis citantibus, Deum cõclusisse omnia sub incredulitatem, Rom. 11. cùm necessariò ad [z] Adami lapsum, tanquam ad primam originem referatur: & [a] profanum sit existimare, Deo, vel inuito, vel otioso, vel temere præstantissimum Dei opus fuisse in tantã miseriã prolapsum: optimo iure, quod hîc dãnatis approbamus: nec propterea lapsus Adami [b] culpam in Deum con-

y) Fides in Christum non est naturæ, aut nostrarum humanarum virium, sed Spiritus S. opus. Cùm ergò fides causa Electionis esse dicitur: nequaquam Pelagianorũ dogma sapit, qui naturæ viribus tribuerunt, quod solus Spiritus S. præstare potest.

z) Apostolus nequaquam dicit: Adamum Deo IVSTE SIC ORDINANTE ET DECERNENTE in istas calamitates prolapsum esse. Sensus enim verborum Pauli est: omnes homines esse peccatores, quorum omnium Deus velit misereri, si Christum per veram fidem recipiant. Non autem dicit: Deum ordinasse, vt homines omnes peccarent, & pereant.

a) Humana cogitatio est de Deo inuito, vel otioso, vel oscitãtia eius, qua homo peccauerit. De Deo autem & ipsius voluntate NON NISI EX VERBO DEI iudicandum, loquendum, & sentiendum est, & Maiestas eius non scrutanda.

b) Paulò antè dictum est, si vera esset D. Bezæ, & fratrum eius opinio de absoluto Dei decreto, quo Deus ordinauerit & decreuerit, vt homo peccaret: quis culpam in Deum iniustè conferret? quod lectoris iudicio cõmittitur. Quod quidem in Thesi nostra quinta ipsorum proprijs verbis magis apertè posuimus, vbi dicunt: CVR HOS potius, quàm illos saluti vel damnationi DESTINET, causam προκαταρκτικὴν, NVLLAM ALIAM esse, QVAM IPSIVS VOLVNTATEM. Quomodo ergo culpa in eos confertur, contra quos decretum æternum & immutabile

conferimus, quæ tota hæret in ipsius voluntate minimè coacta, neque etiam tum concupiscentiæ obnoxia, vtpote quæ nondum erat ingressa in mundum.

VI. & VII.

Superius responsum, hanc quoque Thesin non rectè scriptam refellit. Nec enim vel lapsus Adami aliunde, quàm à spontanea ipsius voluntate profluxit, vel posterorum eius contumacia, quàm ex ipsorum corruptione promanat, quamuis absque [c] decreto neutrum euenerit. Vnde illud Prudentij scitissimè dictum: Nemo nocens, si fata regunt, quod viuitur, & fit: Imò nocens, quicunque volens, quod non licet, audet.

VIII.

Cùm ordine causarũ nihil priùs sciat Deus futurum, quàm quod decreuit futurũ, nisi (quod absurdissimũ esset) absque

bile NVDA & SOLA Dei voluntate, nulla alia causa προκαταρκτικῇ præcedente, de ipsis damnandis factum est?

c) Cùm ex decreto Dei sic ordinante oportuit homines primos labi, quemadmodum Thesi octaua & decima à nobis ipsorum verba recitata sunt; quomodo verè dici potest, non aliunde, quàm ex ipsius hominis volũtate profluxisse? Qua in parte D. Beza & socij eius sibi ipsis manifestè & apertè contradicunt.

absq; Dei decreto aliquid esse vel fieri censeamus; consequitur decretum [d] scientiæ præire, nec scientiam esse propriam rerum causam.

IX.

De hoc diximus ad dogma VI. & VII. [e]

X

Necessitas ista est ex [f] hypothesi, non ex ipsius Adami natura, sicut hodie peccato mancipatum est humanum genus. Et sic in verbo DEI dicitur: [g] oportuisse Christum, alterum Adamum, crucifigi.

XI.

[h] Quo sensu rectè & orthodo-

d) Aliud est præscire, aliquid talem exitum habiturum: & aliud, decreto suo ordinare. Illud enim intellectus, hoc voluntatis est. Quæ voluntas Dei si in peccato Adæ concurrit; à causa excludi non potest. Quod enim quis vult, & ipso ordinante & decernente fit; eius causa quoq; iure dicitur.

e) Id magis confirmat iam recitatam impietatem. Si enim non potuit Adam labi, nisi Deus sic decreuisset & ordinasset, vt labi eum oportuerit: quomodo voluntas Dei lapsus eius causa non apertè à vobis constituitur?

f) Hæc hypothesis, quam fingit Beza cum socijs suis, nõ est modò falsa sed etiam impia, & in Deum blasphema. Scilicet, quasi Deus absolutum decretũ fecerit, quale ab aduersarijs fingitur, tanquam in arcano Dei consilio sedissent.

g) Hæc hypothesis est vera: quia DOMINVS decretum fecit de genere humano per sanguinem Filij sui redimendo. Quod sine morte ipsius fieri non potuit. Sed non est absoluta necessitas, quasi non potuerit Deus omnia aliter ordinare.

h) Nullum pium sensum his verbis inesse, cùm dicunt & asserunt aduersarij: Quòd Deus NOLIT reprobationi destinatos SERVARI, AVT MORTEM filij sui PRODESSE: omnes verè pij & in rudimentis duntaxat fidei & religionis Christianæ mediocriter instituti facilè intelligere & iudicare possunt.

thodoxè dicatur, quod hic damnatis, exposuimus ad V. & VI. Thesin.

Quæ vniuersa aduersariorum nostrorum doctrina, cùm ad euersionem totius Euangelici Ministerij, certitudinis promißionum diuinarum de Christo, Baptismi, Cœnæ Domini, Absolutionis, faciat, & omnem consolationem pijs & afflictis conscientijs auferat, meritò fugienda est, sicut collatio, quæ sequitur, perspicuè docet.

Theodorus Beza, Geneuensis Ecclesiæ Minister.

Abrahamus Musculus, Bernens. Ecclesiæ Minister.

Petrus Hübnerus, Græcæ linguæ in Gymnasio Bernensi pub. Professor.

Antonius Faius, Geneuensis Ecclesiæ Minister.

Claudius Alberius D. Professor Philosophiæ in Academia Lausannensi.

Mompelgarti 29. Martij, Anno 86.

Thesibus ergo VVirtenbergensium Theologorum recitatis; iubente Illustrissimo Comite Friderico, D. Iacobus exorsus est.

D. IACOBVS.



EVERENDE D. Beza, si quid habet tua Dignitas, quod velit recitatis Thesibus nostris de Prædestinatione, à nobis conscriptis opponere: id quoque nos libenter audiemus, & placidè, sicut hactenus ex parte nostra factum est, respondebimus.

Status principalis controuersiæ de Prædestinatione.

Etsi enim Theses numero sunt multæ, in pauca tamen capita redigi possunt. Et quantum ego quidem existimo, totius negotij & disputationis pars maxima & potißima, in hoc vno cardine versatur. An Deus in æterno, arcano & occulto suo consilio, æternum, absolutum, & immutabile decretum fecerit, quod maximam partem hominum non velit saluari, neque in Christum credere, & ad agnitionem eius peruenire, neque etiam precium sanguinis eius illis prodesse, sed quod eos ad æternam condemnationem destinauerit, ordinauerit & creauerit?

Hæc quæstio quando expedita fuerit, facilis deinceps ad reliqua, de hoc articulo, in nostris Thesibus proposita capita omnia, responsio erit.

D. BEZA.

Reuerende D. Doctor: Ingredimur hic in altam abyssum, ideo nobis specialiter precandus DOMINVS, vt nos suo sancto Spiritu gubernet, & in hoc mysterio ad semitam veritatis dirigat.

Doctrina de Prædestinatione rationi humanæ ignota.

Nulla enim pars doctrinæ Christianæ est, à qua sensus & ratio humana magis abhorreat. Quapropter iterum oro, vt Spiritus DOMINI nobis adsit.

I.

Deus ad certum finem hominem creauit.

Nos autem hæc principia ponamus: Deum tanquam sapientißimum opificem, cuius sapientia infinita est, cùm constituisset mundum, inprimis autem hominem creare, certum finem propositum habuisse.

Si enim architectus seu paterfamiliâs, quando cogitat ædificare domum aliquam, non ita desipit, quin priusquam ædificet, de fine cogitet, ad quem domũ ædificaturus sit: multò magis sic de Deo cogitandum est, qui cum sit infinita sapientia, certum finem in creando homine propositum habuisse, nullum dubium est.

Etsi

Etsi verò viæ DOMINI imperuestigabiles sunt, tamen ex his, quæ euenerunt, colligimus, quis finis creationis hominum fuerit. Propositum enim Dei æternum & immutabile, omnes causas ordine quoq; antegrediens fuit, quòd in semetipso ab æterno decreuit, omnes homines ad suam gloriam condere. Homo ad gloriam Dei conditus.

Dei autẽ gloria neq; agnoscitur, neq; celebratur, nisi eius misericordia & iustitia declaretur. Quapropter æternum et immutabile decretum fecit, quo certos aliquos homines, mera gratia ad vitam æternam, quosdam verò iusto iudicio ad æternam damnationem destinauit, vt in illis misericordiã, in his verò iustitiam suam declararet. Hunc finem cùm Deus in creatione hominum propositum habuisset, necesse fuit, eum etiam cogitare de via & ratione, qua ad illum finem peruenire potuerit, vt eius misericordia pariter & iustitia manifestaretur.

II. Homo qualis à Deo creandus fuerit.

Cùm enim misericordia præsupponat miseriam, nec misericordiæ locus esse, aut ea declarari possit, vbi nõ est miseria: ideo hominẽ ita creari oportuit, vt in eo locus misericordiæ Dei esse potuerit. Quod sine præcedẽte miseria fieri nõ potuit.

Sic, cùm iustitia præsupponat culpã, sine qua iustitia exerceri non potest, (vbi enim non est culpa, ibi etiam iustitia locum non habet) ideo hominem quoque ita creari oportuit, vt seruata natura, aptus esset, in quo Deus iustitiã suam declarare posset. Iustitiam enim suam in homine declarare non potuisset, nisi eum ad æternã damnationem destinasset.

III. Propositum Dei in electione & reprobatione.

Proposuit ergo Deus, & ab æterno immutabile decretum fecit omnes causas secundarias antegrediens, quòd pro sua infinita misericordia, velit aliquos homines eligere in Christo seruandos, aliquos verò secundum iustitiam suam reijcere, sua ipsorum culpa damnandos.

IIII.
Cur homo ab initio bonus creatus sit.

Ad hunc finem vt perueniret, cùm naturâ bonus, imò ipsa bonitas sit, Deus hominem malum condere nec potuit, nec voluit. In quo statu si homo permansisset, neque misericordiæ neque iustitiæ in ipso declarandæ locus fuisset. Via ergo inuenienda fuit, qua homo ad vtrumque paratus & dispositus esset.

V.
Cur homo mutabilis à Deo creatus.

Quapropter creauit hominem in recto statu quidem bonum, iustum, sanctum, sed tamen mutabilem: qui in manu consilij sui relictus, cadere & labi posset in miseriam, in qua deinceps & misericordiæ & iustitiæ locus esset.

VI.
Cur homo non sit immutabilis creatus.

Si enim immutabiles homines creauisset, vt labi & peccare non possent: Deus sibi neq; ad misericordiam neque ad iustitiam viam aperuisset. Quoniam miseria in mundum ingressa non esset, sine qua misericordia Dei declarari non potuisset. Sic quoq;, si peccatum non ingressum esset in mundum: iustitia Dei manifestata non esset. Quapropter hominem bonum creari oportuit, ne Deus author mali censeatur: non autem immutabilem, sed mutabilem, & qui (nulla tamen culpa Dei) peccare posset, vt Deus ad executionem sui consilij & arcani propositi peruenire potuerit.

VII.
Cur Masculum & fœminam creari oportuit.

Oportuit etiam masculum & fœminam condere, ex quibus deinceps genus humanum propagaretur, in quo iustitiam & misericordiam suam declarare DOMINVS decreuit & constituit.

Ephes. 1.
Prou. 16.
Exod 9.
Rom. 10.

Quæ hactenus à me dicta sunt, non sunt humana, aut à me, vel ex me cogitata, sed habent Scripturæ sacræ testimonia, non solùm de electis, quos Deus elegit ante constitutionem mundi, sed etiam de reiectis & reprobatis, quos Deus ad diem malum condidit, vt in eis potentiam & iustitiam suam declararet.

Postquam

Postquam ergo ad hunc modum primi homines, Adam & Heua à Deo in recto statu, boni, iusti, & sancti & mutabiles conditi sunt, ita peccarunt, vt Deus culpa non inuolueretur.

VIII. Primi homines sine culpa Dei peccarunt.

Oportuit igitur Heuam, per serpentem antiquum, Sathanam persuaderi, vt legem à Deo, de fructu arboris sciētia boni & mali non gustando positam, vnâ cum marito transgrederetur.

IX. Oportuit Heuam à serpente decipi. Genes. 3.

Ad quam transgreßionem, neq; à Deo, neque à Sathana coacta fuit, sed libera voluntate, quæ bona, iusta, sancta & integra & minimè corrupta fuit, persuasioni serpentis assensit.

X. Neque à Deo, neque à Sathana ad peccandum coacta est Heua.

Idq; Deo neq; inuito, neq; ignorante, neque OCIOSE PRAESCIENTE: à cuius voluntate nec passerculi excipiuntur, neque nuda & ociosa permißione aliqua, quæ ab ipsius voluntate & decreto separetur. Quum enim finem ordinauerit: necesse quoq; est, vt causas ad eum finem ferentes constituerit, nisi vel temerè, vel causis ab alio aliquo Deo ex Manichæorum opinione constitutis, eum finem euenisse contendamus.

Quapropter non temerè cecidit Homo, in integro statu cōstitutus Si non temerè, certè ex prouidentia Dei. Quia euenire OPORTVIT, quod Deus decreuit, qui in hominis lapsu sibi viam & rationē quæsiuit, vt gloria eius in declaratione misericordiæ & iustitiæ suæ manifestaretur, ita tamen ne Deus culpa inuoluatur. Quoniā homo ad peccandū nō coactus est, sed libera volūtate peccauit, qui resistere potuit & debuit serpētis persuasioni, qui animū Heuæ, contra Dei præceptū solicitauit. Verùm vt Deus finem creationis hominis consequeretur, OPORTVIT Heuam & Adamum

XI. Homo ex prouidentia Dei necessariò peccauit.

Homo libera voluntate peccauit.

mum per Satanam decipi, vt misericordiæ in condonando delicto, locus esse posset.

XII. Misericordiæ nullus locus, nisi priùs iustitiæ Dei satisfiat.

Quia verò Deus misericordiam suam erga peccatores declarare nõ potuit, nisi iustitiæ eius prius satisfieret, quæ tãta est, vt creatura, quantũuis iusta et sancta à Deo cõdita, eam sustinere non posset: in æterno & arcano consilio suo, viam quoq; inuenit, qua & iustitiæ huic pro peccatis electorũ Deo satisfieret, & deinceps locus misericordiæ in hominib. esset.

XIII. Aeternum decretum Dei, de filio Dei incarnando.

Quapropter in eodem arcano et æterno cõsilio suo, sancta Trinitas decreuit, vt Filius Dei Patris vnigenitus, in personæ suæ vnitatem, naturam humanam assumeret, in qua pœnas peccati secundũ iustitiam Dei debitas perferret, & sua passione & morte pro peccatis electorum satisfaceret.

XIIII. Christus potuit non mori. August. de ciuitate Dei.

Ideoq; à Spiritu sancto cõceptus, & ex Maria natus, cùm sine peccato esset iustus & sanctus, talis homo fuit, vt potuerit nõ mori: & sicut Augustin. loquitur, vt maximè Christi ossa essent fragilia, tamen frangi non potuerint. Quia Deus sic ordinauerit, ne frangerentur. Sic etiam non ea hora, qua hostes voluerunt, sed qua ipse voluit, mortuus est. Sicut scriptum est: Quærebant eum apprehendere, & nemo misit in illum manum: quia nondum venerat hora eius.

XV. Mors Christi voluntaria.

Neq; enim coacta, sed voluntaria Christi mors erat, & respectu Christi non debita, sed pro electis suscepta, quorum debita, hac morte Filius Dei expiare voluit.

XVI. Comparatio Christi cum Adamo.

Talis conditio Adæ & Heuæ non fuit. Nam Christus non potuit peccare, quia non solùm homo, sed etiã verus Deus, vna persona erat. Ideò etiam potuit nõ mori: sed tamen ex decreto Dei, mortuus est: Sicut Petrus Act. 2. demonstrat. Adam verò potuit nõ peccare, sicut Bernhardus loquitur: tamen ex prouidẽtia Dei peccauit. Cõcludo igitur, vt Deus sibi viam ad misericordiam aperiret, cõtingenter dico quidem

dem

dem lapsum esse primum hominem, nulla necessitate vrgente aut cogẽte, sed liberè ratione suæ voluntatis, NECESSARIO aũt, QVO AD DEVM. Deus .n. suo æterno decreto omnia conclusit sub peccatum, vt omnium misereatur, sicut Apostolus loquitur. Ideoq́; oportuit etiã hominem peccare, non nuda & ociosa permissione Dei, ab eius voluntate & decreto separata: sed tamen sine culpa DEI, propria voluntate, qua serpenti magis quàm Deo obtemperauit.

XVII. Ab extremis ad extrema sine medijs causis non procedendum.

Diligenter aũt cauendum, siue ab imo sursum, siue contrà, à summo deorsum descendamus, ne ab extremo vno ad alterum extremum præteritis medijs excurramus: veluti à proposito Dei ad salutem, & multò etiam magis à salute ad propositũ Dei, itemq́; à proposito ad damnationem, aut contrà, præteritis iudicij Dei propinquiorib. causis. Quas Deus GRADATIM ORDINAVIT, QVIBVS FIERET, vt tota ipsorum exitij culpa in ipsis hæreret. Quos tanquam meritò reprobos, quatenus corrupti sunt, execratur. In quorum plurimos, SIMVL ATQVE NATI SVNT, IVSTAM IRAM SVAM EXERCET.

XVIII. Deus causas damnationis hominis gradatim ORDINAVIT. Ira Dei in infantes damnationi destinatos.

Si enim secundas & medias causas prætereamus, facilè in absurditates incidemus. Verbi gratia: cùm Paulus inquit: Conclusit Deus omnia sub peccatũ, vt omnium misereatur: si hoc modo explicemus: Adamum ideò lapsum esse, vt omnes homines liberarentur ab hac miseria, quàm absurda sententia esset, & veritati minimè consentanea? Sequeretur enim, Deum mutasse suum decretum, voluntatem & propositum, quo constituit ab æterno suam iustitiam, in certis quibusdã hominibus, in miseria sua relictis, declarare. Sed Scriptura apertè testatur, Deũ vasa iræ ad æternum interitũ creasse & præparasse. Ideoq́; nõ est lapsus homo, vt omnes homines restituerentur. Et res ipsa docet, non omnes (Rom. 9.)

homi-

homines saluari: sed maximam hominum partem damnari. Necesse ergo est, ideò lapsos quoque esse homines primos, Deo sic ordinante, vt quidam damnentur.

Horrenda vox.

XIX.
Causæ mediæ executionis decreti Dei, rectè considerandæ.

Ne igitur in hoc mysterio impingamus, causæ etiam secundariæ & mediæ rectè considerandæ sunt, quæ inter Dei decretum occultum & eius effectum vltimum, salutem & condemnationem hominum intercedunt.

XX.
Quales homines Deus decreuerit saluare & damnare.

Cùm enim Deus neq; omnes saluet, neq; omnes damnet: Spiritus sanctus causas ostẽdit, cur, & quales seruet & quales damnet. Vbi ordo causarũ considerandus venit in Adamo lapso, quem Deus saluum fecit. Non enim probabile est, ipsum damnatum esse. Quamprimùm enim Adam & Heua peccauerunt, prodit se amor Dei gratuitus erga corruptos quidem in se ipsis, sed in Christo gratis electioni & saluti destinatos homines. Statim .n. illis remedium contra peccata, mortem, & damnationem in promissione de venturo Christo saluatore proponitur. Semen mulieris cõteret caput serpentis. Quo verbo DOMINVS patefecit electionem. Nam in Christo facta est electio, secundum illud Apostoli: In ipso electi sumus, priusquam fundamenta mundi iacta sunt. Et hæc electio fit gratuito illo fauore, quo Deus dignatus est quosdam, quos æternæ saluti ab æterno destinauit.

Genes. 3

XXI.
Electionis patefactio.

XXII.
Electio Dei gratuita.

XXIII.
Electio particularis non vniuersalis.

Iam qui eligit, non accipit omnia, sed relinquit quædam. Nam eligere est vnum accipere, alterum relinquere. Elegit ergo DOMINVS liberrima voluntate sua, qui ipsi placuerunt, & quos voluit saluos facere.

XXIIII.
Deus in damnandis hominibus non iniustus.

Quòd aũt non omnes elegit, sed multos in sua miseria reliquit æterno decreto Dei, ad æternam damnationem ordinatos & destinatos: Deus propterea nullius iniustitiæ aut crudelitatis argui potest. Quoniã nemini quicquam debet,

Rom. 9. 5.

cùm

cùm omnes in Adam peccauerint, & pariter omnes digni fuissent, qui in sua miseria relinquerentur. Potuisset enim omnes relinquere & nullum recipere. Rom. 9.

Nunc ad electionis factæ executionem progrediamur. Sicut enim elegit in Christo, quos secundum æternum propositum suũ, suo paterno amore dignatus est: ita etiam rationem inuenit, qua id decretum ordine quodam causarum secundarum & mediarum exequeretur. Quos enim elegit (inquit Paulus) hos etiam vocauit: & hæc vocatio efficax est, qua non solùm externa prædicatione Euangelij, ad veram pœnitentiam & agnitionem Christi per Ministerium Ecclesiasticum vocat, sed simul etiam per Spiritum S. corda eorum trahit, secundum illud Christi: Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum.

Rom. 8.

XXV. Vocatio electorum efficax.

Ioan. 6.

XXVI. Vocationis efficacis effectus in electis.

Vocationis huius efficacis, effectus est emollitio cordis, seu conuersio ad Deum ex mera gratia. Quam sequitur fides seu fiducia vera in Christum, qua electi Christum apprehendũt, & eum cum omnibus beneficijs suis sibi applicant, in remissionem peccatorum & vitam æternam.

XXVII. Iustificatio ex fide electorum Dei.

Ex fide autem iustificatio coram Deo, quæ in imputatione alienæ iustitiæ, id est, merito Christi consistit; & sanctificatio inchoata, qua electi Spiritu S. donati, renouantur in spiritu mentis, & noui homines efficiuntur: Qui efficit etiam bona opera per ipsos, quæ Deo grata & accepta sunt propter Christum.

XXVIII. Sanctificatio inchoata.

XXIX. Bona opera electorum.

Quemadmodum autem per secundarias & medias causas agit cum electis ad salutem: ita quoq; cum reprobis agit per ordinatas causas.

XXX. Executio decreti Dei in hominibus ad æternam damnationem.

Cùm enim odium Dei contra illos in seipsis corruptos sit iustum, qui causis adductus, quas ipse solus nouit, proposuit eos in hunc finem creare, vt in ipsis iram & iustitiam suam osten-

ostenderet, quos nunquam dilexit, ideo etiam vel prorsus non vocat, vel vt maximè vocet, tamen vocatio prorsus inefficax est, quia verbum prædicatum ferit aures, sed cor non attingit, neq; ad conuersionem mouet. Horum quamuis NECESSARIA, tamen spontanea est pertinacia, quibus non datum est, veritatis spiritum amplecti, & credere.

XXXI. Damnatorum pertinacia necessaria.

XXXII. Intelligentia & fides qualis in damnatis exciteтur à Deo.

Et quamuis sint præterea alij, quorum intelligentia per verbum prædicatum excitatur ad ea percipienda & credenda, quæ audiunt: fit tamen hoc generali illa fide, qua præditi diaboli contremiscunt. Nam vocationem non esse vniuersalem, vt omnes saluentur, ex eo patet, quoniam multi sunt, qui nunquam verbum Dei audierunt, quibus etiam nunquam prædicatum est.

XXXIII. Causa cur Deus aut prorsus non, aut inefficaciter vocet damnandos.

Causa autem est, quòd vel prorsus non vocet, aut inefficax sit vocatio; quòd vt Deus nemini quicquam debet, ita etiam vocationem nulli populo aut homini debet, sed gratiæ est si quos vocet. Malitiæ autem hominum tribuendum est, si non vocet, aut inefficaciter vocet, hoc est, per Spiritum sanctum non trahat. Et natura humana seu caro ita comparata est, vt non modò non subijciatur Deo, sed ei etiam perpetuò repugnet. Inde tandem incredulitatis obstinatio & pertinacia, vt in sua cæcitate sibi ita placeant, vt dicant se videre, quoniam vocati neque volunt, neque possunt respondere.

XXXIIII. Incredulitatis obstinatio & pertinacia vnde.

XXXV. Ignoratio & contemptus Euangelij.

Hæc autem incredulitatis obstinatio & pertinacia non est ex Deo, sed à corruptione hominis innata, & à parentibus accepta. Ex qua etiam ignoratio & contemptus Euangelij sequitur. Non enim ignorant tantùm Euangelium, sed etiam horribiliter contemnunt, oderunt, & persequuntur. Et tandem in omnem iniustitiam, pollutionem, omnisq; generis scelera ruunt.

Quando

Quando autem de iudicio Dei, de vtrisq; electis & reprobis, disseritur; diuersa illa esse testatur Scriptura S. Nam glorificatio est iustificatorum in Christo, & damnatio iusta peccatorum. Quorum tamen causa non est eadem, si executionem electionis & propositi Dei consideres. Nam causa salutis electorum est in Deo: causa verò interitus damnatorum est in malitia hominis, quæ à diabolo est, non ex Deo, sicut scriptum est: Perditio tua ex te Israel, in me autem salus tua. Quod similitudine declarare libuit: Sol facit diem, facit quoque noctem; diem per se & propria sua luce, quando exoritur & splendet: Noctem quoque efficit, sed per opacitatem terræ, quia nec esset vmbra illa, si sol non esset, neque hac vmbra nox efficeretur. Sic Deus sua gratia & fauore propter Christum, absq; omni respectu operum aut meritorum nostrorum, saluat electos in Christum credentes, reprobatos autem damnat propter malitiam & corruptionem, qua illi laborant, quos in sua miseria iusto iudicio reliquit.

XXXVI. Diuersitatis iudicij Dei in electis & reprobis causa & ratio.

OSE. 13.

Similitudo de Sole.

Quando igitur glorificatio electorum, & damnatio reiectorum opponuntur; diuersitas hæc diligenter consideranda est, in executione decreti Dei, ne causa huius damnationis Deo tribuatur, quæ solius hominis malitiæ adscribenda est. Non enim decretum Dei, sed malitia hominis & corruptio eius causa est æterni interitus damnatorum hominum.

XXXVII. Causa interitus damnatorum.

Conspicitur ergo iustitia Dei, cùm in saluatis, tùm etiam in damnatis. Quicunque enim in Christo electi sunt, illi etiam saluantur. Nam vita æterna coronatur obedientia Christi, etiam in membris eius, ipsis gratis imputata, passione & morte Christi acquisita. Mortis autem æternæ iusta pœna, peccatores in sua miseria, iusto Dei iudicio relicti, mulctantur.

XXXVIII. Iustitia Dei in saluandis & damnandis hominibus.

XXXIX.
Gloria Dei summè misericordis & seueri in saluatis & damnatis patefacta.

Vbi gloria Dei ex æterno eius decreto summè misericordis & summè seueri patefacta, & toti mundo declarata est. Qui gratia & misericordia sua dignatur, quos arcano suo decreto, ad vitam æternam elegit; & eodem arcano, sed minimè iniusto iudicio præterit, & æternis cruciatibus propter malitiam ipsorum subijcit, quos occultis causis IPSI SOLI NOTIS, suo amore, in suo æterno decreto nunquam dignatus est. Hæc paulò prolixiùs commemorare volui, vt omnes intelligant, nos causam damnationis, non in Deo, vt quidam de nobis falsò iudicant, sed duntaxat in malitia hominum constituere. Causa enim executionis iudicij Diuini, quod ad reprobos attinet, non est in Deo, sed, vt nunc diximus, in hominibus, quos iustè in sua impietate præterit, & non saluat, quod nemini mirum videri debet. Nec est iniustitia in Deo, qui noluit impios ingredi viam salutis, quos ad damnationem creauit. Et quæ iniustè ab ijs fiunt, ratione Dei ordinantis non sunt peccata, qui ordinauit vt fieret, sed ratione hominum, qui faciunt. Est enim differentia inter velle & velle, inter velle Dei & velle hominis. Nullum fuit maius peccatum, quàm crucifigere Filium Dei; hoc tamen à Deo decretum, ordinatum, & ex ipsius voluntate factum est. Quid enim, si omnes homines præterijsset, & neminem saluasset? Quis propterea cum eo expostulare posset? Num dicit figmentum figulo, cur me sic fingis? Tu quis es, inquit Paulus, qui Deo respondeas? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?

Rom. 9

Quapropter non est quòd miremur, Deum aliquos in miseria sua, occulto & arcano ipsius consilio reliquisse, quos æterno suo, sed iusto decreto, ad æternam damnationem creauit, neque vnquam dilexit. Quin potiùs miremur, & Deo gra-

tias

tias agamus, quòd aliquos saluari voluerit, quàm, vt eum accusemus, tam multos damnari.

Quòd enim Gentes, durante Politia Mosaica, reliquit ambulare in suis vijs peruersis; ratio dari nō potest, quàm occultum illud arcanum & iustum decretum, quòd in illis iram, potentiam, & iustitiam suam declarare voluerit.

XL. Quomodo peccauerint volente Deo gentiles.

Sed ait quispiam: vnde scire potero, me etiam in numero electorum ad vitam & glorificationem Dei æternā comprehensum esse? Respondeo. Si vis, quisquis es, Prædestinationis tuæ & proinde salutis quoque tuæ æternæ, quam expectas, aduersus omnes Satanæ insultus certior fieri, idq́ue minimè dubijs, & ex humano ingenio petitis coniecturis: Imò verò non minùs certis & exploratis, quàm si in cœlum vsque ipsum cōscendisses, & ex ipso Dei ore arcanum illud decretum audiuisses: Caue diligenter, ne à summo gradu illo incipias: alioquin futurum est, vt immensam illam Dei lucem non feras. Auspicare igitur ab imis gradibus, quære in verbo, quōd te ad Christum vocat. Et vbi vocem Dei audieris, in auribus & animo tuo personantem, quæ te ad Christum illum vnicum Mediatorem vocat, CONSIDERA PAVLATIM & diligenter SCRVTARE, ecquid in Christo sis per fidem iustificatus et sanctificatus. Hi enim sunt effectus, ex quibus fides, ipsorum scilicet causa intelligitur. Hoc autem cognosces partim ex Spiritu adoptionis, intus clamante, ABBA Pater; partim etiam ex eiusdem spiritus vi & efficacia in teipso, nempe si SENSERIS, & re ipsa etiam ostenderis, peccatum vt maximè adhuc in te habitet, tamen in te non regnare, vt improbis & sceleratis cupiditatibus habenas sponte nō laxes. Si interdum scientes & prudentes peccamus, & postea non formidine pœnæ, sed quòd clementissimum patrem offenderimus, peccatum oderimus, & Deum Patrem intrepidè

XLI. Quomodo explorandum, an aliquis etiam in numero electorum comprehensus sit.

adeamus & inuocemus. Si ex his effectis possumus fidem colligere; relinquitur, nos cum efficacia vocatos & tractos esse. Et ex hac rursus vocatione intelligitur, nos videlicet, quia æterno Dei consilio, quod in sese proposuit, prædestinati fuimus, in filios Dei adoptatos esse. Ex quo demùm sequitur, cùm constantissima Dei voluntate, quæ seipsa sola nititur, prædestinati simus, vt nemo nos ex manu Christi rapere possit, ideoque nos vsque ad finem perseueraturos, dubitare nefas sit.

Ioan.10. Phil.1.

Hæc doctrina de Prædestinatione, non facit Deum authorem peccati, vel causam peccati, aut damnationis reproborũ; neque plena offendiculi est, vt quidam arbitrantur; neque etiam prauas cogitationes gignit, aut occasionem vel ad contemptum Dei, vel ad desperationem præbet.

XLII.

Doctrina de Prædestinatione, quomodo & quibus proponenda.

Neque est Lac pro pueris & infantibus in religione Christiana, sed cibus solidus. Et nunquam hæc doctrina ita proponatur, vt cuiquam sigillatim applicetur. In visitandis ægrotantibus, afflictorum conscientias electionis testificatione erigant; obstinatè autem malos & contumaces, horrendo illo iudicio ita feriant, vt tamen ab extrema illa sententia abstineant, quoniam hæc iurisdictio ad solum Deum pertinet. Quapropter non quibusuis promiscuè hæc doctrina, aut temerè proponenda; sed prudenter considerandum & videndum, cum quibus agatur, an sint huius doctrinæ capaces, & ad eam idonei & rectè dispositi, hoc est, priùs rectè de peccato, de lege, de iustificatione fidei instituti. Quem modum Paulus in Epistola ad Rom. obseruauit, & viam monstrauit, quomodo docenda sit. Qui in prioribus octo capitibus docet: Omnes homines coram Deo peccatores, & iusto iudicio Dei damnatos esse: Deum autem misisse Filium suum, vt patiendo & moriendo Deo Patri & iustitiæ eius satisfaceret. Id prædicari iussit in

Methodus Pauli in Epist. ad Rom. obseruata.

toto

toto terrarum orbe, & promisit; quisquis crediderit, coram Deo iustum & saluum fore. Hæc postquam tradidit, in capite nono assurgit ad explicandum illud arcanum Dei decretum in Christo factum, & per Verbi & Euangelij prædicationem reuelatum de hominibus saluandis & damnandis; quod vsque ad caput duodecimum persequitur. In sequentibus Ethica tractat.

Cùm autem D. Beza, prope ad sesquihoram de hac re continuè disseruisset; non semel, sed sæpe & plus quàm septies, Illustrissimus Princeps, Comes Fridericus D. Iacobum monuit, vt sermonem D. Bezæ interrumperet, eò quòd Beza tam verbosus esset. Sed D. Iacobus recusauit, & Cels: eius diligenter aliquoties rogauit, vt patienter Bezam audiret, ne conqueri posset, se in tam graui negocio, & sublimi materia, non satis & sufficienter de Prædestinatione auditum esse, de qua materia priùs colloquium tantopere detrectauerat, & breuitatem sermonis in collatione à D. Iacobo tantopere flagitauerat. Si enim sermonem suum vsque ad vesperam extraheret Beza (dixit D. Iacobus Illustrissimo Comiti, Friderico) sibi tamen minimè molestum fore, quin paratus sit eum patienter audire, neque temporis iacturam metuendam esse. Se enim vno atque altero responso breuissimo, totum negocium absoluturum, ut Celsitudo eius cæterique auditores omnes intelligant, doctrinam hanc Bezæ & fratrum eius Scripturæ S. nullo modo consentaneam esse, minimeque consistere posse.

Beza patienter & sufficienter à D. Iacobo auditus est.

Etsi

Etsi verò Celsitudo eius ægrè passa est sibi persuaderi, vt Bezam diutiùs audiret: tamen molestiam illam deuorauit, donec prolixitatis sermonis pertæsus, in hanc vocem erupit: D. Beza, conclusio, conclusio.

D. BEZA.

Illustrissime Princeps: Ego iam conclusi.

D. IACOBVS.

Reuerende D. Beza, Tu ipse testaberis & simul auditores omnes, quòd te loquentem, & ferè per sesquihoram de hac materia prolixè disserentem, patienter audierim. Verùm, si quid præterea habes, quod iudices adijciendum illis, quæ prolixè nunc de negocio Prædestinationis abs te commemorata sunt, rogo vt ea proponas: paratus enim sum te sufficienter audire.

D. BEZA.

Nihil habeo amplius, quod addam illis, quæ à me dicta sunt.

D. IACOABS

Cùm igitur ante collationem, de articulo Prædestinationis institutam, ab illustriss: Comite, Friderico per tuos petieris, vt breuitati in respondendo studeam, faciam id quoque libenter. Quòd enim in prioribus articulis paulò prolixior fuisse tibi visus sum: causa hæc vnica fuit, quòd Ecclesiarum nostrarum doctrina auditoribus, præsertim Gallis exulibus necessariò paulò copiosiùs explicanda fuerit, quæ in concionibus & scriptis vestris miserè deformata, & ipsis hactenus ignota fuit: ad quos nostrorum scripta de his cõtrouersijs non peruenerunt. Quod cùm à me factum sit, & prolixitatem illam, auditoribus minimè ingratam fuisse confidam; nunc breuiter ad prolixam tuam orationem, & doctrinæ de Prædestinatione explicationem respondebo.

Cur D. Iacobus in hac collatione interdum prolixior fuerit.

Primùm

Primùm omnium de decreto illo Dei arcano, occulto, & immutabili, quod Dominus cogitauerit, & in quem finem præsertim in creatione hominis respexerit, & media perueniendi ad illum, quomodo disposuerit: ita locucus es, vt visus fueris mihi in arcano illo consilio Dei assedisse, & non modò omnia coràm audiuisse, quæ sancta Trinitas, Pater cum Filio & Spiritu sancto, de creatione hominis deliberauerit, sed etiam quasi tu quoque consiliarius illorum fuisses.

D. BEZA.

Ego non sum consiliarius Dei, neque humanas rationes secutus hanc rem explicaui: sed quæ Spiritus sanctus in Scriptura sacra tradidit, exposui. Ideo non est, vt me eiusmodi verbis excipias.

D. IACOBVS.

Reuerende Domine Beza, ego te ad sesquihoram summa patientia audiui: tu verò me vix tria verba proferentem, & ad orationem tuam respondentem audire potes. Rogo igitur vt me pari patientia audias, qua ego te audiui. Quantum enim fieri potest, breuitati summè studebo, ne vel Illustrissimo Principi, Comiti Friderico, vel auditoribus reliquis, vlla ratione oratio mea molesta sit.

D. BEZA.

Audiam.

D. IACOBVS.

Si rectè percepi mentem & sententiam tuam, omnia ea defendenda & propugnanda suscepisti, quæ nos in Thesibus nostris reiecimus & damnauimus. Summa enim orationis tuæ fuit: Deum tanquam sapientissimum architectum, in creatione hominis, ad duos fines potissimùm respexisse, & propositos habuisse, vt in genere humano, suam miseri- Breuis repetitio doctrinæ & confessionis D Bezæ de Prædestinatione.

 cordiam

cordiam pariter & iustitiam declararet, & gloriam tanquam summè misericordis & summè seueri reuelaret. Quapropter æternum occultum, & immutabile propositū habuisse, quod omnes causas secundas & medias præcesserit, quòd decreuerit ab æterno, certos homines ad suam ipsius gloriam tanquam summè misericordis & seueri, eligere in Christo saluandos, alios verò reijcere, sua ipsorum culpa damnandos.

Ad quem finem vt perueniret, sibi viam quoque parasse, & media necessaria disposuisse & ordinasse. Ideoque hominem in recto statu, bonum, iustum, sanctum, sed mutabilem creasse, vt posset peccare & labi.

Deinde, eum neque inuito, neque ignorante, neque ociosè præsciente, sed volente Deo, lapsum & præceptum Dei transgressum esse, cùm nihil quicquam in Mundo euenerit, eueniat, aut euenturum sit, sine voluntate Dei, à qua ne passerculi quidem excipiuntur, Matth. 10.

In responso ad Thes. 1.

Oportuisse autem hominem peccare & labi, vt in ipso locus misericordiæ & iustitiæ esse posset. Vbi enim non est miseria, ibi quoque nulla misericordia, qua homo ex illa miseria liberetur. Et vbi nulla culpa, nullum peccatum: ibi iustitiam locum ad mulctam infligendam habere non posse. Lapsum ergo esse hominem respectu decreti & voluntatis Dei NECESSARIO, sed respectu sui contingenter, & spontanea voluntate, sine vlla coactione Dei.

Quo lapso, amorem Dei gratuitum erga corruptos quidem in seipsis, sed in Christo gratis erga destinatos electioni & saluti sese exeruisse & reuelasse in æterno Dei & immutabili eius decreto conceptum. Quemadmodum & odium Dei iustum erga corruptos in seipsis, ex peccati per Adam propagatione patefactum sit.

Quapropter in executione æterni huius consilij, per prędicationem verbi, quæ electis & reprobis communis est, Deum eos vocasse. Quæ vocatio respectu eorum, quos Deus æternæ vitæ occulto suo decreto destinauerit, efficax sit, qua mera Dei gratia, illorum corda emolliantur, & ad Deum conuertan-

uertantur. Et Spiritum S. per verbum prædicatum, fidem in illis operari in Christum, qua iustificentur & sanctificentur, & tandem etiam glorificentur, cum vita æterna propter obedientiam Christi, per fidem imputatam coronentur. Reprobos verò sine respectu harum causarum absoluto Dei proposito & decreto ad damnationem & æternam mortem destinatos, vel prorsus non vocari, vel inefficaciter. Quoniam Deus non velit eos conuerti, credere, neq; pretium sanguinis Christi illis prodesse, aut illos saluari.

Relictos ergo iusto Dei iudicio (qui nemini quicquam debeat) induratione spontanea, Euangelium non modò ignorare, sed etiam contemnere, ac inde in omnem iniustitiam, & pollutionem ruere, donec iusto Dei iudicio damnentur, & mortis æternæ pœna mulctentur.

Bona fide me sententiam tuam recitasse confido. Sumam autem vnum duntaxat confutandum: quo confutato, tota doctrina tua de Prædestinatione corruet, quòd videlicet sentis: Deum, æternum, occultum, immutabile, & absolutum decretum fecisse, omnes causas ordine quoque antegrediens, quod maximam partem hominum in terris, ad æternam damnationem creare voluerit, quos etiam ad damnationem ordinauerit, & destinauerit: quos neque efficaciter vocare, neque conuerti, neque credere, neque illis precium sanguinis Christi prodesse, aut eos saluari velit: quia de illis immutabile decretum fecerit, quod in illis suam iustitiam declarare voluerit.

Hanc opinionem, & doctrinam, nos tanquam falsam, & cum verbo Dei expressè pugnantem apertè & constanter reijcimus & damnamus. Et disertè dicimus, Deum tale decretum nunquam cogitasse. De voluntate enim DEI nequaquam ex ratione & cogitationibus humanis, sed ex verbo Dei aperto, & minimè obscuro, iudicandum esse docemus: In quo voluntas Dei erga genus humanum lapsum, expressa & reuelata est. Quo sublato: de voluntate Dei in genere humano vel saluando vel damnando, nobis nihil quicquam constat. Lucerna pedibus meis verbum tuum, inquit Psaltes.

Hanc voluntatem Dei, vt ex verbo eius eruamus, & certò cognoſcamus, vnum ſaltem ex te quæro, ad quod vt categoricè & diſertè mihi reſpondeas oro: videlicet, an Deus vnquam dilexerit eos, qui nunc damnati ſunt, aut in futurum damnabuntur?

D. BEZA.

NON.

D. IACOBVS.

Hoc mihi nouum, & antea nunquam auditum eſt. Quapropter oppono expreſſum Spiritus ſancti teſtimonium, hoc eſt, ipſius Chriſti aperta verba, Ioan. 3. Sic Deus dilexit MVNDVM, vt daret vnigenitum Filium ſuum, vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et denuò quæro: quid in his Chriſti verbis ſignificet vocabulum MVNDVS?

D. BEZA.

Electos.

D. IACOBVS.

Mundus totum genus humanum ſignificat.

In his Chriſti verbis, per vocabulum (MVNDVS) iudicio & vnanimi conſenſu omnium ſcriptorum & interpretum ſacræ Scripturæ veterum & neotericorum, vniuerſum genus humanum intelligi, certum & indubitatum eſt. Quod ipſe Chriſtus verborum ſuorum optimus interpres, eodem loco apertiſsimis verbis confirmat, cùm inquit: Hoc eſt iudicium, (Ioan. 3.) quòd lux venit in mundum, & mundus plus dilexit tenebras, quàm lucem. Vbi vocabulum MVNDVS, non poteſt intelligi de electis tantùm: ſed maximè de illis, qui reijciuntur & damnantur. Illi enim plus diligunt tenebras, quàm lucem. Qui etiam ideo damnantur, quòd cùm illos Deus ita dilexerit; vt pro eis Filium ſuum daret: ipſi tamen hoc beneficium ſpernant & contemnant, & propterea iudicentur & damnentur. Idem Iohannes Baptiſta confirmat: qui cùm Chriſtum

Deus non vult impiorum mortem & damnationem æternam.

digito

digito monstraret, dixit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, MVNDI inquit, non electorum tantùm. Sic ad Roman. 5. scriptum est: Si enim, cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius: multò magis reconciliati salui erimus in vita ipsius. Et. 2. Corinth. 5. Deus erat in Christo, Mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum: & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliemini Deo.

Ioan. 1. Rom. 5.

Huc & illud Ezechielis pertinet: Nunquid voluntatis meæ est MORS IMPII, dicit Dominus Deus: & non, vt conuertatur à vijs suis, & viuat? Vbi expressè impiorum fit mentio, quorum æternam mortem non velle Dominum, expressè dicitur. Tantùm verò abest, vt Deus impiorum damnationem velit, vt per eundem Prophetam testetur, se sanguinem eius, qui damnatus est, ex manibus speculatoris requisiturum. Si me dicente ad impium: Impie, morte morieris: NON FVERIS LOCVTVS, vt se custodiat impius (non inquit electus) à via sua: IPSE IMPIVS, in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius, de manu tua requiram. Adeo enim dilexit Deus impium etiam damnatum, vt damnati sanguinem ex manu prophetæ requisiturus sit. Et iterum eodem loco: Quare moriemini domus Israel? quia NOLO MORTEM MORIENTIS, dicit Dominus DEVS, reuertimini, & viuite. Vbi nomine mortis, non potest intelligi mors naturalis seu temporalis: sed æterna mors intelligitur, sicuti præcedentia verba Prophetæ apertè docent, vbi non dicit: Nolo mortem electorum, sed mortem morientis, hoc est, ad æternam damnationem currentis, & qui iam mortuus, hoc est, damnatus est, vnde nunquam amplius in æternum liberabitur, Luc. 16.

Ezech. 18.

Sic Christus omnes peccatores ex æquo ad se vocat, non simulatè, sed seriò: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, ego reficiam vos. Non dicit: Venite ad me ali-

Matth. 11.

qui tantùm, quos Pater in arcano consilio decreuit saluos facere: reliquos etsi quoque voco, tamen neque mea, neque Patris mei voluntas est, vt veniant, me audiant, & mihi credant. Absit longè à nobis tam impia cogitatio de Christo saluatore nostro.

1. Tim. 2. Eodem modo Paulus loquitur: Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Cuius verba non modò confirmat, sed etiam illustrat D. Petrus, cùm inquit: Non tardat Dominus promissionem suam, sicuti quidam existimant: sed patienter agit propter vos, qui non vult ALIQVOS PERIRE: sed OMNES ad pœnitentiam reuerti. Vbi perspicuè explicat, quid per vocabulum OMNES intelligat, dum addit: non vult aliquos perire: quod nunquam posuisset Petrus, si Deus ALIQVOS perire voluisset, & occulto decreto ad æternam damnationem creasset & ordinasset, quos noluerit ad pœnitentiam reuerti.

Rom. 11. Conclusit omnia, inquit Paulus, sub peccatum, vt omnium misereatur. OMNIVM dicit, non inquit ALIQVORVM tantùm. His apertissimis Scripturæ testimonijs, luce meridiana clariùs demonstratum confido, quòd in verbis Christi, Ioan. 3. per vocabulum MVNDVS, totum genus humanum comprehendatur, quod Deus dilexerit, adeoq́ue etiam damnatos ipsos dilexerit, vt illorum sanguinem de manu Prophetæ requisiturus sit, qui eis iudicium Domini non annunciauerit, sed metu pœnæ, aut spe alicuius commodi, ne gratiam amitteret, tacuerit.

Falsa opinio de inefficaci vocatione. Quapropter quod vos dicitis de vocatione inefficaci, qua Deus impios vocet, quos tamen nō velit venire, & conuerti: glossa vestra est humana, verbo & gloriæ Dei contraria. Quantum enim ludibrium esset, si Princeps Illustriss. Comes Fridericus, in summa illa frumentorum caritate, omnes suos subditos ad se vocaret, & eis frumentorum copiam promitteret, tacitè autem apud se cogitaret, quòd non omnibus vellet dare, sed quàm plurimos inanes dimittere? An

non omnes verè & rectè dicerent, Principem lusisse? quod ipsius persona indignum esset. Multò magis indignum est, hoc ipsum Christo in suis dulcissimis promissionibus tribuere, quibus OMNES peccatores ad se allicit & vocat: vt cogitemus, eum non seriò omnes peccatores ad se vocare, sed eos tantùm, de quibus occultum decretum fecerit, quòd eos saluare velit. Hæc dicitis, hæc scribitis, hæc in vestris libris leguntur. Qua glossa perturbatis conscientijs, omnis consolatio adimitur. Etsi enim Christus dicit: Venite ad me OMNES, qui laboratis: tamen si certa est hæc glossa vestra, quòd aliquos tantùm venire velit: quis tibi & mihi indicabit, aut te vel me certiorem faciet, quòd velit nos quoque venire? Cùm igitur dubitare cogaris, an te quoque vocet: nunquam ad eum venies.

Cùm igitur ex omnibus promissionibus vniuersalibus Euangelij (quæ nos contra tentationes de particularitate electorum, & contra decretum æternæ damnationis de nobis factum, quod Sathan inculcat, consolantur) particulares faciatis, in quibus vocabulum OMNES, perpetuò ALIQVOS tantùm significet: Venite ad me omnes, id est, aliqui: Deus vult omnes homines saluos fieri, id est, aliquos: Conclusit omnes sub peccato, vt OMNIVM, id est, aliquorum, misereatur: & quæ sunt his similia in nostris Thesibus partim recitata: manifestum est omnibus, hanc doctrinam in Ecclesia Dei intolerabilem esse. Vbi enim consolatio illa firma manebit, quam in vniuersalibus promissionibus habemus, si omnes pariter particulares efficiantur, & Scripturæ sacræ testimonia tam illustria, hac interpretatione deprauabuntur? Quæcunque enim scripta sunt, inquit Paulus, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. (Rom. 15.) Hæc autem doctrina neque consolationem suppeditat, neq; spem facit vitæ æternæ consequendæ: sed in perpetua dubitatione conscientiam & cor hominis relinquit, an sit fortè etiam ex numero eorũ, de quibus Deus æternũ & immutabile decretum fecerit, quòd nolit eos saluari, sed ad damnationem

Doctrina D. Bezæ de Prædestinatione in perpetua dubitatione relinquit conscientias perturbatas.

eos

eos occulto decreto hoc OMNES CAVSAS ANTEGREDIENTE, creatos, ordinatos, & destinatos esse. Quod periculum eò maius & præsentius est, si secundum vestram opinionem, quàm plurimi in senecta demum regenerentur, neque regenerationis vllos motus priùs senserint, ad quos remittuntur, vt de electione certiores fiant. Longè ergo, imò longissimè absit à me, vt meis Auditoribus hanc doctrinam vnquam proponam, siue pueri sint lacte indigentes, siue adulti, qui solidum cibum perferre possint. Absit, inquam, à me, vt sic sentiam & doceam.

D. BEZA.

T. R. Dignitas in verbis Christi: Sic Deus dilexit Mundum, per MVNDVM, intelligit omnes homines: Ego verò non. Idq́ probo ipsius Christi verbis, Iohan. 17. cùm inquit: Non rogo pro mundo. Ergo non pro omnibus rogauit Christus, sed pro electis tantùm, quos Pater ei dedit, Ideoq́ nomine mundi, non intelliguntur omnes homines, sed electi tantùm Iohan. 3. quos Deus dilexit, non autem reprobi & damnati, quos nunquam dilexit.

Quando autem Scriptura interdum vniuersalibus particulis [OMNIS, OMNES] vtitur, sicut aliquot Scripturæ dicta à te nunc commemorata sunt, in quibus hæ particulæ continentur: ad gentes respicit, ne quis ad Iudæos tantùm pertinere arbitretur. Cùm Deus non solùm ex Iudæis, sed etiã ex gentib. vasa misericordiæ præparata habeat. Sicut Augustinus ad Simplicianum scribens, testatur: & ex scriptis Prophetarum, & Apostolorum manifestũ est. In eiusmodi ergo dictis, quando vocabulũ [MVNDVS] positum est, Ecclesiam significat, quæ electis tantùm tanquam suis membris cõstat, quos Deus in Christo dilexit: reliquos

quos omnes ab æterno, iusto odio habuit, & in æternum habebit.

D. IACOBVS.

Quod ad locum Ioan. 17. attinet, cùm inquit Christus: Non rogo pro mundo: fateor eo loco non pro omnibus hominibus, sed de contemptoribus Christi, & beneficiorum eius intelligi. Quoniam eo in loco electi & mundus opponuntur expreßsis verbis, cùm inquit Christus: Ego pro eis (ELECTIS) rogo, non pro mundo (id est, contemptoribus verbi mei) oro. Sed Ioan. 3. absolutè ponitur: Sic Deus dilexit mundum. Vbi non electos, sed omnes homines Christum intelligere, sequentia eius verba apertè docent: vt omnis qui credit, &c. vbi causam ostendit, cùm Deus omnes dilexerit, vt daret Filium suum pro illis, cur Christus non omnibus prosit, & omnes ex æquo saluentur. Quoniam illi tantùm saluantur, qui credunt, hoc est, Christum vera fiducia complectuntur. Qui verò non crediderint, hi simul omnes damnantur, secundum illud Christi: Qui verò non crediderit, condemnabitur. Item, qui non credit, iam condemnatus est: quia non credidit in nomen Filij Dei.

Mundus quando reprobos tantùm significet.

Mar. 16.

Ioan. 3.

Sed verborum Christi interpres, minimè reprehendendus, est Ioannes Euangelista, qui verba Christi: Sic Deus dilexit mundum: descripsit, & eorundem sententiam cùm optimè nouisset, perspicuis & disertißimis verbis explicauit. Verba eius sic sonant: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro nostris peccatis: NON pro nostris peccatis tantùm, sed etiam pro totius Mundi. Vbi Apostolus non solùm vocula seu particula vniuersali TOTIVS, vocabulo MVNDI addita: sed etiam collatione electorum, quos vocabulo (nostris) intelligit, & damnatorum, qui etiam nomine MVNDI intelliguntur, apertè docere voluit, Christum nomine mundi (Ioan. 3.) omnes homines intelligere.

1. Ioan. 2.

D. BEZA.

Depranatio manifesta verborum Ioannis.

Ego dico, Ioannem in dicto loco (1. Ioan. 2.) non coniungere electos cum damnatis: sed discernere Iudæos & gentiles: vt nomine Mundi gentiles cum Iudæis, duntaxat autem electis, in vtroque populo intelligat. Vt hæc sit verborum Ioannis sententia: Christum propitiationem esse, non solùm pro peccatis Iudæorum, hoc est, electorum, qui sunt ex Iudæis, sed etiam pro ijs electis, qui sunt ex omnibus gentibus, quos nomine totius Mundi comprehendit Ioannes. Quemadmodum Augustinus ad Simplicianum quæstione secunda testatur: Quos & vocauit, nos (inquit) non solùm ex Iudæis, sed etiam ex gentibus. Non enim omnes Iudæos, inquit, sed ex Iudæis, nec omnes omninò homines gentium, sed ex gentibus.

Lib 1 quæst. 2.

D. IACOBVS.

Nulla est hæc argumenti mei solutio, aut tuæ glossæ confirmatio. Nam Euangelista Ioannes hanc Epistolam non ad Iudæos tantùm, sed pariter quoque ad gentiles, hoc est, ad omnes discipulos Christi, doctrinam Euangelij amplectentes scripsit, quos simul omnes intelligit, vocabulo NOSTRIS, nomine autem TOTIVS MVNDI, omnes homines, nemine excluso: quod certissimum est, & apud omnes verè pios & synceros doctores indubitatum. Hinc illud vulgare dictum: Christus mortuus est pro omnium hominum peccatis sufficienter: sed non efficienter: quia plurimi hoc beneficium contemnunt: ideo eis nihil prodest. Non quòd Christus noluerit omnibus prodesse, sed quòd maxima pars hominum, cùm ex Iudæis, tum ex gentibus, id nihil curet, tenebras & voluptates Mundi plus amans, quàm lucem & veritatem Euangelij.

D. BEZA.

Si Dominus vellet omnibus prodesse passionē & mortem suam:

suā: vna gutta sanguinis satis esset pro peccatis totius Mundi, etiam damnatorum. Christus autem non est mortuus pro peccatis damnatorum, aliâs etiam damnati saluarentur, quos Deus æterno suo, sed iusto decreto, propter causas ipsi soli notas, ad æternam damnationem creauit, ordinauit, & destinauit. Catholica autem Ecclesia mundus ille est, de quo Ioannes hîc loquitur: pro quo Christus passus, crucifixus, & mortuus est. Cuius etiam propitiatio est Christus in sanguine suo, quem pro illa, non pro impijs & damnatis effudit in remissionem peccatorum, membrorum Ecclesiæ, non impiorum.

D. IACOBVS.

Hæc in auribus piorum sunt horrenda auditu. Et cuperem mihi saltem vnum ex Scriptoribus Ecclesiasticis veteribus & nouis nominari, qui in hunc modum verba Iohannis Euangelistæ interpretatus esset. Et vt maximè ostendi posset: manifestè tamen falsum, & apertam Iohannis verborum deprauationem esse, omnes piæ mentes intelligunt. Quin toto corpore perhorrescunt pij omnes, quando hanc vocem horrendam audierint: CHRISTVM NON pro TOTIVS Mundi peccatis, hoc est, pro omnibus hominibus in Mundo mortuum esse & satisfecisse. Quis hanc vocem quæso ferre potest? Ego sanè in stuporem conuertor, & toto corpore horreo, quando hæc nunc audio. Quapropter denuò dico, cùm D. Beza doceat, quòd Christus non sit passus pro damnatis, neque pro ipsorum peccatis satisfecerit, si ex vllo Scriptorum veterum aut neotericorum probatorum hoc demonstrare potuerit, & hanc suam interpretationem probauerit, paratum me esse, non solùm ad Palinodiam & publicam reuocationem, sed etiam durissimam pœnam sustinere velle.

Horrenda doctrina Bezæ, Christum non pro totius Mundi peccatis mortuum.

Hic Beza cum suis fratribus, in altera mensa sedentibus, risit

Sola incredulitas damnat homines.

Rom 3.

Non enim ideo damnantur æterno exitio adiudicandi, quòd peccauerunt: aliàs quoque omnes electi damnarentur: quoniam omnes peccauerunt, & egent gloria Dei: Sed ideo damnantur, quia nolunt vera fide amplecti Iesum Christum, qui NON MINVS pro ipsorum peccatis passus, crucifixus, & mortuus est, quàm pro peccatis Petri, Pauli, & omnium sanctorum. Hæc est æterna & immutabilis veritas, aduersus quam portæ inferorum non præualebunt. Sicuti Christus apertè testatur, cùm inquit: Hoc est iudicium, quòd lux venit in mundum, & mundus plus dilexit tenebras, quàm lucem. Item, Spiritus sanctus arguet Mundum de PECCATO, QVIA NON CREDVNT IN ME. Hoc, inquam, peccatum, si hominis animum occupauit, nec tollitur, damnat: si totius Mundi iustitia eius propria esset. Contrà si quis credat in Christum verè: totius Mundi peccata eum in infernum deprimere non possunt. Moriuntur ergo, & damnantur homines, non quia Deus æternum & immutabile decretum de illis fecerit, quòd non velit illos saluare, quasi eos ad declarandam iustitiam suam, ad damnationem creauerit & ordinauerit: sed ideo damnantur, quoniam beneficium mortis Christi sibi per fidem non applicant, qui pro ipsis mortuus est, & pro peccatis illorum satisfecit.

Ioan. 3.

Ioan. 16.

D. BEZA.

An sola incredulitas damnet, & non item alia peccata.

Hoc verò mihi planè nouum est, & priùs inauditum, quod dicis: Non ideo damnari homines, quod peccauerint: cùm peccatum vnica causa sit æternæ damnationis, cur improbi in sua malitia relinquantur, & damnentur. Deinde fateor, mortem Christi potuisse sufficere pro peccatis etiam damnatorum, si Deus voluisset illis prodesse. Sed nihil adhuc audio, quòd Christus pro omnibus etiam damnatis mortuus sit.

Cùm

Cùm tam absurda, horrenda, & manifestè impia diceret Beza de morte Christi, quòd videlicet Christus non pro omnibus peccatis, & peccatoribus sit mortuus: Illustriss. Princeps, Comes Fridericus D. Iacobum monuit, vt finem colloquio imponeret. Pertæsa enim erat Celsitudo eius talia ampliùs audire.

D. IACOBVS.

Illustrissimus Princeps, Comes Fridericus, iudicat finem collationi institutæ de hac materia imponendum esse, quia eadem perpetuò repetantur, & tam absurda fidei Christianæ & Scripturæ sacræ apertè contraria, abs te proponantur, videlicet, Christum non pro omnibus hominibus, & totius Mundi peccatis mortuum esse. Ideoq́ue frustra nos ampliùs disputaturos existimat. Hoc enim est principia negare, & apertissimis Scripturæ testimonijs contradicere, quibus fides nostra, in omnibus tentationibus nititur, eamq́ue prorsus euertere, atque adeò omnem consolationem pijs mentibus, in summis tentationibus, eripere, quam in promissionibus vniuersalibus Euangelij, & in Sacramentis repositam habent. Tu enim omnes illas promissiones vniuersales in particulares conuertis, neque in tota hac disputatione, vllo verbo Sacramentorum mentionem fecisti, quibus maximè electio nostra obsignatur & confirmatur, & homo in summis tentationibus constitutus ijsdem erigendus, & in fide confirmandus est. *Consolatio piorum in Sacramentis reposita.*

Ideo enim baptizati sumus, ne de electione & salute nostra dubitemus. Nam in Baptismo sancta Trinitas, gratiam suam, singulis qui baptizati sunt, promisit, quòd velit ipsorum peccatis propitius esse, eaq́ue omnia gratis propter Christum remittere: qui nõ solùm pro ipsorum, sed etiã pro totius mundi peccatis mortuus sit, & pro illis omnibus satisfecerit. Ideo etiam Eucharistiam sumunt, & hoc ipsum corpus Christi *Consolatio ex Baptismo.* *Consolatio ex Cœna Domini.*

in mysterio accipiunt, quod pro peccatis ipsorum traditum: & hunc ipsum sanguinem bibunt, qui non solum pro ipsorum, sed etiam pro totius Mundi peccatis est effusus, ad obsignationem promissionis vniuersalis, quòd hæc etiam ad ipsos pertineat, quibus certi fiant, quòd Deus ipsis quoque per Christum velit propitius esse.

D. BEZA.

Nos nequaquam perturbatis conscientijs consolationem adimimus. Quoniam docemus, electis dari Spiritum Rom. 8. *sanctum, spiritum adoptionis, qui testimonium perhibet spiritui ipsorum, quòd sint filij Dei. Hi à spiritu Christi aguntur, cuius motus in se ipsis sentiunt pij: ex quibus colligere possunt, se esse filios Dei, & in numero electorum comprehensos.*

D. IACOBVS.

Sed cur non remittis perturbatas conscientias ad promissiones vniuersales? Item ad perceptum Baptismum, ad perceptam Cœnam Domini, vt ex his de certitudine salutis suæ æternæ statuant?

D. BEZA.

Quia non omnes accipiunt hoc verbum: & plurimi Baptismo aquæ tantùm baptizantur exteriore, sed non interiore aqua Spiritus lauantur. Item, multi sine fide vera accipiunt panem & vinum Cœnæ: sed ad spiritus participationem non perueniunt.

D. IACOBVS.

Sic ergo in perpetua dubitatione hærent, nec quicquam illis promissio vniuersalis gratiæ in Christo promissæ, neque Baptismus, neque Cœna, prodest. Quæ omnia tu ita electis applicas, vt ex motibus Spiritus sancti demum de illis statuant,

D. Bezæ doctrina vsum verbi, Euangelij, & Sacramentorum prorsus tollit.

tuant, an sit in Baptismo quoque illis adoptio obsignata. Quàm diu enim persuasus est homo, de illo occulto decreto, in arcano & æterno Dei consilio facto, quòd Deus maximam partem hominum ad æternam damnationem creauerit & ordinauerit, pro quibus non sit mortuus Christus, neque pro peccatis illorum satisfecerit, neque etiam velit illis pretium sanguinis sui prodesse: nullam consolationem in summis tentationibus, ex omnibus promissionibus Euangelij, & Sacramentis percipere potest. Semper enim in hominum tentatorum animis hæc opinio hæret: Promissiones Euangelij tantùm ad eos pertinere, quos Deus arcano proposito & absoluto decreto ad æternam vitam destinauerit, qui etiam tantùm in Sacramentis obsignentur: reliquos, vt maximè etiam vocentur, tamen illorum vocationem esse inefficacem, & in Sacramentis tantùm putamina, hoc est, in Baptismo externam aquam: in Cœna Domini panem & vinum accipere, à nucleo autem excludi, quoniam in arcano illo Dei consilio reprobati sint. Cuius arcani consilij nullam aliam causam nobis notam esse scribis, quàm ipsius voluntatem, quia sic Dominus voluerit, & eidem placuerit in ipsis iustitiam suam declarare. Sicut etiam scribis: (Miro & incomprehensibili modo placuisse Deo, & voluisse, vt primi parentes nostri peccarent.) Quis igitur tibi dicet, aut vnde scies, an sis in numero electorum, aut reproborum comprehensus? Nam quòd dicis de Spiritus sancti testimonio, & eius motibus, quos si sentiant in se ipsis tentati, de sua electione eos non debere dubitare: omnes intelligunt, eiusmodi consolationes in summis illis tentationibus dubitationem de gratia Dei non tollere, sed augere. Nam tu ipse quoque fateris, & scribis, quòd etiam intelligentia reprobis detur, & in illis excitetur, ad ea percipienda & credenda, quæ audiunt. Hanc autem fidem esse generalem, qua præditi Diaboli contremiscunt. Cùm igitur etiam pij, in summis illis tentationibus contremiscant, & cum Dauide in se ipsis planè contrarios motus sentiant, vt cum ipso in excessu mentis dicant: Proiectus sum à facie oculorum tuorum: vbi tum consolatio quærenda? In verbo [illegible]. Quia promissiones (ex sententia vestra) omnes sunt Particulares, quas ad electos tantùm pertinere dici-

In volumine I. tract. Theolog pag. 179.

In volum. Theolog. Tract. pag. 192.

dicitis, de quibus Deus occultum æternum decretum fecerit, quòd eos tantùm saluare velit. Non etiam de Baptismo consolationem quærere iubetis: Quia gratia Dei non in omnibus hominibus baptizatis, sed ijs tantùm obsignetur, quos Deus secundum occultum suum decretum velit saluos facere. Quapropter neque certam consolationem ex Baptismo petere tentatus, neque minister verbi homini in summis illis tentationibus constituto, dicere potest: Confide frater, in nomine Iesu Christi baptizatus, & in fœdus Dei receptus es, in quo Deus tibi æternam salutem promisit, ideo de gratia illius nihil dubites. Sic, inquam, Ecclesiæ minister, perturbatum hominem, de gratia Dei dubitantem, secundum tuam doctrinam, consolari non potest. Quoniam docetis, Baptismum non esse certum signum adoptionis in omnibus baptizatis: neque in Baptismo omnes regenerari & renouari, & adoptari: sed eorum tantùm signum, & repræsentationem, & obsignationem esse, idque duntaxat in illis, quos Deus absoluto, & occulto decreto, omnes causas secundas & medias antegrediente, ad vitam æternam elegerit, ordinauerit, destinauerit. De quo non ex percepto Baptismo, sed ex motibus Spiritus sancti iudicandum, & censendum sit: si quis eos in se ipso sentiat, vt inde colligat, se quoque in Baptismo ad adoptionem obsignatũ esse. Cum igitur hac doctrina vestra de Prædestinatione omnis consolatio perturbatis conscientijs eripiatur, & contra aperta Scripturæ sacræ testimonia, nihil nisi glossas adferatis: publicè testamur, nos in ea, sicut etiam in cæteris controuersis articulis, in hac collatione tractatis, vobis minimè assentiri, sed eam apertè reijcere & damnare.

D. BEZA.

Nos non attulimus glossas: sed aperta & manifesta testimonia Scripturæ sacræ, quibus doctrinam nostram confirmauimus. Quod etiam scripta nostra demonstrant.

D. IACO-

D. IACOBVS.

An glossam, vel testimonia Scripturæ sacræ in hac collatione de articulis controuersis attuleritis, quibus testimonia Scripturæ sacræ aperta & manifesta, pro assertione & confirmatione doctrinæ nostræ à nobis allata, oppugnare conati estis; in iudicio Illustrissimi Principis, Comitis Friderici, & omnium auditorum ponimus.

ETENIM IN ARTICVLO DE COENA DOMINI, cùm nos vrgeremus perspicua & manifesta verba Testamenti Christi, à quibus minimè recedendum sit: Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus: Vos statim glossam proposuistis: Hoc significat corpus meum: Est signum & figura corporis mei, à terra absentis, & in cœlo tantùm existentis: Hoc significat sanguinem meum.

Breuis repetitio doctrinæ, & glossarum D. Bezæ, in controuersis articulis.
I.
D. Bezæ Glossæ de Cœna Domini.

Cùm Pauli verba proponeremus de impiorum manducatione: Qui indignè manducat & bibit, reus est corporis & sanguinis Christi; glossa vestra est, non manducando, sed negligendo, respuendo, & repudiando corpus Christi, impios fieri reos corporis & sanguinis Christi. 1. Cor. 11.

Item, cùm textum Pauli produceremus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini: Ibi statim audita est vestra glossa: non dijudicans corpus, id est, non dijudicans panem hunc Cœnæ Domini à communi pane, qui habet nomen & appellationem corporis Domini, vnde corpus Christi dicitur. 1. Cor. 11.

IN ARTICVLO DE PERSONA CHRISTI, cùm textũ Ioannis produceremus: Verbum caro factum est. Item: Tu es Christus, Filius Dei viui: statim auditur glossa vestra: Deus est homo, id est, homo cum Deitate vnitus, est homo, qui à Filio Dei gestatur & sustentatur.

Ioan. 1.
Matth. 16.
II.
Glossæ D. Bezæ in articulo de persona Christi.

Cùm dicitur: Hic homo (filius Mariæ) est Deus: glossa vestra auditur: hic homo, id est, Filius Dei cũ humanitate vni-

tus est Deus. Homo est omnipotens; id est, Deitas humanitati vnita est omnipotens. Deus est passus: id est caro Deitati vnita est passa.

III. Glossæ D. Bezæ in articulo de Baptismo.

IN ARTICVLO DE BAPTISMO, cùm textum produceremus, Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis Spiritus sancti; glossa vestra statim audita: id est, signum lauacri regenerationis, quod lauacrum regenerationis significat & repræsentat. Item, cùm textum proferremus: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu: glossa auditur: Renatus, id est, obsignatus per Baptismũ aquæ ad futuram & suo tempore subsequentem regenerationem, idque in electis tantùm, qui in senecta demum sæpenumerò renascuntur.

Item, in Actis Apostolorum textus verba de Simone Mago sunt clara: Simon quoque credidit: hic statim adest glossa vestra: credidit, id est, simulauit se credere.

Item, de Paulo Actor. 23. textus clarus: Christus Paulo ASSISTEBAT. Glossa vestra; assistebat, id est, in visione nocturna ei apparebat.

IIII. Glossæ D. Bezæ, in articulo de Prædestinatione.

IN ARTICVLO DE PRAEDESTINATIONE, cùm contra occultũ illud decretum pugnaremus, quo asseritis, maximam partem hominum à Deo, occulto, omnes causas secundas antegrediente, & immutabili decreto (cuius præter voluntatem Domini nulla causa reddi posit) ad æternam damnationem creatos & ordinatos esse, quos nunquam dilexerit, neque vnquam voluerit aut velit, vt conuertantur credant, & saluentur: Et cùm aperta sacræ Scripturæ testimonia produxissemus; glossâ vestrâ omnia eludere conati estis; ad hunc videlicet modum.

1. Tim. 2. Deus vult omnes saluos fieri: glossa vestra, OMNES, id est, ALIQVOS, de quibus decretum fecit, quòd velit eos saluos facere.

Ezech. 18. Viuo ego, nolo mortem morientis; glossa vestra: nolo, id est,

est, volo mortem morientis, id est, peccatoris ad damnationem creati.

Oportet prædicari pœnitentiam & remißionem peccatorum in OMNES GENTES: glossa vestra: NON in omnes gentes, sed ALIQVAS tantùm, quas, vel ex quibus aliquos occulto suo decreto elegerit Dominus, quos velit saluos facere. Luc. 24.

Ipse est propitiatio non pro nostris tantùm, sed TOTIVS MVNDI peccatis: glossa vestra; Totius mundi, id est, electorum tantum in Mundo. 1. Ioan. 2.

Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti: glossa vestra: volui, id est, nolui congregare vos, quia ad æternam damnationem vos creaui, ordinaui, destinaui. Mat. 23.

Sic Deus dilexit Mundum: glossa vestra, Mundum, id est, electos tantùm in mundo. Ioan. 3.

Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: glossa vestra: OMNES, id est, ALIQVI, videlicet electi tantùm, quos ego decreui saluos facere: reliquos nolo ad me venire. Matth 11.

Deus omnia sub incredulitatem conclusit, vt OMNIVM misereatur: glossa vestra: OMNIVM, id est, ALIQVORVM, videlicet electorum. Rom. 11.

Non vult Dominus ALIQVOS perire, sed OMNES ad pœnitentiam reuerti: glossa vestra; omnes, id est, aliquos, videlicet omnes fideles tantùm & electos, reliquos vult perire, quos ad interitum & æternam damnationem creauit & ordinauit, quos nunquam dilexit, neque voluit, neque adhuc vult saluos fieri. 2 Pet. 3.

Christus pro omnibus est mortuus: glossa vestra: pro omnibus, id est, ALIQVIBVS, quia tantùm pro electis est mortuus. Et similia sexcenta alia.

An verò hæ non sunt glossæ? quæ in præcipuis nostræ religionis articulis, (in quibus salus nostra consistit) apertißima sacræ Scripturæ testimonia labefactant, & ea prorsus inutilia nobis reddunt.

Has glossas cùm non semel, sed sæpè, præsertim in articulo de Persona Christi, vno tātùm Scripturæ testimonio probari peterem; nullum allatum, sed vel glossa repetita, vel ratiocinatio falsa à vobis recitata est.

Quæ omnia cùm à nobis non humana glossa, sed apertis & firmissimis sacræ Scripturæ testimonijs consutata sint; manifestū est omnibus, ex nostra parte, verbum Dei & textum Scripturæ sacræ apertissimum stare: Vos autem glossam tantùm habere. A qua Theologia, vt sibi omnes pij caueant, & eam fugiant, omnes auditores monemus. Non enim substantia tantùm Sacramentorum, hoc est, Christus ex Sacramentis nobis eripitur: sed vnâ cùm Sacramentis, verbum promissionum diuinarum de gratuita remissione peccatorum, tollitur. Vnde nullus vsus Scripturæ sacræ & Sacramentorum, in erigendis perturbatis conscientijs ampliùs erit; adeoque certitudo vniuersæ salutis nostræ æternæ consequendæ prorsus euertitur.

D. BEZA.

Tu te ipsum iudicem ponis, & perinde pronuncias, ac si pro tribunali in Throno sederes, & iudicium de religione in tua potestate positum, & tibi soli à Deo commendatum esset. Non autem est æquum, vt pars sit iudex. Cùm igitur pars sis coram iudice Christo: ideoq; hoc tibi minimè competit. Nos non afferimus glossas, multò minùs veritatem & substantiam Sacramentorum negamus. Sed doctrinam nostram de Cœna Domini tot testimonijs Spiritus sancti probauimus, quot testimonia de veritate corporis Christi veri & naturalis, de eius ascensu in cœlum, & de reditu ad iudicium, in Scripturis extant. Habemus etiam ex parte nostra testimonia quàm plurimarum Ecclesiarum & Martyrum, qui suo sanguine nostram doctrinam & confessionem obsignarunt, & fortassis

plures

plures ex nostra parte, quàm vos ex parte vestra. Et cogitate, vos ex parte vestra non esse concordes. Quid enim Kemnitius, Heshusius, & alij doceant, & in quibus à vobis dissentiant, non ignoratis; qui non per omnia vobiscum faciunt.

Sed oro Dominum, vt multa nobis non imputet. Nobis datum est credere & pati; & dolemus nos non consentire. Cupimus tamen vobiscum fraternitatem colere, quoniam magna est humani iudicij imbecillitas. Dominus & nobis & vobis aperiat mentem, vt clariora videamus; qui suo tempore patefaciet, qui nam rectè crediderint.

D. IACOBVS.

Non me ipsum iudicem constitui; neque pro tribunali, aut in iudicij Throno sedens, hæc dixi. Testes enim erunt omnes auditores huius Colloquij, Illustrissimus Princeps, Comes Fridericus inprimis, quòd ad illorum iudicia, in hac collatione non semel, sed aliquoties prouocarim, & in singulorum iudicio reposuerim, vt cùm inter nos conuenire non potuerit, ipsi iudicent, vtra pars glossa aut expresso Dei verbo suam doctrinam confirmauerit. Quod adhuc ab omnibus & singulis peto, vt de toto negotio diligenter cogitēt, & vtriusq; partis doctrinam non ex humanis glossis, sed verbo Dei examinent & iudicent. Neque cogitent, à cuius parte plures vel pauciores stare videantur, sed quæ propiùs ad verbum Dei accedat, & eo solo nitatur.

D. Iacobus doctrinam suam piorum iudicio subijcit.

De controuersijs religionis quomodo sit iudicandum.

Quod ad consensum nostrum attinet; is in libro Concordiæ expressus est: quem nihil dubitamus, nulla humana glossa, sed expresso & sibi omni ex parte consentiente verbo Dei niti. Cui D. Chemnitius, D. Heshusius, alijque magno numero eruditi Theologi, Ecclesiarum, Academiarum & scholarum Ministri subscripserunt.

Consensus Ecclesiarum Vvirtenbergensium, cum Ecclesijs August. Confessionis.

Etsi verò videamus, vos à nobis dissentire, neque adhuc sententiam mutare; non tamen propterea intermittemus

pro vobis Dominum orare, vt vobis mentem aperiat, & suo sancto Spiritu illuminet, vt intelligatis, vos in errore versari, & vt vos à Filio Dei, & verbo eius aperto, simplici, perspicuo, & plano doceri patiamini. Hæc enim vnica ratio & via erit ad piam, sanctam, Deoq; gratam concordiam faciendam. Si quid duriùs dixisse fortassis visus sum, cuius tamen mihi cõscius non sum: cogitent Domini, non carnali affectu factum, sed quod animus & cor abhorruerit à doctrina, quæ veritati opposita fuit. Et spero, auditores nobis ex parte nostra testimonium perhibituros, nos placidè omnia nostra proposuisse; neque conuitiari, sed monere tantùm voluisse, vt omnes sibi ab ea doctrina caueant, quæ in gignendis nouis erroribus tam fœcunda est; vt & auditores intelligant, quo Sathan tendat, si à verbo nos ad glossas abducat, vt nobis non solùm substantiam & vsum Sacramentorum verum, sed etiam totum Euangelium vnâ cum Christo eripiat, & omni consolatione nos spoliet, quam in vno & solo Christo repositam habemus.

D. BEZA.

Nos pro vobis etiam Dominum orabimus, vt in charitate crescatis.

Posteaquam in hũc modum colloquio finis est impositus; petierunt Theologi Vvirtembergici, à D. Beza & fratribus eius, vt responsiones ad Theses ipsorum de tribus postremis articulis, 1. de Templis, Imaginibus, Organis Musicis, &c. 2. De Baptismo. 3. De Prædestinatione, ipsis exhiberent; quod altero demum die factum est. Optassent autem Vvirtembergici Theologi, vt idem ordo cum illis seruatus, & responsiones ipsorum etiam ad illas Theses, ante collationem exhibitæ, & publicè quoque recitatæ fuissent, quemadmodum in duobus præcedentibus articulis obseruatum fuit, vt plenaria deinceps de singulis collatio institui potuisset.

Sed

Sed cùm pleraque in collatione propoſita ſint,quæ in ipſorum Reſponſione continentur; Lector Chriſtianus facilè deprehendet eandem ſententiam cùm in ſcriptis tum in collatione ſermone facta contineri. Quod Chriſtianus Lector ex ipſorum quoque ſcriptis intelligere potuit, quæ Theologis Vvirtembergicis à D. Beza & fratribus eius exhibita, & ſuprà ſuo loco inſerta ſunt.


LTERO die, qui fuit, 29. Martij, Illuſtriſſ: Princeps, Comes Fridericus, cum conſiliarijs & nobilibus aulicis, cæteriſque miniſtris in locum redijt, in quo collatio inter D.Bezam, & D. Iacobum inſtituta fuerat.

Ac primùm quidem Theologi Vvirtembergici Illuſtriſsimæ Celſitud: ipſius gratias egerunt, quas potuerunt maximas, quòd Celſitudo ipſius nullis ſumptibus pepercerit, ſi qua ratione offendiculum diſſenſionis hoc maximum tolli, & pia concordia conſtitui potuiſſet; tantaque patientia, vtriuſque partis collocutores toto hoc tempore de controuerſis articulis ſententias conferre audiſſet.

Etſi verò non conſecuta ſit Celſitudo eius hunc finẽ, quem maximè optabat; eos tamen nihil dubitare, hoc colloquiũ ſuo fructu nõ cariturum. Ex quo Celſ. ipſius certò cognoſcere potuerit, quæ cuiusque partis conſtans & perpetua ſententia eſſet, & quibus fundamentis vtraque niteretur. Vnde etiam facilè intelligere potuerit, quæ pars gloſſas & opiniones humanas, quæ autem verbũ Domini protulerit, & eius ſimplici,

per-

perſpicua, & plana interpretatione ſuam doctrinam confirmauerit. Et retributionem largiſsimam Celſit. ipſius pro hoc pietatis officio, Eccleſiæ Dei præſtito, à Deo pollicentur. Cuius protectioni Celſ. ipſius, cum coniuge pijſsima, & liberis ſuauiſsimis commendent, & gratitudinem animorum perpetuam promittant.

Idem non modò D. Beza cum ſuis, quos Geneua & & Lauſanna ſecum adduxerat: ſed Abrahamus quoq; Muſculus, cum Senatore Bernenſi, & Græcæ linguæ Profeſſore in Gymnaſio Bernenſi, faciunt, & apud ſuos Illuſt: Principis pietatem, clementiam, humanitatem, ſtudium pacis & veritatis prædicaturos promittunt, & preces ſuas pollicentur. Quibus Illuſtriſsimus Princeps, Comes Fridericus, per Celſit. ſuæ Secretarium, N. Binningerum, vt à Gallis, qui colloquio interfuerunt, intelligeretur, lingua Gallica reſpondit in hunc ſenſum:

RESPON-

RESPONSVM ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS FRIderici, Comitis VVirtembergensis, &c.

DOmine Beza: Illustrißimus Princeps Fridericus, Comes Vuirtembergensis & Mompelgartensis, &c. Dominus meus clementißimus, mihi in mandatis dedit, vt breuiter ad tuam orationem respondeam, & tibi exponam, Celsitudinem ipsius omnino alium euentum Colloquij instituti sperasse, videlicet, vt in collatione facta dissidentium partium animi, in doctrina synceræ & incorruptæ veritatis propiùs coniũgerentur. Quod quidem non modò Celsitudo ipsius, verùm etiam alij quàm plurimi pij homines magnis & ardentibus votis expetiuerunt. Sicut Celsitudo ipsius adhuc quoque nihil magis in votis habet, quàm vt vel tandem piam pacem & concordiam in hac controuersia videre poßit. Quamuis mini-

mè dubitet, Colloquium hoc institutum suo fructu non cariturum, sed tempore suo quoque aliquem editurum.

Quia verò in hoc conuentu aliter fieri non potuerit: totum negocium voluntati Diuinæ commendat, & aliter cogitare non potest, nondum venisse horam & tempus à Deo compositioni controuersiæ huius destinatum: neque fortaßis voluisse Deum, vt in hoc primo congressu concordia sanciretur.

Sperat autem Celsitudo ipsius, Deum Opt. Max. pro infinita sua bonitate & sapientia, occasionem, viam et rationem interea temporis monstraturum, qua denuò conuentus aliquis instituatur, ex quo fortè plus vtilitatis ad Ecclesiam Dei redire queat, quàm nunc factum est. Quo nomine Celsit. ipsius Deum, Patrem Domini nostri Iesu Christi rogare & pijs precibus solicitare non remittet.

Tibi

Tibi verò (D. Beza) cum Collegis tuis Celsit. ipsius, quòd hanc collationem tam prompto animo accesseritis, clementer gratias agit: & vt frugalem tractationem boni consulatis, petit.

Cùm autem in quatuor articulis præcipuis, nulla concordia constituta esset; qua ratione discessum fuerit, breui scripto comprehensum est, quod sequitur.

CVm ab Illust: Principe ac Domino, Domino Friderico, Comite Vvirtembergico & Montpelgartensi &c. Domino nostro clementissimo, ad petitionē Gallorum exulum, Colloquium inter D. Iacobum Andreæ, & D. Theodorum Bezam pio zelo, & concordiæ Christianæ studio institutum esset: in præsentia ipsius Cels. & exulum Gallorum præcipuorum, familiariter & placidè 1. de Cœna Domini: 2. de persona Christi: 3. de Templorum reformatione & Imaginibus: 4. de Baptismo: 5. de Prædestinatione collocuti sunt. Vtrinque autem ab initio protestati sunt Theologi, se vt priuatos agere, quæ agerent, nullo cum cuiusquam Ecclesiæ præiudicio.

Etsi autem in quinto Articulo (qui est de Templis & Imaginibus) vtriusque partis Theologi ita consenserunt, vt res illas, de quibus agitur, adiaphoras esse cēserent: modò omnia ad Ecclesiæ ædificationem, & Idololatriæ prohibitionem dirigantur: tamen de qua-

tuor reliquis articulis, hoc quidem tempore consensus fieri non potuit, nisi in paucis capitibus, de quibus iam inde ab origine istarum controuersiarum, nulla fuit inter vtramque partem disceptatio.

Vtriusque autem partis Theologi in prædictis articulis nituntur ijs fundamentis, quæ in ipsorum scriptis inuicem exhibitis, comprehenduntur, neque ab ijs recedunt. Promittunt tamen, se id operam daturos, vt nihil in ipsis desiderari meritò possit, quòd quidem ad piam pacem, Deoque gratam concordiam (salua tamen Dei gloria, cœlesti veritate, & salute Ecclesiæ) facere posit. Et quia ea, quæ in Colloquio vtrinque dicta sunt, non à notarijs sunt excepta: itaq; si quæ sunt ab vtraque parte annotata, nolumus ea vllam vim, & authenticam authoritatem Protocolli habere.

Actum Mompelgarti, 29. Martij, Anno 1586.

THEOLOGI VVIRTEMBERGICI.

Iacobus Andreæ D.
Lucas Osiander D.

POLITICI VVIRTEMBERGICI CONSILIARIJ.

Ioannes Vvolffgangus ab Anvveil.
Fridericus Schutz D.

THEOLOGI GENEUENSES.

Theodorus Beza.
Abrahamus Musculus.
Antonius Faius.
Petrus Hubnerus.
Claudius Alberius D.

POLITICI A PARTE D. BEZÆ.

Antonius Marsius.
Samuel Maierus, Reipub. Bernensis Senator.

Quòd

QVòd verò ad Protocollum attinet, cuius in literis recessus Colloquij, vt vocant, fit mẽtio, sic se res habet. Vt liberior collatio esset, neq; vlla pars ad certa verba adstringeretur, aut captiosè, vt interdum in disputationibus fieri solet, præsertim vbi affectus dominantur, vtrinque ageretur, ab initio Colloquij constitutum fuit, ne à Notarijs certis constitutis, vtriusque partis dicta exciperentur, sed liberum esset omnibus & singulis, etiam auditoribus, quæ vellent, annotare. Ex parte D. Iacobi, D. Lucas Osiander, & M. Casparus Lucius, concionator Montpelgartensis, quæ calamo consequi poterant, annotarunt. Eadem libertas etiam illis, qui ex parte D. Bezæ erant, relicta est. Magno autem studio & solicitudine petierunt Geneuenses Theologi cum Bernensi, ne vllam vim & authoritatem authenticam Protocolli, quæ vtrinque in Colloquio annotata sunt, haberent. Etsi verò Theologi Vvirtembergici mirabantur, cur tanto studio hoc agerent & quærerent: (ipsi enim in nullo discrimine posuerunt, quæ vtrinque annotata essent, vt qui semper parati sint, ad reddendam rationem de omnibus & singulis, quæ ex parte ipsorum in Colloquio, in singulis congressibus, & de omnibus articulis dicta sunt) non tamen ægrè consenserunt, quoniam ab initio ita conuentum erat. Vtriusque autem partis sententiam, candidè in hac descriptione annotatam, neque quicquam mala fide, aut calumniosè vel huic vel alteri parti tributum esse; non modò auditores omnes, qui Colloquio frequentes adfuerũt, & collocutores magna animi intentione audiuerunt, inprimis verò Illustriss: Princeps, Comes Fridericus. Sed scripta quoque

 vtri-

vtriusque partis, proprijs manibus de singulis articulis cõfirmata. Quemadmodum etiam libri, qui de his controuersis articulis extant, ab vtriusq; partis Theologis in lucem editi, testabuntur.

Valedictio D. Bezæ, D. Iacobo, & D. Osiandro facta.

QVibus omnibus peractis, Illustriss: Principe, Comite Friderico cum Consiliarijs, & aulicis Ministris, adhuc præsente, D. Beza, D. Iacobum & D. Osiandrum alloquitur, eisdem quoque, cum collegis, valedicturus. Vbi denuò de sua voluntate & animo testificatur, quòd studio pacis & veritatis ad hanc collationem accesserit. Quapropter sibi plurimùm dolere, quòd pax & concordia in controuersis articulis constitui non poterit. Se autem propterea de concordia in controuersis articulis facienda non prorsus desperare. Posteaquam enim nunc se inuicem audierint, vtrinque de toto negocio in timore Domini diligenter cogitaturos. Ipsos quoque Dominum inuocaturos, vt oculos vtrinq; aperiat, & mentes illuminet, vt vtra pars erret, in viam redeat, & se doceri patiatur à Spiritu Domini. Interim verò donec hoc fiat, rogat, vtrinque ab acerbis scriptis abstineatur, donec Dominus pacem largitus fuerit. D. Holdero & reliquis Theologis salutem dicant: Bezam cùm suis symmistis pro fratribus agnoscant, & dexteras fraternitatis ipsis porrigere velint. Se vicissim operam daturos, vt intelligant, concordiam & pacem ipsis cordi esse.

D. IACOBVS

Responsio D. Iacobi, & D. Osiandri ad valedictionem D. Bezæ.

Pariter de suo, & Collegæ sui animo ac voluntate vicissim testificatur, ipsis amorem piæ, sanctæ, & Deo gratæ concordiæ nunquam defuisse, neque etiam vnquam per Dei gratiam de-

am defuturum. Ideo non minus ipsis, quàm Bezæ & fratribus eius ex animo dolere, quòd in hac collatione placida & familiari de controuersis articulis consensus factus non sit. Neque per ipsos stetisse, quo minùs fieret, cùm prolixè testificati sint, se simplici verbo Domini, omissa omni humana glossa, adhærere. Idem si ipsi facerent, iam iam, pia, sancta, Deoque grata concordia constituta esset.

Neque aliam ad hanc constituendam viam esse, quàm vt humanas suas opiniones abijciant: intellectum suum, in his Mysterijs, in obsequium Christi captiuum ducant, & se simplicitate fidei, verbo Domini subijciant. Et cùm in collatione instituta probè intellexerint, quæ ipsorum sententia de singulis articulis controuersis sit; & quòd errores, quos D. Beza in suis scriptis publicis illis obiecerit, minimè doceant aut defendant, sed eos in omnibus & singulis controuersis articulis apertè damnent & detestentur, quo nomine tamen passim apud exteras Ecclesias, sed falsò, traducti sint, cognita nunc & demonstrata eorum innocentia, ipsos quoque de pia concordia nondum desperasse; de quibus omnibus, vt D. Beza cum suis fratribus & collegis diligenter cogitet, ipsos rogare.

Velle etiam se, suosque pro eis Dominum diligenter orare, vt illis oculos aperiat, & suo sancto Spiritu mentes illuminet, vt veritatem videre, & se illi subijcere possint.

Vt autem illis dexteram fraternitatis præbeant: nō ignorare illos, quàm horribilium errorum, & teterrimarum hæreseon in suis scriptis coram Ecclesia ipsos reos egerint. Ideoque se mirari, quomodo eos pro fratribus agnoscere possint aut velint? aut eorum fraternitatem expetant, si pro talibus agnoscant, qui damnatas hæreses

ab Or-

ab Orco reuocent, & Ecclesiæ Dei obtrudant. Contrà verò, in quibus, & quàm tetris erroribus ipsi versentur, hac collatione eis demonstratum esse. In quibus cùm adhuc perseuerent; ipsos intelligere, quòd eos pro fratribus agnoscere non posint. Ideoque minùs etiam ægrè laturos, quòd dextram fraternitatis illis non præbeant. Acerba scripta sibi etiam minimè probari, testantur. Errores autem refutandos esse, ipsos quoque non ignorare. Daturos autem operam, si ad scriptionem denuò peruentum fuerit, vt illorum mansuetudo, & lenitas, quantum salua veritate, & gloria Dei fieri posit, omnibus innotescat. Ipsisque omnia humanitatis officia, quæ non semel tantùm in Vvirtembergicis Theologis, quemadmodum ipsorum Ecclesię quoque in Principibus Vvirtembergicis expertæ sint, & prædicauerint, pręstituros; & hoc nomine etiam haud grauatim dexteras humanitatis porrecturos.

D. BEZA.

Quia dexteras fraternitatis nobis porrigere recusatis, & nos pro fratribus agnoscere non vultis; amicitiæ dexteras etiam nolo.

D. IACOBVS.

Ergo intermittatur.

Et sic discessum est.

APPEN-

Appendix:

IN QVA DOCETVR, QVID IN negocio communicationis & Protestationis Gallorum exulum, Mompelgarti post habitum Colloquium, actum sit.

PETIERANT D. Beza, eiusque Collegæ, in Libello supplice, (qui his actis insertus est) inter alia, hoc etiã; vt liceret suæ Confessionis fratribus, suam Cõfessionem, sine vllo alterius præiudicio, retinentibus, sacram Cœnam ex aliorum manibus percipere, & ita mutuam fraternitatem colere ac testari. Ad hanc verò supplicis libelli partẽ, Illustrissimus Princeps ac Dominus, Dominus Fridericus, Comes Vvirtembergicus, & Mompelgartensis, &c. antequam Colloquium finiretur, nondum responderat. Cùm autem absoluta collocutione D. Beza eiusq; Collegæ, iam abitum pararent, & in hospitio ad iter accingerentur, interimque Responsum ab Illustrisisissimo Principe flagitarent: Celsitas eius decretum suum, super ea re, illis in hospitium misit. Erat id decretum ei non dissimile, quod antea circa festum Natalis Christi Gallis dederat in suæ Cels. eiusque Consiliariorum atq; aulicorum præsentia: Idque clara voce Superattendentis Mompelgartensis promulgatum, postea etiam scripto ipsis exhibitum fuit. Cuius sententiam priùs recitabimus: Deinde alterum, quod D. Bezæ eiusq; Collegis datum est, subijciemus. Sic autem habet primum Illustrissimi Principis Decretum.

PRIMVM RESPONSVM PRINCIpis Friderici, datum Gallis ante Colloquium.

POstquam Ministri [a] Ecclesiarum Mompelgartensium, Illustrissimum Principem, suum Dominum, Dominum Fridericum, Comitem

[a] Sunt ibi duæ Ecclesiæ, Germanica, & Gallica: pastor autẽ primarius Germanus est, & simul etiam Superattendentis officio fungitur.

Uuirtembergensem & Mompelgartensem, de hoc [b] Scripto certiorē reddiderūt: illius Celsitudo hoc dedit responsum: Debere illis significari, quòd ILLIVS PIA ET PVRA Cōfeßio publicè plus satis prostet: SVB QVA si communicare velint, gratos ipsos fore: sin minus, posse ipsos abstinere, & hac ratione suæ conscientiæ cōsulere. Neminem etiam, si ad [c] præparatoriam concionem accessurus sit, iri exclusum. Actū in Arce, 17. Decembris, Anno, &c. 85.

Es vnà cum Collega suo Germano, & Gallicæ Ecclesiæ tribus Ministris scriptum Gallorum examinauit.

b In eo Scripto petierant Galli, vt sub sua Confessione admitterentur ad Cœnam Domini.

c Ea habetur vesperi, & tractatur de substantia & vsu Cœnæ Domini.

Frideric Comte de VVirtemberg, &c.

ALTERVM RESPONSVM, QVOD Gallis exulibus datum est, post Colloquium, sic habet.

AD Libellum supplicem Domini Bezæ & Collegarum eius, quo petunt, vt liceat suæ Confeßionis fratribus, suam Confeßionem sine alterius præiudicio retinentibus, sacram Cœnā EX ALIORVM MANIBVS percipere: respondet Illustrißimus Princeps ac Dominus, Dominus Fridericus, Comes Uuirtembergicus et Mom-

Mompelgartensis, etc. extare publicè suæ Cels. CONFESSIONEM ET ORDINATIONEM *Ecclesiasticam:* SI SECVNDVM ILLAM *Confessionem & ordinationem ad sacram Domini Cœnam accedere velint, eaq; de re sententiam suā Ministro Ecclesiæ Mompelgartensis aperire voluerint, repulsam non passuros. Actum Mompelgarti, 29. Martij, Anno 86.*

Hoc (scilicet) est, Gallis permittere, quod prius non fuerat permissum: sicut Epistola nugatur.

Fridericus Comes VVirtembergensis & Montpelgartensis, &c.

POst hoc Decretum promulgatum, prima die Aprilis, quæ fuit Veneris, ante Paschatis Festum, cùm iam vtriusque partis Legati abijssent: Ministri quidam Gallicarum Ecclesiarum (quibus vnâ cum alijs Exulibus Gallis Mompelgarti hospitium cōcessum fuerat) ampliùs instant, & petunt, vt decreto Principis saltem hæc clausula addatur: Gallos communicando, interim suam Confessionē nolle condemnare. Et, si obtineri non possit apud Illustrissimum Principem, vt hæc decreto scripto inserantur: orare se, vt Minister Ecclesiæ Mompelgartensis hæc verba publicè in suggestu corā populo, aut ad altare stans, recitet. Qua certè in re, isti Gallici Ministri non obsecuti sunt D. Bezæ consilio, qui dudum Gallis exulibus scripserat, ne vspiam Mompelgartensem Ecclesiam offenderent: sed absq; multa disputatione illic communicarent. Vt autem exulantium Ministrorum Gallicorū petitio iniqua erat: ita nihil prorsus impetrare potuerunt, tametsi apud Superattendentem Mompelgartensem etiam intēpesta nocte instarent. Ab eo .n. hoc responsum tulerunt: Illustrissimū Principem velle, vt semel datum & subscriptum mandatū strictè obseruetur, & ne ad pilum quidem ab eo recedatur. Hoc responso accepto, vnus ex Ministris illis Gallicis sequenti die

Sabbathi manè cum aliquot Gallis, ex vrbe abijt, alibi suæ Confeſsionis homines quærens, cum quibus communicaret.

Reliqui verò Galli exules, qui Mompelgarti remanſerant, Miniſtros Eccleſiæ huius Gallicos ad ſe vocarunt: ibiq; Dominus de Veſinez (qui menſæ D. Bezæ, in Colloquio aſſederat, & diligentiſsimè auſcultauerat) in hanc ſentētiam Miniſtros Gallicos Eccleſiæ Mompelgartenſis alloquitur: Se ſuosq; Gallos cum ſummo affectu atq; deſiderio cupere vnâ cum Eccleſia Mompelgartenſi communicare: & petere, ne ab communione ſacræ Cœnæ excluderentur, neq; pro extraneis ab Eccleſia Chriſti haberentur: cuius nomine tot hactenus pertuliſſent perſecutiones.

Nota ſimplicem & piam Domini de Veſinez petitionem.

Ad hunc ſermonem reſpondere voluit Gallicus Eccleſiæ Miniſter, D. Richardus Dinotus: (quem interea Dominus ex hac vita euocauit) ſed interfatus eſt peregrinus quidam exulum Miniſter, & dixit: Dominum de Veſinez non rectè & omnino mentem Dominorum Gallorum declaraſſe: ipſos enim petere, vt SVB SVA CONFESSIONE ad communionem Cœnæ Dominicæ admitterentur.

Hæc verba, quæ videntur proteſtationem in ſe continere, audita quidem ſunt à Gallicis Miniſtris, ſed non recepta, aut approbata.

Huic reſpondit D. Richardus Dinotus, neminem hactenus ab Eccleſia Gallica Mompelgartenſi excluſum fuiſſe: ſiue Geneua, ſiue aliunde Mompelgartum veniſſet: dummodo, auditis priùs & approbatis ipſorum concionibus, ſeſe ad ſumptionem ſacræ Cœnæ obtuliſſet: cur ergo nunc Gallos exules excluderēt, quorum iam antea multi cum ipſis communicaſſent? Neque enim ſe dubitare, quin Galli exules, ex ſuis atq; Collegæ ſui multis concionibus, ſimplicem noſtrarum Eccleſiarum Confeſsionem ſatis intellexiſſent: quam etiam copioſiùs ipſis cognoſcere liceat ex Confeſsione Auguſtana, eiusq; Apologia, & ex Ducis Chriſtophori Vvirtembergici Confeſsione, quæ Concilio Tridentino fuit oblata; item ex concordia D. Lutheri, & D. Buceri, Anno &c. 36. Vvittembergæ facta: à qua pia Confeſsione, neq; ipſe, neq; eius Collega recedere poſsit: propterea, quòd ea verbo Dei conformis, atq; in eo benè ſit fundata. Quæ verò paſsim contra illam Confeſsionem ſpargantur, meras eſſe calumnias, mendacia, & manifeſtiſsimas falſitates.

Reuocati ſunt Galli exules ad Confeſſionem Eccleſiarum Germanicarum: quæ certè plurimum à Gallica diſcrepat.

Ad hæc quidam Iuriſconſultus Gallicus (qui antea ſæpe in Eccleſia Mompelgartenſi Cœnam Domini ſumpſerat) vnâ cū alijs exuli-

exulibus interfatus reſpōdit: Si Miniſtrorum Eccleſiæ Mompelgartenſis Confeſsionem & cōciones improbarent, nequaquam petituros fuiſſe, vt liceret cum ipſis communicare. Interim tamē ſe non poſſe Gallicam ſuam Cōfeſsionem repudiare, & alias (vel in regno Galliæ vel alibi) Eccleſias condemnare. Cui reſpondit D. Richardus Dinotus: Neq; ſe, neq; ſuos Collegas vnquam vllas Chriſti Eccleſias condemnaſſe: quin potius ſemper de omnibus, quam optimè ſperare. Non tamen ſe diſsimulare poſſe, (ſi verum fateri velit) quòd Confeſsio Gallorum, præcipuè in 38. articulo, admodum ſit ambigua & inſufficiens: cùm non intelligi poſsit, qui nam ſint illi Sacramētarij, quorū Confeſsio mentionē facit.

Rectè diſtinxit Dinotus inter ipſas Eccleſias, & erroneas opiniones, quas illarum Eccleſiarum Miniſtri defendunt. Sæpe enim plebs puriores habet aures, quàm labia & corda Sacerdotes.

Ad hæc Floretus Gallorum exulum Miniſter, reſpondens, ambiguitatem illam Gallicæ Confeſsionis ad hunc modum explicat: per Sacramentarios intelligi eos, qui ſic reijcerent ſigna, vt dicerent, illa eſſe nuda, NEC CONIVNCTA CVM ILLIS REBVS, QVAS SIGNIFICANT: cùm tamen Ieſus Chriſtus dixerit: Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus. Hìc bonus ille Richardus Dinotus (ex candore ſuo iudicans de Floreto) Lutheranum ſe audire ratus, reſpondit: Quid ergo amplius reſtaret, Galloſq; exules impediret, (quandoquidem ſic ſentirent) quò minùs cum cæteris fidelibus ad Cœnam Domini accederent?

Irenæus de Hæreticis: Eadem loquentes: non tamen eadem ſentientes.

Poſtea Floretus Richardi Collegam Samuelem Cucuellū Gallicæ Mompelgartenſis Eccleſiæ Miniſtrum, compellans interrogauit: an haberet, quod Collegæ ſui dictis cōtradiceret? Reſpōdit Samuel: ſe nihil quidem habere: Valde tamen mirari, quid ſibi vellent, quòd toties hæc reiterarēt, SVB GALLICA NOSTRA CONFESSIONE? An Confeſsio Mompelgartenſis Eccleſiæ ipſis non probaretur? &, an illam condemnarent?

Statim autem excuſauit ſe & ſuos Floretus, ne viderentur Cōfeſsionem Mompelgartenſem damnare: & illius Iuriſconſulti (de quo ſuprà diximus) ſententiam repetens, dixit: Non cuperemus vobiſcum communicare, ſi non veſtram Confeſsionem approbaremus. Nobis tamen (inquit Floretus) fit iniuria, dum inſimulamur, quaſi euacuaremus Sacramenta: firmiter enim tenemus, quòd panis & vinum non ſint ſolùm ſigna, ſed INSTRVMENTA, PER QVAE VERVM CORPVS ET SANGVIS CHRISTI DISTRIBVVNTVR. Interim verò (ait Floretus) conſtat, te, Samuelem

NOTA.
Audis iterum Lutheranam Confeſsionem, quam non probaturus fuiſſet alter Miniſter Gallicus, qui Mompelgarto cum ſuis diſceſſerat.

lem Cucuellum, ſæpius pro concione Tranſſubſtantiationem, Conſubſtantiationem, Vbiquitatem, & extenſionem localem corporis Chriſti, reieciſſe: an adhuc, Cucuelle, in hac perſiſtis ſententia? Ad hæc Samuel Cucuellus aſſenſit.

Tandem quæſitũ fuit ex Miniſtris illis duobus Gallicis Mompelgartenſibus: an quibuſdam Gallis, Cœnã Domini iuxta ipſorũ modum & formam exhibere vellent: vt videlicet, panẽ in manus, & nõ in os, illis porrigerent? Ad hæc Samuel Cucuellus reſpondit: Nihil poſſe in ipſorum gratiam, in ritu adminiſtrationis Cœnæ Dominicæ, mutari: facilè enim fieri poſſe, vt ſimplex populus ex ea mutatione offenderetur. Inſtabant quidẽ Galli ſuper ea re ampliùs: ſed cùm nihil impetrarent, acquieuerunt, ſuumq; animum declararunt, quòd ea ceremonia ipſos non eſſet impeditura, quò minùs ad Cœnam Domini accederent.

Cùm aũt Miniſtri Mompelgartenſes iam diſceſsiſſent, eorũq; omnium, quæ poſtea à Gallis facta ſunt, prorſus ignari eſſent: (id quod ſuperſtes Miniſter, Samuel Cucuellus, ſanctè affirmat) Galli clàm, vocatis Notarijs & aliquibus ciuibus Mompelgartẽſibus, Inſtrumentũ quoddam erigunt, tali (ſcilicet) candore & fide, vt Illuſt. Princeps ac Dominus, Dominus Fridericus, Comes Vvirtembergicus & Mompelgartenſis, &c. grauiſsimas iuſtiſsimasq; cauſas habuerit, cur illi Inſtrumento (in præfatione huius operis) omnẽ fidem, authoritatem atq; valorẽ derogaret & detraheret. Erectũ enim fuit illud nõ modò abſentibus ijs, quorũ pręſentia, rei ipſius cognitio, & cõſenſus inprimis, requirebatur: verùm etiã talia inſerta ſunt, quorum in præſentia Miniſtrorum Mompelgartenſium, aut nulla prorſus facta fuerat mentio: aut quæ non fuerunt ipſorum conſenſu approbata: quo nomine Inſtrumentum à veritate rei geſtæ multùm diſtat.

Cùm aũt Chriſtus veriſsimè dixerit: Nihil eſſe abſconditum, quod nõ aliquando reueletur: non potuit etiam illud Inſtrumẽtum, illegitimè, & in detrimentũ veritatis erectum, diu latêre. Et quidem ad eiuſdem reuelationẽ, occaſionem præbuit vaniſsimâ ſua publicata Epiſtola, fictitius ille Euſebius Schönbergius, qui eius Inſtrumenti primus mentionẽ fecit, idq; ſuo indicio prodidit. Lecta.n.illa Epiſtola, ij, quibus abſente Principe Friderico, gubernacula Reipub. commiſſa erant, magna diligentia & induſtria

ſtria tandem illius occultè erecti Inſtrumenti copias nacti ſunt. Quod cùm redeunti Illuſtriſsimo Principi exhibuiſſent, ipſius Celſitudo rem tam iniquam, clandeſtinam, temerariam, & non bona fide actam, grauiter moleſteq; tulit, & ſuper ea vehementer commotus eſt. Neq; verò author illius Inſtrumēti impunè iſtam ſuam temeritatem & malitiam tuliſſet, niſi mors eum ante reditum Principis rebus humanis exemiſſet.

Hæc omnia Illuſtriſsimus Princeps Fridericus in lucem emittenda iudicauit: vt publicū teſtimonium veritatis, de Actis Colloquij Mompelgartenſis, ad omnem poſteritatem extaret: vt vanitas illius Schönbergianæ Epiſtolæ (in qua plura ferè ſunt mendacia, quàm lineæ) toti orbi innoteſceret: deniq;, vt Celſit. ipſius Perſona ab omni falſa illa & ſiniſtra ſuſpicione, quaſi à pia, pura, atque prima illa incorrupta Auguſtana Confeſsione deflexerit, vindicetur. Et quidem ipſius Celſitudo, horum Actorum publicatione, veram & firmam pacem Eccleſiarum (quę nō niſi in ipſius veritatis demonſtratione fundata eſſe, & conſiſtere poteſt) promouere, non autem impedire ſtuduit. Cui pio ſtudio, vt felix euentus reſpondeat, vtq; per Spiritus ſancti virtutem aduerſæ parti, oculi mentis aperiantur, vt veritatem cœleſtem agnoſcant, ament, atq; amplectantur, ipſius Celſitudo ardentibus votis precatur. Et vt huic etiam Appendici ſua Authoritas conſtaret; ipſius Celſitudo, in publicum teſtimonium veritatis, ei propria manu ſubſcripſit. Actum Mompelgarti in Arce, die 11. Febr. Anno Chriſti, 1587.

Fridericus, Dei Gratia Comes Vuirtembergicus & Mompelgartenſis, &c.

